COMPENDIVM

BVLLARII.

Digitized by Google

Digitized by Google


FLAVII CHERVBINI
ROMANI I. V. D.
Et Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ in Via Lata de Vrbe
CANONICI
COMPENDIVM
BVLLARII
A LAERTIO CHERVBINO PATRE
Nuper editi.

A B. LEONE PRIMO VSQVE AD PAVLVM V.

In tres Tomos diſtinctum : iuxta ſeriem eiuſdem Bullarij diſpoſitum : Scholijs duobus ad ſingulas cuiuſque Pontificis Sanctiones auctum : nonnullis alijs ad eorundem Scholiorum præfinitionem conſtitutionibus opportunis ornatum : optatum aſſiduè : & copioſiſſimo Indice refertum : in lucem prodit.

Tomus Primus.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Antonium Pinellum. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI
LVDOVICO LVDOVISIO
S. R. E. CARD. CAMERARIO
ARCHIEPISCOPI BONONIENSIS,
& Sanctiſſimi D. N. GREGORII XV. Ex Fratre Nepoti.

FLAVIVS CHERVBINVS.

ROMANORVM Pontificum ſanctiones extra Codices Iuris Canonici in multis, ac remotis locis ſparſim diſſitas, vaganteſq; conquiſiuit vndique non modico ſumptu, atque vigilijs Laertius Pater meus, earumq; vtiliores ſelegit, & in vnum corpus (Bullarium deinde appellatum) redactas, annis proximè elapſis in lucem emiſit : Hunc Paternum laborem dicerem communi exceptum plauſu, ſi tàm modeſtè, quàm verè dicere liceret : Eaſdem ego Conſtitutiones Paterni ſectator laboris, in COMPENDIVM contractas, iterum edere in præſentia non ſum veritus, vt quod non ſine labore periculoſum fuiſſet ignorare, id ipſum facili negotio cognoſceretur. Poteras tu quidem, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, ea, qua præditus es, capaci omnium mente, vaſtiſſimam trium voluminum Bullarij materiam facilè complecti : ſed ego ſatius exiſtimaui, occupationibus tuis publico bono parcere : & quod olim C. Plinius Veſpaſiano Cæſari præſtitit, dum quid ſingulis ſuis libris contineretur, indicem ipſe prætexuit ; ſic ego eorum voluminum SVMMAM à me confectam, tibi vno ferè oculorum ictu propoſui perluſtrandam, integram

tamen, & de qua nihil planè omiſſum, quod ſciri oportuiſſet: Nec minus Pictores immenſos Terrarum ambitus exigua ſæpius tabella comprehendunt, licetq; in ea multum agnoſcere, quamuis non ſine iactura magnitudinis, nullo tamen diſpendio veritatis. Hunc autem qualemcumq; laborem meum tibi, vt dicatum vellem, ſuaſit inſignis tuus in literas amor: impulit Operis tutela, quam conciliare lucubrationibus hiſce meis, tuum æque, ac glorioſum duxi: denique exegit propenſa in Parentem meum, domumq; totam voluntas tua non verbis modò comitata humaniſſimis, ſed rebus, quod tibi proprium eſt, officia verborum exæquantibus confirmata. Etenim admirantur in te quidem alij Religionis propagandæ ſtudium ſingulare, alij ingenium regendis populis natum meritò celebrant, alij magnam potentiam pari moderatione temperatam ſine fine ſuſpiciunt: tamen inter omnia, quibus abundas, ornamenta virtutum, illa dictorum conſtantia, ac promiſſorum tenor, quo iam impetraſti, vt verbis tuis eadem fides ſit, quæ iurato cuique præſtari ſolet, neſcio qua ratione ad ſe omnium animos rapit; ſiue quia magnum hoc eſt humanæ conſuetudinis bonum, vt qui Principem adeunt, ad Aram ſe accedere arbitrentur; ſiue quia rarior hæc hodie virtus, & colorem pro re nata verbis inducere, plurimorum eſt. Quamobrem dubitandum mihi non fuit, HVMANISSIME PRINCEPS, quin hoc per exiguum ingentis erga te meæ obſeruantiæ argumentum, benigno, lætoq; animo, Diuinæ Maieſtatis humillima reſpicientis imitator, accepturus ſis: quem ego Deum imis precor ſenſibus, vt diù te vnà cum BEATISSIMO PATRVO ſoſpitem, ac fortunatum velit.

BE-

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI.

VNIVERSVM Orbem notis litoribus concluſum credidiſſes vtique, niſi ſcrutator illius Columbus, regionibus ab alijs perluſtratis, non contentus, penetralia quæque perquirens, fortunæ, & nauigio fretus, Mare, & Cælo conſultis, retuliſſet tandem, alium ferè Orbem adinuentum, auro onuſtum, & argento, atque his pretioſioribus abundantem: Vniuerſum ius Pontificium Decretorum, Decretalium, Clementinarumq; & Extrauagantium voluminibus diuulgatis credidiſſes etiam terminatum, niſi Laertius Pater meus alias Pontificias Conſtitutiones in obſcuro exiſtentes, ex omnibus Mundi partibus exquiſiuiſſet, adinueniſſet tandem, congeſſiſſet quoque, & ad communem omnium vtilitatem edidiſſet, & ſi non Mundi nouas Regiones, noua ſaltem Pontificiarum legum volumina, quibus Mundus ferè totus regitur, in lucem dediſſet. Cæterum ſicut non defuere generoſi ingenij homines, qui Columbi incæptum vlterius proſequendo, perdifficilem illam ad nouas regiones apertam ab eo viam, breuiorem, facilioremq; reddiderunt, & vtilitatem commoditate ampliarunt: Ita ego qualiſcunque videar, ad Patris vigilias dormire, & ad eiuſdem labores oſcitare non paſſus, ſed inſtitutum eius proſequens, ad ampliſſimum illum Pontificiarum Conſtitutionum ab eo editarum Oceanum, quem ſine maxima difficultate pertranſire forſan non licebat, viam tibi præbui breuiorem, dum illarum cognitionem COMPENDIOSE demonſtraui, & eiuſmodi Maris vndam, quæ forſan amaritudine laboris inſperſa tibi viſa eſt, aliqua induſtria mea diſtillatam, in facilem hauſtum reduxi, non tamen ita exiguum, vt ſitim trudere non poſſit. Adiectæ ſunt per modum SCHOLII ſingulis illis legibus duæ dubitationes, quarum ſolutiones ex tempore ſubieci, nequid eſſet in ambiguo, paucis tamen Doctorum authoritatibus probatas, ne COMPENDIO appendix adiungeret prolixitatem. Tu beneuole Lector, ſi quid vltra eiuſmodi BREVILOQVIVM deſideras, peritiorum ingeniorum ſtudia perquiras, ſed interim authorem habeas ex authore natum, ac ex opere opus, vtrumq; tibi commendatum. Vale.

INDEX

Nominum ſexaginta & nouem Romanorum Pōtificum, quorum Conſtitutiones in toto hoc Opere habentur in Compendium redactæ, vnà cum illarum numero, iuxta temporum ſeriem diſpoſitus.

IN PRIMO TOMO.

1	LEO Primus Italus *habet*	conſt.	2.	*fol.* 1.		
2	Gelaſius I. Aphricanus	conſt.	1.	1.		
3	Pelagius II. Romanus	conſt.	1.	2.		
4	Ioannes XV. Romanus	conſt.	1.	2.		
5	Leo Nonus Germanus	conſt.	2.	2.		
6	Alexander Secundus Italus	conſt.	1.	3.		
7	Gregorius Septimus Italus	conſt.	1.	3.		
8	Vrbanus Secundus Gallus	conſt.	1.	3.		
9	Paſchalis Secundus Italus	conſt.	3.	4.		
10	Calliſtus Secundus Gallus	conſt.	1.	4.		
11	Honorius Secundus Italus	conſt.	1.	4.		
12	Innocentius Secundus Romanus	conſt.	2.	5.		
13	Eugenius Tertius Italus	conſt.	3.	5.	*& in Append.*	1
14	Anaſtaſius Quartus Romanus	conſt.	2.	6.		
15	Alexander Tertius Italus	conſt.	9.	6.		
16	Vrbanus Tertius Italus	conſt.	1.	8.		
17	Gregorius Octauus Italus	conſt.	1.		*in Append.*	1
18	Cæleſtinus Tertius Romanus	conſt.	3.	8.		
19	Innocentius Tertius Italus	conſt.	12.	9.		
20	Honorius Tertius Romanus	conſt.	8.	11.		
21	Gregorius Nonus Italus	conſt.	14.	13.	*& in Append.*	2
22	Innocentius Quartus Italus	conſt.	21.	16.	*& in Append.*	2
23	Alexander Quartus Italus	conſt.	23.	20.		
24	Vrbanus Quartus Gallus	conſt.	8.	26.	*& in Append.*	2
25	Clemens Quartus Gallus	conſt.	14.	28.	*& in Append.*	3
26	Gregorius Decimus Italus	conſt.	3.	31.	*& in Append.*	3
27	Nicolaus Tertius Romanus	conſt.	2.	31.		
28	Martinus Quartus Gallus	conſt.	1.	32.		
29	Honorius Quartus Romanus	conſt.	2.	32.		
30	Nicolaus Quartus Italus	conſt.	6.	33.		
31	Cæleſtinus Quintus Italus	conſt.	1.	34.		
32	Bonifatius Octauus Italus	conſt.	10.	34.	*& in Append.*	3
33	Benedictus Vndecimus Italus	conſt.	2.		*in Append.*	4

Cle-

Digitized by Google

34	Clemens Quintus Gallus	conſt.	4	*fol.* 36.
35	Ioannes Vigeſimusſecundus Gallus	conſt.	15.	37. *& in Append.* 4
36	Benedictus Duodecimus Gallus	conſt.	7.	41.
37	Clemens Sextus Gallus	conſt.	5.	43.
38	Innocentius Sextus Gallus	conſt.	2.	44.
39	Vrbanus Quintus Gallus	conſt.	2.	44.
40	Gregorius Vndecimus Gallus	conſt.	10.	45.
41	Vrbanus Sextus Italus	conſt.	3.	47.
42	Bonifatius Nonus Italus	conſt.	5.	48.
43	Innocentius Septimus Italus	conſt.	1.	49.
44	Gregorius Duodecimus Italus	conſt.	3.	49.
45	Ioannes Vigeſimustertius Italus	conſt.	1.	50.
46	Martinus Quintus Romanus	conſt.	16.	51. *& in Append.* 4
47	Eugenius Quartus Italus	conſt.	29.	55.
48	Nicolaus Quintus Italus	conſt.	4.	62.
49	Calliſtus Tertius Hiſpanus	conſt.	4.	63.
50	Pius Secundus Italus	conſt.	11.	64.
51	Paulus Secundus Italus	conſt.	7.	67.
52	Sixtus Quartus Italus	conſt.	24.	69.
53	Innocentius Octauus Italus	conſt.	19.	76. *& in Append.* 5
54	Alexander Sextus Hiſpanus	conſt.	12.	80.
55	Iulius Secundus Italus	conſt.	31.	83.
56	Leo Decimus Italus	conſt.	47.	92. *& in Append.* 5
57	Adrianus Sextus Germanus	conſt.	5.	106. *& in Append.* 6
58	Clemens Septimus Italus	conſt.	41.	107.
59	Paulus Tertius Romanus	conſt.	49.	118. *& in Append.* 6
60	Iulius Tertius Italus	conſt.	25.	132. *& in Append.* 6
61	Paulus Quartus Italus	conſt.	21.	138.

IN SECVNDO TOMO.

62	Pius Quartus Italus	conſt.	106.	1.
63	Pius Quintus Italus	conſt.	151.	34 *& in Append.* 7
64	Gregorius Decimustertius Italus	conſt.	102.	79. *& in Append.* 7
65	Sixtus Quintus Italus	conſt.	107.	110. *& in Append.* 8
66	Gregorius Decimusquartus Italus	conſt.	19.	142.
67	Innocentius Nonus Italus	conſt.	2.	147.

IN TERTIO TOMO.

68	Clemens Octauus Italus	conſt.	123.	1.
69	Paulus Quintus Romanus	conſt.	98.	39. *et in Append.* 10

Digitized by Google

I N D E X

Nominum ſexaginta & nouem Romanorum Pōtificum, quorum Conſtitutiones in toto hoc Opere habentur in Compendium redactæ, vnà cum illarum numero, alphabetico ordine digeſtus.

Tom.					
1	ADrianus VI. Germa. *habet*	conſt.	5. *fol.* 106.	*& in Append fol.*	6
1	Alexander II. Italus	conſt.	1.	3.	
1	Alexander III. Italus	conſt.	9.	6.	
1	Alexander IV. Italus	conſt.	23.	20.	
1	Alexander Sextus Hiſpanus	conſt.	12.	80.	
1	Anaſtaſius Quartus Romanus	conſt.	2.	6.	
1	Benedictus Vndecimus Italus	conſt.	2.	*in Append.*	4
1	Benedictus Duodecimus Gallus	conſt.	7.	41.	
1	Bonifatius Octauus Italus	conſt.	10.	34. *& in Append*	3
1	Bonifatius Nonus Italus	conſt.	5.	48.	
1	Cæleſtinus Tertius Romanus	conſt.	3.	8.	
1	Cæleſtinus Quintus Italus	conſt.	1.	34.	
1	Caliſtus Secundus Gallus	conſt.	1.	2.	
1	Calliſtus Tertius Hiſpanus	conſt.	4.	63.	
1	Clemens Quartus Gallus	conſt.	14	28. *& in Append.*	3
1	Clemens Quintus Gallus	conſt.	4.	36.	
1	Clemens Sextus Gallus	conſt.	5.	43.	
1	Clemens Septimus Italus	conſt.	41.	107.	
3	Clemens Octauus Italus	conſt.	123.	1.	
1	Eugenius Tertius Italus	conſt.	3.	5. *& in Append.*	1
1	Eugenius Quartus Italus	conſt.	29.	55.	
1	Gelaſius Primus Aphricanus	conſt.	1.	1.	
1	Gregorius Septimus Italus	conſt.	1.	3.	
1	Gregorius Octauus Italus	conſt.	1	*in Append.*	1
1	Gregorius Nonus Italus	conſt.	14.	13. *& in Append.*	2
1	Gregorius Decimus Italus	conſt.	3.	31. *& in Append.*	3
1	Gregorius Vndecimus Gallus	conſt.	10.	45.	
1	Gregorius Duodecimus Italus	conſt.	3.	49.	
2	Gregorius Decimustertius Italus	conſt.	102.	79. *& in Append.*	7
2	Gregorius Decimusquartus Italus	conſt.	19.	142.	
1	Honorius Secundus Italus	conſt.	1.	4.	
1	Honorius Tertius Romanus	conſt.	8.	11.	
1	Honorius Quartus Romanus	conſt.	2.	32.	
1	Innocentius Secundus Romanus	conſt.	2.	5.	

Inno-

1	Innocentius Tertius Italus	conſt.	12.	*fol.* 9.	
1	Innocentius Quartus Italus	conſt.	21.	16.	*& in Append.* 2
1	Innocentius Sextus Gallus	conſt.	2.	44.	
1	Innocentius Septimus Italus	conſt.	1.	49.	
1	Innocentius Octauus Italus	conſt.	19.	76.	*& in Append.* 5
2	Innocentius Nonus Italus	conſt.	2.	147.	
1	Ioannes Decimusquintus Romanus	conſt.	1.	2.	
1	Ioannes Vigeſimusſecundus Gallus	conſt.	15.	37.	*& in Append.* 4
1	Ioannes Vigeſimustertius Italus	conſt.	1.	50.	
1	Iulius Secundus Italus	conſt.	31.	83.	
1	Iulius Tertius Italus	conſt.	25.	132.	*& in Append.* 6
1	Leo Primus Italus	conſt.	2.	1.	
1	Leo Nonus Germanus	conſt.	2.	2.	
1	Leo Decimus Italus	conſt.	47.	92.	*et in Append.* 5
1	Martinus Quartus Gallus	conſt.	1.	32.	
1	Martinus Quintus Romanus	conſt.	16.	51.	*& in Append.* 4
1	Nicolaus Tertius Romanus	conſt.	2.	31.	
1	Nicolaus Quartus Italus	conſt.	6.	33.	
1	Nicolaus Quintus Italus	conſt.	4.	62.	
1	Paſchalis Secundus Italus	conſt.	3.	4.	
1	Paulus Secundus Italus	conſt.	7.	67.	
1	Paulus Tertius Romanus	conſt.	49.	118.	*& in Append.* 6
1	Paulus Quartus Italus	conſt.	21.	138.	
3	Paulus Quintus Romanus	conſt.	98.	39.	*et in Append.* 10
1	Pelagius Secundus Romanus	conſt.	1.	2.	
1	Pius Secundus Italus	conſt.	11.	64.	
2	Pius Quartus Italus	conſt.	105.	1.	
2	Pius Quintus Italus	conſt.	151.	34.	*et in Append.* 7
1	Sixtus Quartus Italus	conſt.	24.	69.	
2	Sixtus Quintus Italus	conſt.	107.	110.	*et in Append.* 8
1	Vrbanus Secundus Gallus	conſt.	1.	3.	
1	Vrbanus Tertius Italus	conſt.	1.	8.	
1	Vrbanus Quartus Gallus	conſt.	8.	26.	*et in Append.* 2
1	Vrbanus Quintus Gallus	conſt.	2.	44.	
1	Vrbanus Sextus Italus	conſt.	3.	47.	

LEO PRIMVS ITALVS

Creatus Anno 440.

CONSTIT. I.

Edita Anno 447. OCcaſio ſpecialium quærelarum, & infra pag. 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Chalcedonenſi, cui hic Pontifex pręſidebat Concilio, querelæ auditæ ſunt, quod quidam Epiſcopi Siciliæ, bona Eccleſiæ diuerſimode alienabant. §. 1. Pręcepit ergo, nequicquam de eis alienarent, abſque conſenſu totius Cleri, & euidenti Eccleſiæ vtilitate. §. 2. Clericis contrauenientibus pœnas indicit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Cur Genitor tuus, ab iſto diplomate, vnde hactenus ſumptus fuit tex. cap. ſine exceptione. 52. cauſ. 12. quæſt. 2. exorſus eſt ſuum opus noui Bullarij?

RESPONDEO. Hoc vnum cæteris diplomatibus, vnde tex. in corpore iuris redacti fuere, antiquius ſine mendo repertum, ſui operis initium eſſe voluit, vt ſi quandoq; ex huiuſmodi ſua bullarum collectione Septimus Decretalium (vt aiunt) compilandus erit, antiquus compilandi modus, ex lectura huius diplomatis, & textus inde ſumpti, dignoſci valeat; Vetuſtatis etenim mos, cuius magna eſt authoritas, hac in re ſedulo retinendus eſſet. l. 2. §. tanta autem, & ibi ſcribb. C. de ver. iur. enucl. cap. anteriorum. 38. §. illud. cauſ. 2. quæſt. 6. & l. teſtamenta. 18. cum ibi not. C. de teſtam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Habet ne ſanctio iſta locum, in repudiatione rei legatæ Eccleſiæ, ſi adhuc legatum non ſit acceptatum?

RESP. Negatiuam opinionem aliàs tenuit Rota in deciſ. Putei 519. lib. 2. num. 2. & ſeq. ſecundum penult. impreſſ. & in deciſ. Fabij 231. nn. 6. & 284. nu. 9. par. 3. diuerſor. lib. 3. Contrariam deinde ſententiam firmauit Rot. in deciſ. Caputaque 359. par. 2. vbi de communi teſtatur; Hæc enim prohibitio alienationis non eo directa eſt, vt non minuantur facultates Eccleſiæ, quo caſu procedere poſſet prima opinio, ſed vt augeantur, euidenſque ſit Eccleſiæ vtilitas, & tunc largo modo intelligitur alienatio, vt comprehendat eiuſmodi repudiationem l. magis puto 5. §. fundum. ff. de reb. eor. vt egregiè oſtendit M. Antonius Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in ſuo quem nouiſſimè edidit tract. de Practicabil. Eccleſ. cap. 150. num. 2. vbi alios congerit, Quibus conuenit Lambertin. de iure patronat. lib. 3. art. 9. quæſt. 2. nu. 21. vbi bene loquitur, ſic diſtinguendo.

CONSTIT. II.

OMnem quidem fraternitatem, & infra pag. 1. Bullarij. Edita Anno 452.

COMPENDIVM.

Approbat Concilium Chalcedonenſe in rebus fidei tantum. §. 1. Damnat ſectatores Neſtorij, Eutychetis, & Dioſcori. §. 2. Pręcipit obſeruantiam Concilij Niceni. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Cur confirmat Pontifex hoc Concilium in rebus fidei tantum?

RESP. Quia in hoc Concilio Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus fuerat Patriarcha, & tributus ei fuerat primus locus poſt Romanum Pontificem, vt conſtat ex eiuſdem Concilij Can. 28. & ex Epiſtola eiuſdem Concilij ad hunc Pontificem. Cæterum vtrumque priuilegium repugnabat Canonibus Concilij Niceni: & ideo iſta priuilegia Papa reprobauit, vt conſtat ex iſtius Bullæ. §. 3. & in pleriſque alijs eius Epiſtolis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Horum improborum hæreſes, quæ erant?

RESP. Sicut conſtat ex Concilijs Epheſino primo, & Chalcedonenſi, plures erant, eæq; ſignanter contra fidem Catholicam de duabus Chriſti naturis coniunctis in vna perſona Verbi Dei, tametſi inter ſe valde eſſent diſſidentes iſtæ hæreſes; Nam Neſtorius ponebat in Chriſto non tantum duas naturas, ſed etiam duas perſonas, eaſq; coniungebat ſolo amore, & affectu. Eutyches è contra non tantum negabat in Chriſto duas perſonas, ſed etiam duas naturas. Eccleſia contra vtrumque, in hoc Concilio diffiniuit, eſſe in Chriſto vnam tantum perſonam, Diuinam ſcilicet, & duas naturas, hoc eſt Diuinam, & Humanam.

GELASIVS I. Aphricanus.

creatus Anno 492.

CONSTIT. I.

VAlde mirati ſumus, & infra pag. 2. Bullarij. Edita Anno 495.

COMPENDIVM.

Probat quod damnato Euthychete, & eius hæreſi, eius ſectatores damnati cenſentur. §. 1. Idemq; de Sabellio, & alijs. §. 2. & ſeqq. ac §. 19. & ſeq. Quodq; Sedis eſt Apoſtolicæ, Concilia approbare. §. 6. Et omnes ipſa iudicat & à nemine iudicatur, nec ab ea appellatur. §. 11. & ſequentib. Recenſet improbitates Acacij hæretici, iureq; eum dam-

Digitized by Google

natum fuiſſe. §. 7. 23. & ſeqq. Oſtendit Conſtantinopolitanam Eccleſiam cæteris Patriarchalibus non eſſe maiorem. §. 26. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Antiquior ne Pontifex pronunciauit, quod iſte pronunciat Pont. de Sede Apoſtolica in §. 6.?

RESP. Syluester Primus hæc eadem ſcripſit in eius Epiſtolis, quæ inter Decretales cuſæ ſunt, & Innocent. I. in cap. nemo. cauſ. 14. quæſt. 3. Poſtea hic idem Gelaſ. in cap. ſequen. ad omnes Epiſcopos, vt in alio cap. ſubſequen. particulæ huius hic poſitæ Conſtitutionis habetur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Conſtantinopolitana Eccleſia eſt ne cæteris maior poſt Romanam?

RESP. Pro certo hoc habeas, ſic enim conceſſum eſt ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi cap. 5. vnde ſumptus eſt tex. in c. antiqua. 23. de priuileg. & ab Eugenio IIII. infra in ſua conſtit. 17. Lætentur. §. 9. pag. 285. in primo tom. Bullar.

PELAGIVS II. Romanus, creatus anno 579.

CONSTIT. I.

Edita Anno 589.

MAnifeſto ſicut optauimus, &c. infra pag. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus vniuerſalem ſe ſcribere, & Conſtantinopolitanam Sinodum vocare generalem, aliosq; Epiſcopos ad eam conuocare præſumpſit. §. 1. Illam ergo hic Pontifex irritat, & ius generalis Sinodi conuocandæ, ad Romanum dumtaxat Pontificem ſpectare aſſeuerat. §. 2. Id alijs Epiſcopis præſumere interdicit. §. 3. Ioannem, & prædeceſſores proprijs eorum ſcriptis Primatum Romani Pontificis affirmaſſe, & nihil de illius priuilegijs vnquam vſurpare, anathematis vinculo ſe aſtrinxiſſe refert. §. 4. Idcirco eos excommunicatos eſſe, & niſi Ioannes citò ſe emendauerit, ab ipſo etiam excommunicandum fore decernit. ibid. Patriarcharum quemquam, ſe generalem nominari prohibet. §. 5. Ioannis præfati auerſionem à bono, dolenter enarrat. §. 6. Romanam Eccleſiam à Domino eſſe inſtitutam, & caput omnium Eccleſiarum affirmat. §. 7. Cõſultationibus ſupradictorum Epiſcoporum reſpondet. §. 8. Paſtorales quaſdam admonitiones eiſdem ſubiungit. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Vocabulum vniuerſitatis Patriarchis vetitum in §. 5 quo pacto intelligendum?

RESPONDEO. Longo ſermone opus eſſet pro eius plena explicatione, Te igitur remitto ad perlegendam Epiſtolam 206. III. lib. 2. Epiſtolarum, quæ incipit *Apoſtolicæ Sedis*, adnotationeſq; ad tex. in cap. vlt. diſtinct. 99. & quæ ibi, & in cap. præcedenti ſcripſit Turrecrem. poſt alios antiquiores Canoniſtas.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid Patriarchæ, Reuerendiſſimi appellari poſſunt?

RESP. Non eſt dubium, vt habetur in cap. Conſtantinus, cauſ. 13. diſtinct. 96. & ſcribit Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 1. num. 155.

IOANNES XV. Romanus, creatus Anno 985.

CONSTIT. I.

Edita Anno 993.

CVm conuentus eſſet factus, & infra pag. 9. Bullar.

COMPENDIVM.

Lectus fuit coram iſto Pontifice liber vitæ Vldarici Epiſcopi Ciuitatis Auguſtanæ in princip. Et etiam miraculorum. §. 1. Proinde idem Pont. Vldaricum, Sanctum pronunciat. §. 2. Eius decreto contrauenientibus pœnas indicit. §. 3. Obſeruatores benedicit. §. 4. Eidem decreto Epiſcopi, & Cardinales ſubſcribunt.

Schol. primum.

Quæro. Huius ſancti Epiſcopi vitæ, & miraculorum acta, in iſta Conſtitutione à Pontifice nõ deſcripta, vbi quærẽda?

RESP. Apud Baronium, Abbatem & Surium de Vita SS. tom. 4. ſub die 4. Iulij, necnon apud Trithemium de Viribus Illuſt. S. Benedicti lib. 3. cap. 213. & lib. 4. cap. 222.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur primo loco Epiſcopi, & deinde Cardinales conſtitutioni huiuſmodi ſe ſubſcripſerint?

RESP. Quoniam poſt eam anno ſcilicet 1059. Nicolaus II. in Concilio Romano eam edidit conſtitutionẽ, qua cauetur, electionem Romani Pontificis ſpectare ad Cardinales, vt inquit Ioan. à Capiſtran. de Author. Papæ par. 2. primæ par. princ. & Gundiſalu. Villadieg. de Origin. Cardinal. q. 5. num. 18. Baron. in ſuis Annal. Tom. 11. pag. 255. Hinc ergo aucta eorum dignitate, Epiſcopis, & alijs Prælatis de cætero præeminentes fuerunt, vt ex Petro Damian., inquit Sigon. in Hiſtor. de Regno Italiæ anno 1059. & clarè dignoſcitur ex ſubſcriptionibus eorum, in Bullis poſtea editis.

LEO IX. Germanus, creatus anno 1049.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1051.

QVia authore Deo, &c. infra pag. 10. Bullar.

COMPENDIVM.

Damnat Auximanorum abuſum inuadendi domos Epiſcoporum, diripiendiq; eorum bona. §. 1. & 2. Temeratoribus excommunicationem indicit. §. 3. & 4. Obſeruatoribus verò honorem, & gloriam. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Cur Auximani, quibus hoc dirigitur decretum in bona defuncti eorum Epiſcopi irruerunt?

RESP. Ex Petri Damiani epiſtola quadam ad Clementem Papam, inquit Baron. in Ann. eccleſ. tom. 11. pag. 179. quod facinoroſus fuerat ille Epiſcopus, Eccleſiæque, vt tyrannus, non vt paſtor præfuerat, vnde Ciuium animi exaſperati, furorem in illius bona conuerterunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Epiſcopum ipſum, populus offenderet, vel interficeret?

RESP. In primo caſu offenſionis, pœnam excommunicationis in Concilio Viennenſi edixit Clem. V. in clem. 1. de pœn. refert Clar. quæſt. 77. nu. 23. In ſecundo autem caſu interfectionis, priuatur etiam honore, & dignitate Epiſcopali, cap. ita nos, cauſ. 25. q. 2. Iaſ. in l. 2. C. de inoff. teſtam. n. 4. Plaza in Epit. delict. lib. 1. cap. 22. n. 22. verſ. his omnibus, vbi ſubdit, quod hæc pœna temporalis eſt, ideo ex iuſta cauſa etiam innocentes eam pati poſſunt. Quod Bald. in l. 3. C. de furt. nu. 4. limitat ſi Epiſcopus ſit ſolummodo electus, & ſequuntur Iaſ. & Plaz. iam citati.

II.

Edita Anno 1053.

CVm ex venerabilium canonum, & infra pag. 10. Bullarij.

COMPENDIVM.

Epiſcopum Carthaginenſem declarat eſſe primum Archiepiſcopum, præter Romanum Pontificem, totiuſque Aphricæ eſſe maximum Metropolitanum. §. 1. & 3. Pontificem quoque Romanum, & non alium, vniuerſale Concilium conuocare, & Epiſcopos condemnare poſſe, prout in Sacris Canonibus conſtitutum eſt, & Sacra Scriptura demonſtrat §. 4.

Schol.

Digitized by Google

Schol. primum.

Quæro. Num ante hunc Pontificem, alij quoque hæc eadem hic diffinita, decreuerunt?

R E S P. Marcellus I. qui Pontifex die 21. Decembris anni 304. creatus fuit, necnon Iulius I. die 16. Ianuarij 336. ad Pontificatum euectus, hæc edixerunt, vt habetur in cap. 1. & 2. diſt. 17. de quibus meminit Iacobat. de Concil. lib. 3. num. 279. & Marcus Mantua in ſuo Dialogo de Concil. num. 36. & ſcribit etiam Ciacon. de vit. & geſt. dictor. Pontt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo tempore ortum habuerunt Concilia generalia?

R E S P. Quamplures ſunt de hoc opiniones, quas recenſet Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 1. num. 69. & ſeqq. Mihi ea magis placet, quod Nicenum Concilium tempore Siluestr. I. actum, magis propriè dici poſſit generale: eo quod illud primum cum Epiſcopis vniuerſi Orbis celebratum fuit, tunc ſi quidem à Conſtantino Imperatore id permiſſum fuit, & non antea, ob Eccleſiæ perſecutiones, vt poſt alios, refert Iacob. vbi ſupra.

A L E X A N D E R II. Italus, creatus anno 1061.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1072.

NVlli fidelium, & infra pag. 10. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Approbat Cōgregationem Monachorum Eremitarum Camaldulenſium Ordinis S. Benedicti. §. 1. Enunciat loca Eremi Camald. §. 2. Perturbari vetat. §. 3. Præcipit eis perſeuerantiam, in celſitudine vitæ contemplatiuæ. §. 4. & ſeq. Perturbatores excommunicationem incurrere decernit. §. 6. Obſeruatoresq; benedictionis gratiam, & vitam æternam mereri. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. A quo, & de quo tempore iſta Congregatio fuit inſtituta?

R E S P. Anno circiter 1012. à S. Romualdo nobili Rauennate in Italia ſub Pontificatu Benedicti V I I. qui dicebatur V I I I. In Eremo Camaldulenſi ſic à Camaldulo loco ipſo nuncupata, inſtituta fertur, à Marco Ant. Marſil. in tract. de Eccleſ. Reddit. cap. 16. num. 7. & latius à Ciacon. de vita, & geſt. Bened. V I I. in princip. Et quamuis Remund. Fraguier. in tract. de Relig. ſect. in verſ. Camaldolenſes, aſſerat inſtitutam fuiſſe ſub anno 1033. ſub Bened. IX. id tamen inepte dixit, cum Bened. I X. anno 1303. in Pontificem aſſumptus fuerit; Antea inſuper anno 1022. ſub eod. Bened. V I I I. B. Romualdi eiuſque Monachorum ſanctæ vitæ inſtitutionem, ſanctumque eiuſdem cum Henrico Imperatore, qui eo anno in Italiam aduenerat colloquium habitum, recenſet ex Petro Damiano, Baronius in Annal. eccleſ. tom. 11. pag. 69.

Schol. ſecundum.

Quæro. Scio hunc Pontificem Alexandrum Monachis intra clauſtra Monaſteriorum morari, & à prędicatione ceſſare prępcepiſſe, cap. iuxta 16. q. 1. Sed dic amabo ante, vel poſt eiuſmodi regulæ approbationem, id fecit?

R E S P. Anno 1063. id egiſſe ſcribit Baron. mox citatus pag. 344. apud quem, etiam videre poteris, quamobrē id ab eo tunc factum fuerit. Conſule etiam Azorium de huius Congregationis inſtitutione, & hac Pontificis confirmatione agentem Inſtitut. Moral. tom. 1. lib. 11. cap. 21. pag. 1568.

G R E G O R I V S VII. Italus, creatus Anno 1073.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1073. & 1080.

BEate Petre, & infra pag. 12. *Item*. Si literas ibid. *Item*. Quoniam pag. 13. Bullarij. *Item*. Beate Petre. ibid.

C O M P E N D I V M.

Deponit, & excommunicat Henricum Quartum nuncupatum Imperatorem. §. 1. in 1. conſtit. Abſoluit vaſſallos à iuramento fidelitatis §. 2. Pręcipit Prę latis, & alijs, vt ſtudeant eius conuerſioni in 2. conſtit. in princ. Iubet alium Imperatorem eligi, eo non redeunte. §. 2. ibid. Illum poſtea redeuntem abſoluit, in conſtit. 3. §. 1. Recipit ab eo iuramentum. §. 4. Quæritur de illius reincidentia in ſubſeq. conſtit. §. 3. Ipſum iterato declarat excommunicatum cum ſuis fautoribus. §. 6. & ſeq. Confirmat electionem Rodulph. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Henrici exitus, quis fuit?

R E S P. Audi Baronium tom. 11. Annal. pag. 540. in fine, ſic reſpondentem. Qui Gregorium Papam patrem contempſit, à filijs ſuis ipſe deſpectus, atque regno pulſus, in exilio mori coactus eſt, infelix priuatoſq; regno deceſſit, quem apoſtolicæ Sedis ſententia regni abrogatione mulctauit, &c.

Schol. ſecundum.

Quæro. Rodulphi electio fuit ne ab iſto Pontifice promota, vel eius partes adiutæ?

R E S P. Quicquid alij ſcribant, veriſſimum videtur, ſine eius conſilio id actum fuiſſe, ne mendacem firmemus eſſe hunc Pont. id aperte negantem in hac Henrici damnationis conſtitutione. §. 3. pag. 13. Quam veritatem multis comprobat argumentis, Baron. in ſuis Annalib. eccleſ. tom. 11. pag. 509. & ſeq. & conueniunt ſcripta à Ciacon. in Vita huius Gregorij.

V R B A N V S II. Gallus, creatus Anno 1088.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1090.

CVm vniuerſis, & infra pag. 14. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Approbat Congregationem Monachorum Vallis Vmbroſæ Ordinis S. Benedicti. §. 1. Elargitur aliqua priuilegia. §. 2. & ſeqq. Conſtituit caput d. Congregationis Monaſterium Vallis Vmbroſæ. §. 7. Perturbatoribus pœnam, & obſeruatoribus ſalutem indicit. §. 9. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore initiata fuit iſta Congregatio? & à quo?

RESP. A Beato Ioanne Gualberto Ciue Florentino inſtitutam non ambigitur, ſed inſtitutionis tempus eſt in magna controuerſia, ſiquidem Marc. Anton. Marſil. de reddit. eccleſ. cap. 16. num. 8. & Ciacon. de vita, & geſt. Ioann. X I X. affirmant B. Ioannem Gualbertum eo ſub Pont. & anno 1030. fundaſſe iſtam Congregationem horum autem aſſertio veritati non cohæret, ſi credimus Baron. in ann. eccleſ. tom. 11. pag. 177. dicenti, B. Ioannem Gualbertum Monachum in Monaſterio Paſſiniano in Herruria duos piſces eius iuſſu mirabiliter captos Leoni IX. illac tranſeunti obtuliſſe, & deinde noui Ordinis Monachorum Vallis Vmbroſæ inſtitutorem factum fuiſſe. Et conuenit Eman. Roder. de quæſtion. regul. par. 1. q. 3. art. 4. dicens, circa annum 1060. iſtam Congregationem à B. Ioan. Gualberto exordium habuiſſe. Habemus etenim ex Baron. pręcit. pag. 344. quod de anno 1063. Monachi Vallis Vmbroſani, quemdam Theuto eorum Monachum beatum colebant, & hinc patet quod inepte locutus eſt Remund. Frag. de Religioſ. ſect. aſſeuerans ſub Alex. II. 1070. B. Ioannem authorem fuiſſe huius Congregationis poſtea approbatæ à Gregor. V I I.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc Vallis Vmbroſa qua in parte Hetruriæ eſt?

R E S P. In parte montis Appennini, prope Ciuitatem Florentiæ ad duo milliaria, teſte Eman. Roder. vbi ſup. & eſt certiſſimum.

PASCHALIS II. Italus, creatus anno 1099.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1100. **D**Eſiderium quod ad Religioſum propoſitum, & infra pag. 15. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suſcipit ſub protectione Sedis apoſtolicæ Monaſterium Ciſtercij. §. 1. Perturbari prohibet. §. 2. Confirmat concordiam initam cum Monaſterio Moliſmenſe. §. 3. Hortationem paſtoralem ſubijcit. §. 4. Contrauenientibus pœnam indicit. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Ciſtercienſium Monachorum Congregatio, quæ ſexta eſſe dicitur Ordinis S. Benedicti, iam diu forſan inſtituta fuit?

RESP. Attende Baron. ſic dicentem in Annalib. Eccleſ. tom. 10. pag. 714. in fi. Hoc ipſo anno nempe ſalutis noſtræ 1098. & Vrbani II. Pont. 11. Sedis apoſtol. authoritate, iacta ſunt prima ſundamenta Ciſtercienſis Ordinis, ex quo tamquam è fonte, riui vniuerſum Occidentalem Orbem donis cæleſtibus irrigarunt. Hoc idem habet Sur. de Vita Sanct. ſub die 29. Aprilis, & Ciacon. de vita, & geſt. Vrb. II. verſ. Sexta, & Azor. de inſtitut. moralib. tom. 1. lib. 12. pag. mihi 1569. Aberrauit ergo Remund. Fraguier. de relig. ſect. verſ. Ciſtercienſes, ſcribens anno 1097. hunc Ordinem à d. Pont. approbatum.

Schol. ſecundum.

Quærò. Cur Ciſtercienſis Congregatio nuncupatur? & à quo inſtituta fuit?

RESP. Quæſito ſatisfaciunt iam citati authores, dum affirmant, S. Robertum Abbatem Monaſterij Moliſmenſis ſiti in Epiſcopatu Lingonienſi, impulſu cuiuſdam Ardhinghi eius Monachi vna cum alijs viginti vno, Ciſtercium locum ipſius Ardhinghi, in vaſta Eremo diſtrictus Burgundiæ Cabilonenſis agri ad maiorem Monaſticæ vitæ profectum migraſſe. Quæ autem concordia inter duo antedicta Monaſteria poſtea ſecuta fuerit, & ab iſto Paſch. II. in hac eius conſtit. approbata, & ſi à me non quæris, ab eiſdem tamen authoribus recenſita perlegere poteris.

II.

Edita Anno 1106. **Q**Vanto Lateranenſis Eccleſia, & infra pag. 16. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit Canonicis Lateranenſis Baſilicæ S. Saluatoris de Vrbe, parochiam certis finibus deſignatam. §. 1. & 2. Alia pia loca ibi conſtrui vetat. §. 3. Perturbatoribus pœnã, & obſeruatoribus benedictionem ſubijcit. §. 4. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Ordo iſtorum Canonicorum quando initiatus, & à quo?

RESP. Originem à SS. Chriſti Apoſtolis primum traxiſſe, & à S. Auguſtino poſt modum eorum Congregationem ordinatam dicunt, Boer. de ſtatu, & vita Eremitar. num. 2. Remund. Fragu. de relig. ſect. col. 2. verſ. Succeſſit, & poſtremo Eman. Roder. de quæſt. regul. q. 3. artic. 1. & enarrat Pius IV. in conſtitut. 75. *Sedis*. vbi his Canonicis pręcedentiam ante Monachos deberi diffiniuit. Sed in his conſule Azor. de Inſtitut. moral. lib. 12. cap. 22. pag. mihi 1570.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quare hæc Baſilica, S. Saluatoris nuncupatur Lateranenſis?

RESP. Ab Ædibus Laterani, quæ, vt Public. Vict. ſcribit, erant in regione ſecunda Cælimontana nuncupata, quas magnificentiſſimas fuiſſe teſtatur Iul. Capit. in M. Aurel. Imperat. & Victor in Seuero. Fuit autem poſtea dicta, Baſilica Conſtantiniana, eo quod Conſtantinus Imperat. eas in Eccleſiam mutarit, auxerit, ornaritque vt hæc omnia ſcribit Baron. in Martyrolog. ſub die 9. Nouembris, quo eius baſilicæ feſtum dedicationis celebratur.

III.

DOminum excelſum habentes præ oculis, & infra pag. 16. Bullar. *Edita* Anno 1110.

COMPENDIVM.

Canonizat Petrum Epiſcopum Ciuitatis Anagniæ in prouincia Campaniæ pro S. Confeſſore. §. 1. Eius miracula à Brunoro Signenſe Epiſcopo adnotata eſſe indicat. ibid.

Schol. primum.

Quæro. Vbi vitam, & miracula huius Sancti in iſta conſtitutione non relata, addiſcam?

RESP. Extant de hoc tabulæ eccleſiæ Anagninæ, eiuſque præclara acta ſcribit S. Bruno eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus.

Schol. ſecundum.

Quæro. An Epiſcopo in ſua diœceſi, liceret hoc tempore aliquem Sanctum canonizare?

RESP. Negatiuam ſententiam libentius amplecterer, nam quamuis poſtea Innoc. III. hoc Epiſcopis vetuerit in cap. 1. de rel. & ven. Sanctor. non tamen inde ſequitur antea Epiſcopis licere, ſecundum Butr. Imol. Abbat. Anchar. Hoſtienſ. & alios relatos à Troil. Maluit. de Canon. Sanctor. in 2. dub. num. 5. & ſeqq. vbi latè de hoc articulo diſſerit.

CALLISTVS II. Gallus, creatus anno 1119.

CONSTIT. I.

OMnipotenti Domino, & infra pag. 17. Bullar. *Item*. Ego Calliſtus. ibid. *Edita* Anno 1122.

COMPENDIVM.

Lætatur cum Henrico V. Imper. de eius cum S. R. E. reconciliatione §. 1. Qui Henricus eccleſiæ inueſtituras reſtituit in ſeq. diplomate. Et Papa deinde illi regalia retroceſſit in alio ſubſeq. reſcripto.

Schol. primum.

Quæro. Quando, & à quo fuit anathemate alligatus Henricus iſte?

RESP. Anno iiij. Paſchalis II. Pont. anno 12. in pluribus Concilijs, & rurſus anno 1119. à Calliſt. Pap. II. ſuo Pontif. 1. in generali Concilio Rhemenſe, vbi præſentialiter ſe contulit, vt diſertiſſimè omnia enucleat Baron. in annal. eccleſ. tom. 12. pag. 89. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quamobrem prędictus Henricus depoſitus fuit, & excommunicatus?

RESP. Tot tantaq; ſcelera ille admiſit, vt libello hic opus eſſet, pro eorum aliquali relatione, perlege itaque Baron. mox citatum, qui fuſè omnia enarrat.

HONORIVS II. Italus, creatus anno 1124.

CONSTIT. I.

CHariſſimus frater noſter, & infra pag. 18. Bullarij. *Edita* Anno 1130.

COMPENDIVM.

Approbat Concilium Toronenſe, & eius obſeruantiam pręcipit in principio. Damnat quaſdam prauas conſuetudines Regni Britanniæ, diripiendi bona poſt naufragium ad portum perducta, vſuſque poteſtatis ſecularis auferendi bona mobilia viri, vel vxoris pręcedentis. §. 1. Comprobat leges ciuiles circa bona naufragantia. §. 2.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. In eo regno Britanniæ, vbi tot prauæ aderant conſuetudines, ſcis ne è contrario aliquam tunc extitiſſe conſuetudinem laudabilem?

RESP. Tertiam partem bonorum mobilium tenebantur Britanni relinquere in morte, conuertendam in vtilitatem Eccleſiarum, & pauperum, Abb. poſt alios in cap. Apoſtolicam 42. de Simon. num. 4. Gemin. conſ. 139. num. 6. Redoan. de Simon. par. 3. cap. 25. num. 32. Prǫterea vſque de tempore Alexandri III. prǫſtabant Anglici quoſdam denarios Romanæ Eccleſiæ, faciebantque collectam denariorum, propter B. Petri viſitationem, vt habetur in capit. ea quæ 12. iuncta gloſ. in v. collectam, de cenſib.

Schol. ſecundum.

Quæro. Britones ſunt ne ijdem, quod Britanni?

RESP. Sic arbitror, cum à Britone Rege Britannia appelletur, & ita ſentit Alber. in ſuo Dictionar. vbi ſubdit, Britannos nobiles reputari, eo quod à ſanguine Troiano originaliter deſcenderint, quod antea ſcripſerat, Henric. Boich. in cap. Venerabilis 37 de prǫben. num. 2. quem citat etiam Gamb. de auth. leg. lib. 7. nu. 275.

INNOCENTIVS II. Roman. creatus anno 1130.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1134.

DIuinis reſpondentes beneficijs, &c. infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ennunciat canonizaſſe S. Hugonem Epiſcopum Gratiopolitanum in princip. Iubet Guidoni Carthuſien. Priori, vt eius vitam, & miracula deſcribat. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Hugo iſte, qui migrauit ad Dominum anno ſuperiori 1132. 1. Aprilis, vt prǫfatus Guido Carthuſiæ Prior, & alij ſcribunt, cur tam breui temporis interuallo inter Sanctos refertur hoc anno 1134. vt firmat Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 213. & 229. in fin. cum canonizatio, longa temporum ſerie differri ſoleat, pro indaganda veritate circa ſanctitatem, & miracula canonizandi, teſte Chryſoſt. homil. 53. in Matth. 15. tom. 2.?

RESP. Colligitur reſponſio à Baron. mox citato aſſerente, quod canonizatio fuit promolgata ab iſto Innoc. II. Piſis, adhibito conſilio Prǫlatorum, qui Generali Concilio illic congregato interfuere.

Schol. ſecundum.

Quæro. Indica quæſo vbi perlegā eius vitā, & miracula.

RESP. Apud prǫfatum Guidon. & Sot. ſub die prima Aprilis, & 5. Octobris in vita S. Brunonis, necnon Petr. Cluniac. lib. 2. cap. 28. & Vinc. lib. 27. cap. 8. & 12. vt me docet Baron. in Martyrol. ſub hac eadem die 1. Aprilis.

II.

Edita Anno 1139.

PEr prǫſentia ſcripta, &c. infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prǫcipit carceribus mancipari in religioſis locis Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia hæreticos. §. 1. Eorumque libros publicè concremari, in fi.

Schol. primum.

Quæro. Quæ prǫcipua erat hæreſis iſtorum?

RESP. Perſtringendo enormes Petri errores, S. Bernardus ſic ſcripſit in eius epiſt. 192. Cum de Trinitate loquitur, Sapit Arrium, Cum de gratia, ſapit Pelagium, Cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium, &c. ſic refert Baron. in Annal. eccleſ. tom. 12. pag. 291. Arnaldus autem d. Petri diſcipulus fuit, & Clericorum, Epiſcoporum, & Monachorum perſecutor appellatur, à Baron. ibid. pag. 281. vbi aliqua de eo impia refert.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis prǫdictorum exitus fuit?

RESP. Impar proculdubio, Petrus namq; eiuratis erroribus, monaſticam amplectitur diſciplinam, & ſancto fine vitam claudit in monaſterio Cluniacenſi, ſic ſcribit Petr. Cluniac. lib. 5. epiſt. 20. & Baron. in dictis. Annal. tom. 12. pag. 292. Arnaldus vero, in manus tandem Adr. IV. Pontificis deuenit, deinde à Prǫfecto Vrbis ad rogum damnatur, comburitur, & cinis in Tyberim ſpargitur, ne à ſtolida plebe eius corpus venerationi haberetur, vt ex Ottone Friſingh. Baron. vbi ſupra recenſet pag. 390.

EVGENIVS III. Italus, creatus anno 1145.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1152.

SIcut per literas, & infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iuſſerat ſuis legatis, vt de vita S. Henrici Regis inquirerent, in princ. Relationem de eius miraculis habuit. §. 1. SS. catologo eum aſcribit. §. 1. Eiuſq; feſtum agi iubet. ibidem:

Schol. primum.

Quæro. In conſtit. 1. Gregor. VII. ſupra pag. 3. agitur de excommunicatione Henrici IV. Imperat. Quo igitur pacto hic Henricus I. Imperator appellatur?

RESP. Ille vere erat Rex & non propriè Imperator, eo quod à Sede Apoſt. non fuit vnquam coronatus cap. Per venerabilem 34. de elect. & incuria impreſſionis deficit ibi verbum. (dictus) Hic ergo vere primus fuit hoc nomine Imperator, quia vt refert Baron. in Annal. tom. 11. pag. 8. a Bened. VIII. Romæ coronatus fuit anno 1014.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huius Imperatoris vitam, & miracula quis deſcripſit.

RESP. Plures quidem recenſiti à Baron. in Martyrol. ſub die 14. Iulij, qua huius Sancti feſtum agitur, & ipſe quoque multa de eo ſcripſit in Annalib. loco nunc citato.

II.

Edita Anno 1152.

SAcroſancta Romana Eccleſia, & infra pag. 19. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat Statuta edita ab Ordine Ciſtercienſi Monachorum S. Benedicti. §. 1. & 7. Refert quædam eorum ſtatuta. §. 2. & ſeqq. Et ſignanter quod in omnibus locis obſeruetur Regula S. Benedicti. §. 3. Et quod non eligatur Abbas de alio Ordine. §. 6. Monacique non trahantur ad iudicium ſeculare. §. 10. Perleguntur alia poſt ipſam conſtitutionem.

Schol. primum.

Quæro. Inter hæc ſtatuta, eſt ne prohibitio nutriendi comam, & barbam?

RESP. Ex eorum lectura, negatiua reſponſio probatur, nec quidem neceſſaria fuit, cum iam diù clericis omnibus interdictum id fuiſſe legatur in Concil. Carthagin. 4. cap. 44. & refert Baron. in Annalib. tom. 5. pag. 64. Quamuis huius Canonis lectio varia ſit, & pleraque manuſcripta habeant, neque barbam radat, nec tondeat, vt notat Binius in editione Concil. Coloniæ Agrippinæ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ab iſtis regulis, & ſtatutis, abſolutus ne remanet Monachus ſi fiat Epiſcopus?

RESP. Abſoluitur ab officio monachali, ſi ſit factus Epiſcopus eccleſiæ ſecularis, quia debet eam Eccleſiam regere, ſecundum officium Clericorum ſecularium gloſ. in clem. 2. de celebrat. miſſar. Abſoluitur à vigilijs indictis à regula gloſ. in cap. 3. cauſ. 16. q. 1. Non tamen abſoluitur à continentia, & voto paupertatis, vt nihil ſibi ipſi acquirat, quod de eo in morte diſponere poſſit, Bald. in cap. Clerici 15. de vita, & honeſt. cleric. num. 7. & latius Abb. num. 19. Et neque abſoluitur à delatione habitus monachalis, vt inquit idem Abb. & eſt communis opinio, quam ſecutus eſt Zabarel. in clem. 1. de ſtatu monach. in fin. & Bertach. in ſuo tractat. de Epiſcopis lib. 4. par. 1. in princip. & lib. 2. quæſt. 16.

Digitized by Google

ANASTASIVS IV. Romanus, creatus anno 1153.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1154

POteſtatem ligandi, & infra pag. 21. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat Canonicos regulares in ſacroſancta Lateranenſi eccleſia S. Saluatoris de Vrbe. §. 1. & 2. Dat formam eligendi futurum Priorem. §. 3. Elargitur aliqua priuilegia. §. 4. & ſeqq. Et præcipit qualibet hebdomada Capitulum celebrari. §. 10. Sanctionem pœnalem apponit. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Cur dedicatio huius baſilicæ dumtaxat, in vniuerſali Eccleſia quotannis die 9. Nouembris celebratur?

RESP. Optimo quidem iure, cum illa ſit parens, & caput omnium eccleſiarum, teſte Baron. in Martyrol. ſub dicta die, & vſque in hodiernum diem, in capella Sanctiſſ. Saluatoris d. Baſilicæ, inſcriptus legitur hic verſus. Non eſt in toto Sanctior orbe locus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quam ob rem confirmatio iſtorum Canonicorum in d. Baſilica edita fuit?

RESP. Quia anno 312. Conſtantinus Imperator regias domos, quas Laterani conſtruxerat, & intra quas, baſilicam pro Chriſtianæ religionis cultu ædificauerat. Melchiadi Papæ I. largitus fuit, prout ſcribit Optatus Mileuitanus contra Parmenianum lib. 1. & Baron. in Annalib. tom. 3. pag. 91. & 249. litera B, & deinde Benedictus Papa I. eamdem baſilicam dedit Monachis S. Benedicti. Gregorius dialog. lib. 2. in princ. & Baron. in Annal. eccleſ. tom. 7. pag. 551. in princ. Poſtea habuerunt ſeculares, & poſtremo regulares à Paſch. II. conſt. 2. ſup. pag. 4. quorum electio iuſtè timebatur ab eiſdem, ſicut poſtea euenit, vt ibi Genitor meus indicauit in rubrica d. conſt. 2. Bull. pag. 16.

II.

Edita Anno 1154

CHriſtianæ fidei religio, & infra pag. 22. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat hoſpitalitatem in princ. Recipit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ hoſpitale Hieroſolymitanum. §. 1. Permittit eidem acquiſitionem bonorum ſtabilium. §. 2. Concedit priuilegia, & exemptionem à decimis. §. 3. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Cur hoc nomine iſtud hoſpitale nuncupatur?

RESP. Hieroſolymis etenim inſtitutum fuit, & S. Ioāni Baptiſtæ ſacratum, non longe à Sepulchro Chriſti, quia poſt recuperatam Hieruſalem cœnobia infinitæ affluenti multitudini non ſuppetebant; Rectorque illius poſt aliquot annos, vna cum ſocijs ſuis habitum religionis aſſumpſit, crucemque albam in pectore gerere, certa ſe aſtringens vitæ diſciplina inſtituit, ita Ciacon. de vita, & geſt. Paſchal. II. verſ. anno. & ante eum Polyd. Virgil. de inuent. rerum. lib. 7. cap. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo igitur pacto iſti Hoſpitalarij, dicuntur milites Hieroſolymitani, Rhodij, & Melitenſes?

RESP. Hieroſolymitani quia plerique eorum ſtudio rei militari ſe dederunt, vt defenderent peregrinos ad Hieruſalem proficiſcentes aduerſus Saracenos, qui illis admodum infeſti erant, Sed à Saracenis Hieruſalem occupata, Rhodij, & Melitenſes nuncupati etiam fuere quia ad eam Inſulam Rhodij primum, & ea per Solimanum 12. adempta, ad Meliten. Inſulam poſtremo eorum ſedes tranſducta fuit, vbi contra infideles ſtrenue pugnant, vt recenſent præciati authores, ac etiam Eman. Roder. de quæſt. regular. lib. 1. quæſt. 5. art. 2. & Azor. de Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 5. pagina mihi 1612.

ALEXANDER III. Italus, creatus anno 1159.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1161

ILlius deuotionis conſtantiam, & infra pag. 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

Henricus Rex Angliæ, illiuſque Regni Prælati, apud Pontificem inſteterunt, pro canonizatione Eduardi Regis Angliæ. §. 1. Quia attentis illius meritis, & miraculis, inter ſanctos Confeſſores illum adſcribit. §. 2. Hortatur Prælatos, & alios ad illius venerationem. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quis deſcripſit vitā, & miracula huius Regis?

RESP. Alredus Abbas, & retulit Sur. de vita Sanctorum tom. 1. & in append. ad vitam S. Eduerdi tom. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quanto tempore poſt eius obitum Rex iſte inter Sanctos relatus fuit?

RESP. Elapſis centum ferme annis, vt arbitratur Baron. in Annal. tom. 12. pag. 467. littera C, quod quidem eueniſſe ſcimus etiam in canonizatione S. Staniſlai, qui anno 175. poſt martyrium catalogo Sanctorum fuit adſcriptus, ab Innoc. IV. inf. in ſua conſtit. 13. vbi de cauſa, ob quam magno tempore Romani Pont. eiuſmodi canonizationes differre ſoleant dicetur.

II.

Edita Anno 1164

COntingit olim, & infra pag. 24. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamplurimi apud hunc Pontificem poſtularunt, Bernardum Abbatem Claraualenſem canonizari, vt in princ. Qui multis miraculis claruit. §. 1. Ideoq; is Pontifex illius meritis, & miraculis cognitis, inter SS. Confeſſores refert. §. 2. Eiuſque feſtum agi iubet, ibid.

Schol. primum.

Quæro. De morte abs te, de meritis & miraculis huius Sancti.

RESP. Guillelmus Abbas Bonæ vallis, & Godrefidus Monachus Clareuallenſis, quinque libris ea digeſſerunt, & diſertiſſime etiam Baron. in Annal. eccleſ. tom. 12. pag. 177. & perſæpe vſque ad pag. 385.

Schol. ſecundum.

Quæro. Migrauit ex hac vita B. Bernardus ann. 1153. Cur ergo tam breui temporis ſpatio, anno ſcilicet 1164. hic Pont. promulgauit eius canonizationem, quæ in annos plurimos differri ſolet, vt mox ſupra etiam dictum fuit?

RESP. Quia ſummis Pontificibus, & Senatui Apoſtolico cuncta & mirabilia quidem eius geſta pro Republica Chriſtiana, & orthodoxæ fidei ampliatione, ſequentibus ſignis, geſta notiſſima, luceque meridiana erant clariora, vt ſcripta præfatorum authorum perbelle omnes docent.

III.

Edita Anno 1165

QVanta vniuerſæ Eccleſiæ Dei, & infra pag. 24. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert mala euentura ex diſſentione inter Regem Francorum, & Regem Anglorum, in princ. Ideoque mandat Cardd. Sed. Apoſt. Legatis, vt eam æqua lance tractare curent, §. Prohibetque ne intrent Regnum Angliæ, niſi præuia reconciliatione Thomæ Archiepiſcopi Cantuarien. cum Rege Angliæ. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nonne inter Ludouicum nempe Francorum, & Henricum Anglorum Reges iſtos, anno 1162. hic idem Pontifex ad Galliam profectus, pacis medio, paſchali tempore, diſſidia compoſuit, illique præterea eidem humili obſequio inſeruierunt?

RESP. Fateor, ſic etenim ſcribit Robert. in Chronic. & Baron. tom. 12. pag. 478. litera B, ſed ſuperſeminante humani generis hoſte zizaniam, diſſenſiones reiteratæ ſunt, Baron. vbi ſup. pag. 557. in princ. quæ tamen non longe poſtea extinctæ fuerunt.

Schol.

Schol. ſecundum.

Quæro. De reconciliatione autem S. Thomæ, quid?

RESP. Longa oratione opus eſſet, vide ergo ea omnia ſcripta à Baron. tom. 12. ab anno 1162. vſque ad 1170. quo S. Thomas crudeliter occiſus, martyr Chriſti euaſit glorioſiſſimus d. anno 1170. & ab iſtomet Pontifice deinde Martyrum albo aſcriptus, vt legitur in conſtit. ſeq.

IIII.

Edita Anno 1173. **R**Edolet Anglia, & infra pag. 24. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Thomæ Cantoarienſis merita, & miracula magna fuerunt, in princ. Ideoq; hic Pont. aſcribit catalogo ſanctorum Martyrum B. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem. §. 2. Iubet eius feſtum agi die ſui martyrij. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quod genus martyrij fuit?

RESP. Baron. præclare, & pie in Annal. tom. 12. pag. 640. ex Roger. quem citat in annal. Anglican. truncato recenſet expiraſſe capite, quod ille in modum orantis, quatuor carnificibus inclinauit, ſummæ conſtantiæ paſtoris relinquens exemplum, certandi vſque ad mortem pro libertate Eccleſiæ vendicanda.

Schol. ſecundum.

Quæro. An in canonizatione Martyris, miraculorum inquiſitio neceſſaria ſit?

RESP. Non equidem, vt exempla habemus S. Ioannis Baptiſtæ, & SS. Innocentum, vt tradit Aug. Triumph. de poteſt. eccleſ. quæſt. 16. art. 3. Sed ne credas S. Thomam miraculis non claruiſſe, illud vnum refero, quod Roger. de martyrio & ſepultura S. Thomæ, ſcribit dicens, Expletis per Monachos circa eius corpus obſequijs humanitatis, cum iam in choro iaceret ſuper feretrum, circa auroram leuata manu dextera, dedit benedictionem.

V.

Edita Anno 1175. **B**Enedictus Deus in donis ſuis, & infra pag. 25. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat in Hiſpanijs quoſdam nobiles viros, ſub vnius Magiſtri obedientia ſtare cœpiſſe, Militiã S. Iacobi de Spatha conſtituentes. §. 1. & 2. Recipit eorum Ordinem ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 3. Concedit facultatem conſequendi bona. §. 4. Vetat eiſdem proprietatem. §. 5. Permittit matrimonium. §. 6. Prohibet receſſum ab Ordine. §. 7. Dat formam cogendi Capitulum generale, & eligendi Magnum Magiſtrum §. 8. Ac Viſitatores. §. 9. Deſignat victum, & veſtitum. §. 10. Præſcribit munus Commendatoris, §. 11. Committit curam hoſpitum, & indigentium. §. 12. Elargitur priuilegia. §. 13. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quibus inſigoijs, vtitur Ordo iſte?

RESP. Ciacon. de vita, & geſt. huius Pont. inquit, vti enſe rubro in pectore geſtando, propterea q; nuncupatur Ordo militaris S. Iacobi Enſige:i, à qualitate inſigniorũ, & concordat Petr. Greg. de ſyntag. iur. par. 2. lib. 15. c. 35. nu. 9. Sed Azor. de inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 5. pag. mihi 1613. inquit, quod inſigne his Militibus eſt, in veſte candida Crux rubra, in gladij militaris modum conformata.

Schol. ſecundum.

Quæro. Sunt ne re vera religioſi, iſti quibus à ſummo Pontifice permiſſum eſt coniugium?

RESP. Negatiuam ſententiam tenet S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 4. reſp. ad tertium, dicens quod non ſunt ſimpliciter & abſolute loquendo religioſi, ſed ſecundum quid, in quantum participant aliqua ad ſtatum religionis pertinentia, & S. Thomam ſequuntur alij Theologi. Verumtamen contraria opinio ſtantibus conſtitutionibus apoſtolicis verior videtur, cum hi religioſi promittant paupertatem, caſtitatemq; coniugalem ordinatam ad eumdem ſtatum militarem, ac obedientiam Magno Magiſtro, vt erudité oſtendit Nauar. de reddit. eccleſ. quæſt. 1. monit. 55. per tot. & quæſt. 3. monit. 27. & ſeqq. & nouiſſime Eman. Rod. quęſt. regul. lib. 1. quæſt. 1. art. 6. vbi cæteros allegat.

VI.

Edita Anno 1175. **A**Poſtolicæ Sedis, & infra pag. 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Ordinem Monachorum S. Baſilij in monaſterio S. Saluatoris in Ciuitate Meſſanen. §. 1. & 2. Comprobat largitiones Rugerij Regis Siciliæ. §. 3. Enumerat loca ordinis in Sicilia, & Calabria. §. 4. Præſcribit munus Archimandritæ eiusq; authoritatem, & electionem. §. 5. & 6. & 13. Elargitur his Monacis poteſtatẽ acquirendi bona, recipiẽdi religioſos, & exemptionem à decimis. §. 7. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. S. Baſilij regula nonne eſt antiquior regulis S. Benedicti, & aliorum Monachorum approbatis?

RESP. Ita proculdubio, vt deducit Caccialup. in conſ. 4. nu. 39. impreſſo poſt conſ. Zabar. & Caſſ. de glor. mund. par. 4. conſiderat. 54. poſt D. Ant. Florent. in 2. par. ſuæ Hiſtoriæ tit. 15. cap. 12. in fi.

Schol. ſecundum.

Quæro. Archimandritæ nomen de quo in §. 5. & ſeqq. vnde ſumptum?

RESP. A verbo græco Archos, ideſt latine Principe, & Mandros, quod eſt ouis, ſic inquit Accurſ. in l. 4. alias in epiſtola Nos reddentes. §. Manifeſtum. C. de ſumm. Trinit. & fide Catholica, quem ſequitur Alber. in ſuo dictionar. in V. Archimandrita, Vel ab Archos, & Mandra, hoc eſt ſpelunca, ſiue cauerna, eo quod Monachorum regularium duces ſint, qui eremos, & ſpeluncas incolebant, vt ſcripſit M. Antonius Marſil. de reddit. eccleſiaſt. cap. 15. nu. 10. de quo meminit Gregor. Toloſan. in ſuis ſyotagmat. iuris vniuerſ. lib. 15. cap. 13. num. 5.

VII.

Edita Anno 1176. **C**Vm Vos per Dei Gratiam, & infra pag. 28. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Ordinem Fratrum Carthuſianorum. §. 1. Iubet Ordinem non perturbari. §. 2. Prohibet prope eos aliorum Religioſorum domos conſtrui. §. 3. Eorumq; bona diminui. §. 4. Contrauenientibus pœnas indicit. §. 5. Fautoribus pacem. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quam regulam ex approbatis à Sede Apoſtolica iſte Ordo profitetur?

RESP. Non ſubeſt alicui regulæ, ſed ſuis pro regula vtitur conſtitutionibus, & habetur in magna veneratione, vt ſcribit D. Anton. Florent. par. 3. ſuæ Summæ tit. 16. cap. 1. §. 6. & ſequitur Caſſan. de glor. mund. p. 4. conſid. 62. & etiã Eman. Roder. lib. 1. quæſt. regul. quæſt. 3. art. 8. & Azor. de inſtit. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 21. pag. mihi 1665.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne laudabilis Ordo iſte?

RESP. A ſancto Brunone Colonienſi Theologo, & Canonico Rhemenſi arctiſſimum vitæ inſtitutum prodijt, ſub perpetuo fere ſilentio, Et commendatur admodum de arcto huiuſmodi ſilentio, magnis vigilijs, prolixitate officij, & auſteritate à s. Bernardo Abbate Clareuall. & Petro Abb. Cluniacen. vt ſcribit Baron. in Annal. tom. 11. pag. 21. littera D, & Nauar. de regular. comment. 4. num. 31.

VIII.

Edita Anno 1177. **E**Xigunt gratiſſimæ deuotionis obſequia, & infra pag. 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert pacem ſibi, & S. R. E. redditã, à Friderico Theutonicorum Imperatore in Ciuitate Venetiarum die 21. Iulij 1177. §. 1. & ſeq. Dictum Imperatorem ſchiſmati renunciaſſe. §. 2. Maximumq; honorem & reuerentiam ſibi Pontif. præſtitiſſe, eiq; deuote dextraſſe. §. 3. & 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſibi vult illud verbum dextrauit, de quo in §. 3. & 4.

RESP. Dextrare eſt Papæ incedenti, dexterum brachium, & latus ſuſtinere.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Fabulantur ergo, qui aſſerunt, hunc Pontificem, perhorreſcentem Venetijs, Imperatoris exercitum, coqui ſui veſtibus indutum, ro in habitu Venetias profugiſſe, & ad Diuæ Virginis de Charitate monaſterium profectum, ibique receptum, horto præpoſitum fuiſſe?

RESP. Proculdubio fabulantur, vt vides ex hoc textu, ad ampliorem tamen ſatutitatem perlege præclariſſima, de eiuſmodi impoſtura, ſcripta Baron. in Annal. eccleſ. tom. 12. pag. 690. & ſeq. & antea Roger. de Houed. in Annal. Anglican. cui adhæret Seuerin. Bcn. in ſua 1. nota ad generale Concil. Lateranenſe 3.

I X.

Edita Anno 1178

QVoniam in agro Domini, & infra pag. 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat vrgentiſſimas cauſas, ob quas Concilium generale Lateranenſe celebrandum ſit. §. 1. Indicit prædictum Concilium. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne illo anno 1179. d. Concilium celebratum?

RESP. Vuilhelmus Archiepiſcopus Tyri, qui d. Concilio interfuit, & acta deſcripſit, affirmat fuiſſe celebratum anno 1180. die 5. Martij, vt recenſet Baron. in Annal. to. 12. pag. 717. litera B, Et hinc corrigendi ſunt Ciacon. & alij ante illum dicentes, iſtud Concilium actum fuiſſe dicto anno 1179.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne verum eſt, Concilium generale quolibet decennio celebrari debere iuxta decretum Concilij Conſtantienſis?

RESP. Dictum decretum non fuit vſu receptum, quia numquam fuerunt obſeruata interſtitia temporum, ſed pro exigentia cauſarum, congregari conſueuit, vt ſcribit Iacobat. de Concil. lib. 4. art. 1. nu. 9.

VRBANVS III. Italus, creatus anno 1186.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1187

CVm anteceſſor tuus, & infra pag. 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recipit ſub protectione Sedis Apoſt. Hoſpitale Fratrum Ordinis Cruciferorum in Ciuitate Bononiæ, in princip. Concedit exemptionem à decimis, & alia quædam priuilegia. §. 1. Et facultatem alios ad Ordinem recipiendi §. 1. Perturbari vetat. §. 3. Licentiam erigendi Oratoria concedit. §. 4. Chriſma & alia ſacramenta ab Epiſcopis recipi decernit. §. 5. Annuam præſtationem Sedi Apoſtolicæ dari iubet. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quo authore, Genitor tuus ſcripſit in rubr. huius bullæ fol 29. in Bullario, hunc Ordinē à B. Cleto fuiſſe inſtitutum, & à Pio II. habitum cęrulei coloris præfinitum?

RESP. Primum probat eo quod ſic enunciatum Greg. XIV. per eum allegatus, nec ſui inſtituti munus fuit, authores citare vnquam pro declaratione, aut intelligentia conſtitutionum, Hoc tamen ſcripſit Eman. Roder. lib. 1. quęſt. regular. quæſt. 3. art. 11. & Azor. de inſtit. moral. to. 1. li. 13. cap. 11. pag. mihi 1661. Secundum probant Roderic. & Azor. vbi ſupra. Qui Azor. alia de huius Ordinis initio ibidem ſcripſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Aliud ne Monaſterium eiuſdem Ordinis proximis annis fuerat alibi, quam Bononiæ erectum?

RESP. Anno 1169. Alexander III. in Ciuitate Beneuenti, Ordinem fratrum Cruciferorum S. Mariæ formauerat, qui Xenodochiorū curam, maximo pietatis ſtudio, ſibi aſciuerant, ac magnam ob id apud homines gratiam conciliatant, ita ſcribit Ciacon. in vita d. Alex. III.

CÆLESTINVS III. Romanus, creatus anno 1191.

CONSTIT. I.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & infra pag. 30. Bullarij. Edita Anno 1192

COMPENDIVM.

Refert Vbaldum Epiſcopum Eugubinum iuſtam, piamque vitam duxiſſe, & miraculis claruiſſe in princ. Adiungit ergo numero SS. Confeſſorum. §. 1. Inſtituit eius feſtum pro die 16. Maij. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Eius res geſtas quis deſcripſit?

RESP. Surius de vit. Sanct. to. 3. die 16. Maij in impreſſione de anno 1572. & alij quos recenſet Baron. in Martyrolog. vbi non bene legitur Sanctum Vbaldum vixiſſe in Epiſcopatu vſque ad tempora Alex. IV. Ille enim fuit longe poſtea ad Pontificatum aſſumptus anno 1254. Prout corrigendus videtur Sur. vbi ſup. dicens S. Vbaldum floruiſſe vſque ad annum 1210. quia vt vides, hoc anno 1192. inter SS. relatus eſt, ita aduertit Baron. in Annal. eccleſ. tom. 12. pag. 852. litera B.

Schol. ſecundum.

Quæro. Miracula in eiuſmodi canonizationibus, quomodo ſunt examinanda?

RESP. Summa quidem diligentia ob plurimas, quæ deſuper exoriri ſolent difficultates, vt diſcernantur vera à ludificatorijs, & ideo Concil. Trident. in admiſſione nouorum miraculorum, Epiſcoporum, Theologorum, & aliorū piorum virorum operam requirit. ſeſſ. 25. de Reliq. SS. prope finem. Teſtes adhibendi de circumſtantijs miraculorum diligenter interrogandi ſunt, conteſtes de eadem re eſſe, cauſamque ſcientiæ explicare debent. cap. Venerabili, cum ibi not. 52. de teſtib. Archid. in cap. Nec mirum. cauſ. 26. q. 5. nu. 7. Alex. conſ. 100. lib. 5. nu. 5. Bal. in l. 3. Cod. de teſtib. nu. 23. Curt. in tract. de teſtib. nu. 80.

I I.

GLorioſus Deus in Sanctis ſuis, & infra pag. 31. Bullarij. Edita Anno 1193

COMPENDIVM.

Narrat B. Ioannem Gualbertum inſtituiſſe Congregationem Monachorum Vallis Vmbroſæ, & miraculis claruiſſe. §. 1. Aſcribit eumdem albo SS. Confeſſorum. §. 2. Iubet eius feſtum celebrari. §. 3. Refert miraculum inclinationis Crucifixi. §. 4.

Schol primum.

Quæro. Extant ne tabulæ rerum geſtarum huius Sancti?

RESP. Extant res geſtæ ac fideliſſime ſcriptæ, quas refert Sur. de vita SS. tom. 4. teſte Baron. in Martyrolog. die 12. Iulij, vbi ſubdit, hunc Sanctum è vita migraſſe anno 1073. Vnde liquet, eius canonizationem dilatam fuiſſe vſque ad hanc diem 6 Nouemb. 1191. Vnde corrigendus videtur Ciacon. in vita huius Pont. dicens canonizationem peractam Kal. Septembris eiuſdem anni.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ eſt hiſtoria miraculi indicati in §. 4?

RESP. Audi Baronium in Annal. eccleſ. in princ. anni 1051. ſic de eo dicentem. Ante decennium (vt eius habent acta) innoteſcere Orbi cępit, egregia ſanctitate ipſe Ioannes, dum parcens inimico, veniam in nomine Chriſti crucifixi petenti, ſibi oranti, Crucifixi imaginem inclinare caput, in ſignum gratæ ſibi admodum actionis aſpexit; cum iam a victus diuina clementia, monaſticæ vitæ arripuit inſtitutum, quam hiſtoriam ſuſius deſcribit Azor. de inſtit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 21. pag. 1568.

I I I.

REligioſam vitam eligentibus, & infra pag. 31. Bullarij. Edita Anno 1197

COMPENDIVM.

Recipit Congregationem Monachorum Montis Virginis. §. 1. Iubet ab eis obſeruari regulam S. Benedicti. §. 2.

Digitized by Google

§. 2. Concedit acquiſitionem, & retentionem bonorum. §. 3. Enunciat ea quæ d. Monaſteriū poſſidet. §. 4. Elargitur exemptionem à decimis, & alias gratias. §. 5. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Circa hanc exemptionem iſtinc vel alij Monachi fraudem commiſerunt, ſi vicinorum animalia immiſcegunt cum ſuis, vt fruantur exemptione?

RESP. Clemens V. eiuſmodi fraudem committentibus, certas pœnas inflixit, in clem. 1. de Decim. vbi ſcribb. vberrime de hoc agunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ad dictam pœnam conſequendam, ſatis ne eſt probare contrauentionem d. clem. vel etiam probandum eſt, quod dolo ſit contrauentum?

RESP. Satis eſt probatio actus, abſque probatione doli, cum religioſi habeant contra ſe ius commune cap. Ad decimas, cum ibi not. de reſtit. ſpoliat. Et hoc dummodo, niſi aliqua rationabilis præſumptio pro religioſis deducatur, vt aduertit Bellam. in repet. d. clem. nu. 206. & Zabar. ibid nu. 3.

INNOCENTIVS III. Italus, creatus anno 1198.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1198.

OPerante diuinæ diſpoſitionis clementia, & infra pag. 33. Bullarij.

COMPENDIVM.

Regulam fratrum Trinitatis redemptionis Captiuorum à Fr. Ioanne Miniſtro propoſitam examinari fecit. §. 1. Illam approbat. §. 2. Eiuſq. capitula in ſua conſtit. inſerit cap. 1. & ſeqq. Inſtitutum Ordinis eſt, incarceratos pro fide Chriſti à Paganis redimere, & quod pro hac redemptione exponatur tertia pars bonorum vndequaque prouenientium. ibid. Aliquæ conſtitutiones pro Ordinis meliori directione ſubſequuntur.

Schol. primum.

Quæro. Quod cognomen erat Ioanni qui huius regulæ author dicitur. in §. 1.?

RESP. Ioannem de Mata inquit Ciacon. in vita huius Pont. & Azor. de Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. c. 11. pag. mihi 1660. vbi egregiè hiſtoriam inſtitut. huius Ordinis enarrat, quam veriorem puto. Sed aliter eam refert Eman. Roder. lib. 1. quæſt. regular. qu. 3. art. 12. Ioannemq. Merencis nuncupatum affirmat, ſubdens fuiſſe ſocium Vuilhelmi Ducis Aquitaniæ & Comitis de Pictauia, qui iamdudum temporibus Anaſtaſ. IV. & Adrian. IV. zelo redemptionis captiuorum accenſus aliquas Confraternitates ad huiuſmodi pium miniſterium inſtituerat in Regno Galliæ, quod vltimum tenet etiam Caſſan. de glor. mund. par. 4. conſid. 63.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne opus redemptionis, quod valde pium ab omnibus reputatur, aliquo priuilegio à lege decoratum?

RESP. Multis quidem, ſed vno ſis modo contentus, nempe quod ſtatutum quo mulierum, vel minorum contractus abſque certa initi ſolennitate irritantur, non habet locum, ſi fiant pro redimendis captiuis l. penul. cum ibi not. C. de donat. Rom. conſ. 316. in fin.

II.

Edita Anno 1198.

QVia pietas promiſſionem habet vitæ, & infra pag. 35. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro canonizatione duo requiri inquit. Opera pietatis in vita canonizandi, & miracula poſt mortem. §. 1. Hæc duo in perſona S. Homoboni probata fuerunt. §. 2. Illum propterea inter SS. Confeſſores canonizat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Cur exactè hæc duo in canonizatione SS. requiruntur?

RESP. Quia ex cauſa canonizationis eſt de maioribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponuntur, gl. & ſcribb. in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. in 6. & poſt alios Troyl. Malu. in ſuo tract. de Canoniz SS. 2. dub. nu. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Præter in hac bulla recenſita, alia ne extant præclara geſta huius Sancti?

RESP. Extant quidem edita à Collegio eccleſiæ Cremonenſis, & habentur apud Sur. de vita Sanctor. tom. 6. vt inquit Baron. in Martyrolog. die 13. Nouemb.

III.

Edita Anno 1199.

EXco te radicatum in fide Catholica, & infra pag. 36. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Gregorium Catholicum Armeniorum Epiſcopum, agnoſcere primatum Petri. §. 1. Papamq. eius caput, & Epiſcopos eius membra. §. 2. Lætatur ſecum de ſupradictis. §. 3. Hortatur eumdem ad perſeuerantiam. §. 4. Exercitum parari ſubdit pro ſobuentione Terræ ſanctæ. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quot modis conſtat de eiuſmodi primatu Petri, & Succeſſorum eius?

RESP. Ex pluribus locis euangelicæ hiſtoriæ, & alibi necnon tex. & ſcribb. in extrauag. *Vnam ſanctam*, in tit. de maiorit. & obed. in qua Boniſat. VIII. hanc veritatem diffiniuit, & ſuper ea habemus optimum Commentar. Pegn. in Direct. inquiſit. par. 1. comment. 8. Nec omittas videre epiſtolam à Greg. IX. antea ſcriptam ad Germanum Patriarcham Conſtantinopulitanum die 26. Iulij 1231. & alteram die 18. Maij anni ſubſeq. quas an. 1186. ex Vaticano deſcriptas, in lucem edidit Gerard. Voſſius qui eas erudutiſſimis ſcholijs illuſtrauit. Perlege etiam B. Ioann. à Capiſtr. in ſuo tract. de Author. Papæ par. 2. par. 2. & Simanc. de cathol. inſtitut. tit. 45. per tot.

Schol. ſecundum.

Quæro. Veritati ne cohæret in Armenia, S. Bartholomeum viuum à barbaris decoriatum fuiſſe?

RESP. Verum id aſſirmatur in Martyrol. Rom. edito per Baron. vbi nc, habetur etiam Aſtyagis Regis iuſſio die 25. Auguſti capitis decollatione martyrium compleuiſſe.

IIII.

Edita Anno 1199.

IN Eccleſiam ſuam congregatam, & infra pag. 37. Bullarij.

COMPENDIVM.

Authoritatem Romani Pontificis ſuper omnes in toto Orbe demonſtrat in princ. Quam refert agnouiſſe Leonem Regem Armeniorum, ideoq. inſtructionem doctrinæ Chriſtianæ, & coronationem ab Epiſcopo Maguntino recepiſſe. §. 1. Quam ipſe Pontiſex confirmat. §. 2. Eumdem hortatur ad expugnandam barbariem paganorum. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si Papa coronat Reges, dici ne poteſt, quod etiam deponit?

RESP. Authoritates & exempla clara ſunt, & in hoc opere Genitoris mei extant aliquæ conſtitutiones, & hodie alia exempla perlegi apud Franc. Arias in ſuo tract. de Bello, & eius inſtit. nu. 210. & ſeq. ac Nauar. in relect. cap. nouit. 13. de iudic. ſub nu. 55.

Schol. ſecundum.

Quæro. Tempore huius Pontificis, Paganorum & Saracenorum promoueuis exitium. §. 2. & 3. & aliqua ne victoria parta eſt?

RESP. Hic Pontifex vbi cognouit Mahometanorum Regem, ingenti claſſe in Hiſpaniam traieciſſe, publico edicto omnes arma ferre valentes, contra eum concitauit, & die 16. Iulij 1212. Hiſpani miraculoſam victoriam adepti ſunt, vnde apud eos partæ victoriæ annua feſtiuitas celebratur, quæ Crucis triumphus nuncupatur, ſecundum Diacon. in vita huius Pont. verſ. Innocentius vbi d. victoriæ magnalia refert.

Rex

Digitized by Google

V.

Edita Aooo 1204 REx Regum & Dominus dominantium, & infra pag.37.Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat primatum Petri, & Succeſſorum eius in princ. Mittit Regi Bulgarorum, & Blachorum diadema Regni. §.1. Dat facultatem cudendi monetam. §.2. Concedit Archiepiſcopo Innouaten. poteſtatem de cætero ſuos in Regno ſucceſſores coronandi. §.3. Hortatur ad perſeuerãtiam in obedientia Sedis Apoſtolicæ. §.4. Sanctionem pęnalem apponit. §.5.

Schol. primum.

Quæro. Alterum ne extat exemplum, quod Papa ius coronandi Reges Archiepiſcopo dederit?

RESP. Habemus eiuſdem Pontificis exemplum infra in conſtit.8. & anno 1206. Vnde corrigendus eſt Ciacon. qui in vita huius Pontif. factum illud enarrat ſecutum anno 1204. Accedit aliud exemplum Pipini Francorum Regis, qui anno 750. vnctus eſt in Regem à S.Bonifatio Archiepiſcopo Moguntino iuſſu Zachariæ Papæ, vt habent Annales Francorum, & aſſerunt communiter Hiſtorici ad eumdem annum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Supponitur ne in §.2. quod facultas cudendi monetam, ſit de reſeruatis ſupremo Principi?

RESP. Et iure quidem hoc probat Bald. conſ.376. li.3. ſub nu 1. vbi inquit etiam quod conſuetudo quoque confert ius cudendi monetam, & in hoc extat gl.ordin. in rub. C.de vet.ou.pot.lib.11. cui adhæret Curt. ſen. in ſuo tract. de monet. in princ.ac Mart. Laud. in ſimil. tract.num.1.

VI.

Edita Anno 1204 LIcet ante tuæ promotionis tempora, & infra pag.38.Bullarij.

COMPENDIVM.

Reges Bohemiæ à Rom. Pont. vſque modo Reges nominatos minime fuiſſe refert, in princ. Et neque ab iſto Pontifice. §.1. Sed Othonis in Imperatorem electi precibus, titulo Regis nominari concedit. §.2. Ad agnitionem huius gratiæ illum Regem hortatur. §.3.

Schol. primum.

Quæro. Cur Otho. in §.2. abſolute non appellatur Imperator, ſed electus in Imperatorem?

RESP. Quia aliàs tibi dixi, nemo eſt verus Imperator, quouſque à ſummo Pontifice non extiterit coronatus, quod tradit etiam Caſſan.de glor.mundi par.5. conſid.29. Quamobrem ipſe Otho poſtea anno 1209. Romam venit & ab iſto Pontifice coronatus fuit in baſilica S. Petri die 11. Decemb. eiuſdem anni, ſed leges in coronatione promiſſas male ſeruauit, vt refert Ciacon. in vita d. Pontificis verſ. *qui non ita*

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſte Rex Bohemiæ eſt ne proprie & originaliter de Electoribus Imperij?

RESP. Hactenus non, ſed fuit additus ad tollendam diſcordiam aliorum ſex electorum, ita ſenſit Hoſtienſ. in cap. Venerabilem.34.de elect.nu.1.Zabar. in clem.1.de iureiur.nu.6.Caſtald. qui alios citat in tract.de Imperat.q 8. num.6.& ſeqq.& num.21.ponit tenorem bullæ Carol.IV. Imperatoris Rom. in cuius cap.enumerantur Electores, & inter eos eſt Rex Bohemiæ.

VII.

Edita Anno 1204. INter opera pietatis, & infra pag. 38. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat hoſpitalitatem in princ. Narrat ſe Hoſpitale in Vrbe & loco S. Mariæ in Saxia nuncupato pro pauperibus & infirmis recipiendis, alijſque pijs operibus exercendis erexiſſe. §. 1. Statuit regularem Ordinem ibidem obſeruari. §.2. Decernit munus Clericorum ibi exiſtentiũ, eorumque Magiſtri. §.3. & 4. & 18. vnit. d. Hoſpitale, & aliud S. Spiritus. §.5. & 6. Eximit à poteſtate quorumcumque Prælatorum. §.7. Et à ſolutione decimarum, & ab homagijs. §.12. & 19. Dat facultatem colligendi eleemoſynas. §.8. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt, quod Azorius de inſtitut.moral.to.1. lib.13. cap. 11. inquit hoc Hoſpitale anno 1200. ab iſto Pont.extructum?

RESP. Accurate ille vir id ſcribens verbo (fertur) vſus eſt, & accuratius ſubdit poſt Innocentium fortaſſis, huiuſmodi Congregationẽ Clericorum S. Spiritus inſtitutam, quia vtramque ex tex huius Bullæ amputatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne verum poſtea in generali Concilio Vienneñſi, nõnulla fuiſſe ſtatuta de reformatione Hoſpitalium?

RESP. Quamplura ſunt, quæ hoc loco recenſeri opportunum non videtur, videas tamen clem. 2. de relig. domib. & alteram conſtit. Vrb.V. quam edidit Lup. de Caſtell. in ſuo tract.de hoſpital. nu.90. circa quas pluribus ipſe quæſtiones enucleauit.

VIII.

CVm quanta gloria & honore, & infra pag. 40. Bullarij. *Edita* Aono 1206

COMPENDIVM.

Regio diademate, Petrum II. Regem Aragonum Romæ coronari fecit per Card. Epiſcopum Portuenſem in princ. Donauit eidem inſignia regalia in § 1. Accepit ab eo promiſſionem annui cenſus. §. 2. Indulget eius ſucceſſores coronari ab Archiepiſcopo Tarraconen.apud Cęſarauguſtam. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſolemnia fiunt in eiuſmodi Regis coronatione?

RESP. Libello opus eſſet, ſi hæc tibi explanare vellem. Ea ergo omnia perlege in Pontificali Romæ ædito ann. 1601. pag. 161. & ſeqq. vbi omnia miro ordine digeſta fuerunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſta conſtitutio data eſt menſe Iunij ab iſto Pontifice anno 1206. Pont.9. eſt ne propterea corrigendus Hieronym. Surita lib. 1. an. 1204. qui coronationem ponit ſub an. 1204. & Pont.7.

RESP. Corrigendus proculdubio, vna cum Ciacon. in vita huius Papæ, qui Suritam ſequitur & hanc hiſtoriam ſeriatim ſcripſit, ac tenorem iuramenti & promiſſionis regiæ erga Sedem Apoſtolicam intexuit.

IX.

OPerante Patre luminum, & infra pag. 40. Bullarij. *Edita* Anno 1209

COMPENDIVM.

Ordinem fratrũ Redemptionis Captiuorum approbat. §.1. Facultatẽ ædificandi monaſteria concedit. §.2. Exemptionemque à decimis. §.3. Alios ad Ordinem recipiendi ius tribuit. §.4. & ſeq. Et mortuos in eorum eccleſijs recipiendi. §.8. Miniſtrum generalem, à ſaniori parte Fratrum eligi iubet. §.9.

Schol. primum.

Quæro. Legatum factum pro eiuſmodi Redemptione Captiuorum, nonne dicitur pium?

RESP. Pium adeo eſt, quod permittitur pro hac redemptione, alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ad text. vbi ſcribb. communiter in auth. de alienat. §. Sanctiſſimas.

Schol. ſecundum.

Quæro. Statutum ergo vel lex aliquam formam, vel ſolemnitatem in contractu requirens, habebit ne locum in hiſce legatis?

RESP. Non habere locum oſtendit Tiraquell. de priuileg. piæ. cau. in princ.num. 124. Caputaq. deciſ. 194. lib. 3. no. 1. Rota coram Blanch. in vna Rom. Euictionis Palatij 23. Martij 1588. in manuſcript. latè Gabr. de donat. concluſ.1, num.26.

X.

AD noſtram noueritis audientiam perueniſſe, & infra pag.41. Bullarij. *Edita* Anno 1212

COM-

COMPENDIVM.

Henricus Imper. Conſtantinopolitanus largitiones Eccleſijs fieri vetuit in princ. Eius conſtitutionem, omnibus legibus contrariam, hic Pontifex irritat. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Imperator ergo leges contra leges Pontificias promulgare nequit?

RESP. Iura ſunt clara, & etiam communes DD. opiniones, ſed quod magis eſt, Frideric. Imperator ſua lege hactenus hoc expreſſe ſanciuit, vt videre eſt in prima eius lege, quam inter alias confirmatas ab Honor. III. mox infra in ſua conſtitut. 1. §. 1. perlegere poteris, vbi ſimilem Caroli IV. legem Genitor meus indicauit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Henricus iſte Imperator, fuit ne huius nominis primus in Imperio Conſtantinopolitano?

RESP. Ita quidem, Balduino fratre in eo Imperio ſuccedendo, ex his quæ inter alios ſcripſerunt D. Antoninus 3. par. Hiſtor. tit. 19. cap. 2. § 6. Nicet. Conçat. in Annalib. prope finem, & Nicephor. Gregoras lib. 4. in rubr. de recuperat. Conſtantinop.

X I.

Edita Anno 1213. VIneam Domini ſabaoth, & infra pag. 41. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recuperationem Terræ Sanctæ Hieruſalem, & reformationem vniuerſalis Eccleſiæ affectat. §. 1. Pro hoc orauit ad Dominum. §. 2. Ea propter indicit generale Concilium Lateranenſe. §. 3. De d. recuperatione exploraiuit. §. 4. Concilium prędictum indicit. §. 5. Ad illud Prælatos omnes conuocat. §. 6. & 7.

Schol. primum.

Quæro. Iſtud Concilium, cur magnum à pleriſque nuncupatur?

RESP. Quia anteriora Concilia ſuperauit concurſu Patrum, vltra Papam, Cardinales, & Patriarchas, quorum numerum indicant Matth. Par. & Abba. Viſperg. illius temporis ſcriptores, & Benius in notis huius Concil. ſecundum poſtremam impreſſionem de anno 1606. in Colonia Agrippina.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ fuit cauſa iſtud Concilium indicendi?

RESP. Ad confutandos errores Albigentium, Almarici, Carnotenſis, & Abbatis Ioachimi, vt Benius oſtendit in dictis notis; necnon pro recuperatione Terræ Sanctæ, quarum prima cauſa continetur in illis verbis huius conſtitut. pro reformatione Eccleſiæ; Secunda Clerici ibid. enunciatur, indeq; ſecuta eſt indictio belli, de qua in conſtit. ſubſeq.

X I I.

Edita Anno 1215. AD liberandam Terram Sanctam, & infra pag. 42. Bullarij.

COMPENDIVM.

Indicit de conſenſu Concilij Lateranen. bellum contra Saracenos, & Cruceſignatos conuocat ad illud in princ. Præſcribit munus exercenſ à Clericis. §. 1. Ac etiam Prælatorum. §. 3. Iubet, ab Epiſcopis, & alijs, omnes ad bellum nõ accedentes promoueri ad aliquam ſubuẽtionem. §. 5. Enarrat ſuam contributionem. §. 7. Clericorumq; §. 8. Et Cardinalium. §. 9. Eximit Cruceſignatos à ſolutione collectarum. §. 10. Et à ſolutione vſurarum æris alieni cauſa debitarum. §. 11. Damnat piratas impedimentum præſtantes. §. 12. Necnon Chriſtianos arma, & alia deferentes ad Saracenos. §. 13. & ſeq. Interdicit interim torneamenta. §. 14. Indicit pacem vniuerſalem inter Principes Chriſtianos ad quadriennium. §. 15. Elargitur indulgentias proficiſcentibus ad bellum, vel ei ſubuenientibus. §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Quæ expeditio in executionem huius conſtit. ſecuta fuit?

RESP. Maxima quidem, ita vt non ſolum Imperator Federicus, Regesq; Galliæ, & Bohemiæ, hoc ſigno voluerint inſigniri, vt nouiſſime ſcribit Sebaſt. à Coſta ſuper bulla Cruciatæ per Greg. XIII. edita pro Hiſpanis, in princ. ſed, vt ipſe ſubdit, etiam concurrerunt ad eiuſmodi expeditionem viginti mille pueri Cruceſignati, eorum dumtaxat arbitrio permoti, vt vix potuerint minis, & ſupplicijs abinde reuocari. Quod refert etiam Sebaſt. à Coſta mox citandus, qui tamẽ corrigẽdus videtur in anno 1214. quo hanc exeditionem Cruciatæ conceſſam eſſe affirmat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ante hanc expeditionem fuerat ne prius indicta Cruciata?

RESP. Vrbanus in Concilio cui præfuit, Claramontenſi, eam indixit anno circiter 1095. contra Turcas pro recuperatione Hieruſalem, vt per Baron. in Annalib. Eccleſ. tom. 11. pag. 664. Et huius erat militiæ ſignum, Crux purpureo panno conſuta, quam omnes Milites ſuper veſtibus, & humero dextero geſtare debebant, & innumerabilis ad eam vndique confluit hominum multitudo, & admirabilis ſecuta eſt recuperatio Hieruſalem die 15. Iunij anno 1099. vt perbelle recenſet Sebaſt. à Coſta ſuper interpretat. bullæ Cruciatæ pro Hiſpanis à Greg. XIII. editæ quæſt. 2. & Ciacon. in vita Vrb. II.

HONORIVS III. Romanus, creatus anno 1216.

CONSTIT. I.

HAs leges à Federico, & infra pag. 43. Bullarij. Edita Anno 1220.

COMPENDIVM.

Comprobat leges à Federico Imperatore editas pro libertate, & iuriſdictione eccleſiaſtica. §. 1. Federicus coronatus fuit à Romano Pontifice, vt ipſe recenſet. §. 3. Leges eius decem ſunt. Prima, damnat ſtatura edita, & edenda aduerſus Canonicas, & Imperiales conſtitutiones. Secunda, prohibet imponi collectas ſuper bonis locorum piorum, aut illa immuni. Tertia, ſtatuit perſonas Eccleſiaſticas nõ trahi ad forum ſeculare. Quarta, diffidat Catharos, Patharenos, & alios. Quinta, pręcipit ab officialibus iurari de curãda de Terris eorum exterminationne hæreticorũ. Sexta, & Dominis temporalibus vt moniti ab Eccleſia, omnes hæreticos expellant de eorũ locis. Septima, infligit pœnas fautoribus hæreticorum. Octaua, punit tranſgreſſores. Nona, prouidet ſecuritati peregrinorum aduenarum. Decima, & etiam agricultorum.

Schol. primum.

Quæro. Quis Pontifex coronauit hunc Federicum II. Imperatorem non indicatum in §. 3. & de quo tempore?

RESP. Hic idem Honor. vt Genitor dixit in ſua adnot. in rubr. & habetur in vita huius Papæ, relata in Concilijs generalibus in Colonia Agrippina poſtremo cuſis, & ſcribit etiam Ciacon. in vita eiuſdem, qui ſubdit id actum die 22. Nouembris an. 1220. in baſilica S. Petri.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid iſte Federicus pro Sede Apoſtolica gratitudinis ergo, deinde peregit?

RESP. Mortua Conſtantia matre, quæ ipſum in officio continebat, contra ius & æquitatem, Pontificiam ditionem immemor accepti beneficij vexauit; ob idq, anathemate ab eodem Põtifice percuſſus fuit, ſed Hieroſolymitani Regis tunc Romæ per ipſum Pontificem honorifice excepti precibus, ea lege abſolutus eſt, vt Eccleſiæ ablata reſtitueret, & ad recuperationem Terræ Sanctæ ſecum ſuo exercitu conferret, vt poſt Trithem. in Chronic. habetur in locis proxime citatis. At ille ad eius rediens perfidiam, denuo anathemate percuſſus extitit, vt Genitor indicauit poſt. rubr.

I I.

Edita Anno 1216. REligioſam vitam eligentibus, & infra pag. 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Ordinem B. Dominici ſub regula, quam ipſe delegerat S. Auguſtini. §. 1. Dat facultatem habendi quæcumque bona. §. 2. Enarrat aliqua Ordinis loca. §. 3. Eximit à decimis noualium. §. 4. Indulget receptionem aliorum ad Ordi-

Ordinem. §. 5. Interdicit diſceſſum ab eo, preterquam ad arctiorem. §. 6. Concedit aliqua priuilegia. §. 7. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quare ſtatim fere ad apicem Pontificatus aſſumptus, confirmauit Pontifex Ordinem B. Dominici Calaguritanæ diœceſis Oxonenſis in Hiſpania, cum Rom. Pontt. in hoc perdifficiles eſſe ſoleant?

R E S P. Quia iam antea Innoc. III. eius predeceſſor, eum Ordinem annuerat cõfirmare diuinis viſionibus monitus, dum per quietem ſe vidiſſe teſtabatur B. Dominicum baſilicam Lateranenſem cadentem, ſuis humeris ſuſtentare, vt refert Ciacon. in vita huius Pont. à quo ſubdit B. Dominicum monaſterium S. Sabinæ de Vrbe impetraſſe, in quo & nos adhuc eius fratres extare videmus; & legitur in hiſtoria huius ſancti Viri digeſta à Fr. Ferdinando de Caſtillo.

Schol. ſecundum.

Quæro. Verum ne eſt hunc Ordinem B. Dominico à Glorioſiſſima Virgine M A R I A reuelatum fuiſſe?

R E S P. Sic refert Ant. Florent. in 3. par. Hiſtor. tit. 23. & ſequitur Caſſan. de Glor. mundi par. 4. conſid. 68. & 69. Qui tamen corrigendi videntur, dum putant hunc Ordinem ab iſto Pont. ann. 1208. confirmatum, quia ex Data huius bullæ confirmatio liquet anno 1216.

Edita Anno 1218.

III.

CVm dilecti filij fratres, & infra pag. 45. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratrum Carthuſianorum ſolitudinem perturbari vetat, in princ. Ad teſtificandum, aut iurandum de calumnia cogi prohibet. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Huiuſmodi ſolitudo ad quid proficua?

R E S P. Contemplationi & ſtudio, ſiquidem animus ad plura diſtractus, anxietati ſubijcitur, quæ cerebrum, omneſq; ſenſus hominis impedit, vt cuique patet, & ſcribit etiã Ioan. Lup. in ſuo tract. de matrim. ad finem. Huic ergo Ordini ad contemplationem inſtituti, optime congruit ſolitudo. Nauar. in cap. 1. de pęnit. diſt. 2 ſub num. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne ſolitudo de eſſentia perfectionis?

R E S P. Negatiue cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 8. quem ſequitur Nauar. proxime citatus, vbi ex Caietano, quem allegat, ſubdit nu. 3. duplici via hominem fieri ad ſolitudinem aptum, dono Dei aut magno magnarum exercitio virtutum.

Edita Anno 1221.

IIII.

SEdis Apoſtolicæ circumſpectio, & infra pag. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Lateranenſi Eccleſiæ priuilegium elargitur, quod contra eam non niſi centenaria currat præſcriptio, ſicut contra Rom. Eccleſiam. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Nonne omnes Eccleſiæ hoc eodem priuilegio hactenus decoratæ erant?

R E S P. Erant quidem ſic decoratæ, ad tex. in l. vt inter. 19. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Sed videtur poſtea hoc priuilegium reſtrictum eſſe ad Eccleſ. Romanam, vt in auth. Quas actiones, eod. tit. & cap. Ad audientiam. 14. & cap. ſeq. & DD. ibi communiter de pręſcription. gl. & alij in cap. vlt. cauſ 16. quæſt. 3. Peregr. de iure fiſci lib. 6. tit. 8. num. 42. Eman. Roder. quæſt. regul. tom. 3. q. 35. artic. 2. ac Balb. de pręſcriptionib. in 5. par. in princ. q. 1. n. 16.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne ſaltim appellatione Eccleſiæ Romanæ veniat Eccleſia Lateranenſi, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, & Epiſcopatus Papæ?

RESP. Affirmatiuam ſententiam tenuerunt Archid. in cap. vlt. cauſ. 16. q. 3. & adhæret Bald. in auth. quas actiones, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. num. 16. & ibid. Caſtrenſ. nu. 5. ac Eman. Roder. & Balb. in loc. proxime citatis. Sed hæc ſententia retenta, non inde eiuſmodi conſtitutionem ſuperfluam potes, cum omnem ambiguitatem auferre poſſit, arg. notatorum à Bar. & alijs in l. 1. ff. ad. leg. falcid.

V.

SOlet annuere ſedes Apoſtolica, & infra pag. 46. Bullarij. Edita Anno 1223.

COMPENDIVM.

B. Franciſcus regulam ſui Ordinis firmauit ſuper paupertate, obedientia, & caſtitate, in cap. 1. Recipiendis ad Ordinem, cap. 2. Diuino officio, & ieiunio. cap. 3. Pecunia non recipienda. cap. 4. Modo laborandi cap. 5. Eleemoſyna petenda, & cura Fratrum infirmorum. cap. 6. Correctione Fratrum. cap. 7. Electione Miniſtri generalis, & Capitulo. cap. 8. Pṛędicatione, cap. 9 Admonitione & pęnitentia Fratrum. cap. 10. Prohibitione intrandi Monaſteria Monialium. cap. 11. Euntibus ad Infideles. cap. 12. Protectore Ordinis. ibid. Plane Regulam iſte Pont. approbat, in princip. Teſtamentum B. Franciſci deinde ſubinſeritur à Genitore meo poſt finem d. Regulæ.

Schol. primum.

Quæro. Scimus Ordinem B. Franciſci inſtitutum ante Ordinem B. Dominici, cur nihilominus iſte illi pręcedit, vt loquit tex & gloſ. in cap. quorumdam. 24. de elect. in ſexto, & Felyn. in rubr. de maior. & obed. num. 5. verſ. fratres?

R E S P. Quoniam iſte, vt ex conſtitutionibus prędictis vides ante illum à Rom. Pont. approbatus fuit, vt apud eoſdem DD. habetur, necnon Caſſan. de glor. mundi par. 4. conſid. 69. in fi. qui tamen ex his pontificijs conſtitutionibus errare dignoſcuntur, circa tempus cõfirmationis dictorum Ordinum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſte B. Franciſcus ante, vel poſt recepta Stygmata teſtamentum d. quo hic ſupra, publicauit?

RESP. Poſtea, vt ſcribit Burſat. conſ. 226. lib. 1. ſub num. 38. vbi de hoc B. Franciſci, & etiam Beatiſſ. Virginis, & aliorum SS. teſtamento, commemorationem adnotauit.

VI.

CVm Abbates Ciſtercienſis Ordinis, & infra pag. 48. *Item*. Cum aliquando, pag. 49. Bullarij. Edita Anno 1224.

COMPENDIVM.

Monachos Ordinis Ciſtercienſis eximit à ſolutione decimarum de poſſeſſionibus habitis ante Concilium generale, alijs excolendum conceſſis, noualibuſq; antea, & poſtea acquiſitis, quæ proprijs manibus ipſi excolunt, quam de hortis, virgultis, & piſcationibus ſuis, ſuorumq; animalium nutrimentis.

Schol. primum.

Quæro. Quid venit appellatione noualium, ad effectum decimarum?

R E S P. Innoc. III in cap. quid per nouale 21. de verb. ſignif. inquit, illud dici pręḍium nouale, quod de nouo reductum eſt ad culturam, & de cuius cultura non eſt memoria, & quod prius modicum vel nullum fructum afferebat, & communiter ita tenent etiam Panorm. & alij ibi ſcribb.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi pręḍium in parte fuit alias cultum, in alia vero non?

R E S P. Nouale dici nequit, vt conſulendo reſpondet Panorm. in conſ. 71. lib. 2. ſub num. 2.

VII.

INeffabilis prouidentia Dei, & infra pag. 49. Bullarij. Edita Anno 1225.

COMPENDIVM.

Archiepiſcopus, & Capitulum Rothomagen. & alij ſupplicarunt Papæ, pro canonizatione S. Laurentij Archiepiſcopi Dublinenſis in Hibernia. §. 3. Papa inquiſitionem fieri pręcepit de eius vita, & miraculis. §. 4. Eiuſque virtutes, & miracula verificata fuerunt. §. 6. & ſeqq. Et

pręſer-

Edita Anno 1223.

præſertim mortuorum ſuſcitatio.§.9.Sanctorum ergo Confeſſorum collegio aſcribitur.§.10. Feſtum eius die 14. Nouembris agi præcipitur. §.11. Viſitantibus eius Eccleſiam indulgentiæ conceduntur.§.12.

Schol. primum.

Quæro. Vitam, & miracula in §.4.& ſeqq. indicata, quis explicat?

R E S P. Surius ſincere ſcripſit de Sanctor. Hiſtor. ſub die 14. Nouembris.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui fuit ille mortuus triduanus ab iſto ſancto viro ſuſcitatus,vt dicitur in §.9?

R E S P. Quidam ſacerdos nominé Galuedius, qui in eccleſia B. Martini Dubliniæ miniſtrabat,ipſi Archiepiſcopo clarus, eo quod eum à iuuentute nutriſſet, & eius Clericus fuiſſet,vt enarrat Sur. tom.6. de Hiſtor. Sanctorum, qui inſuper totam miraculi ſeriem recenſet.

V I I I.

Edita Anno 1226.

VT viuendi noſtram, & infra pag. 50. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, Fratribus Eremitis de Monte Carmeli, certam vitæ formulam ipſis poſtulantibus tradidit, in prologo Regulæ; Super electione, & munere Prioris, cap. 1. Cellulis habitationum, cap. 2. Mutatione è cellulis, cap. 3. Loco cellulæ Prioris, cap.4. Manſione Fratrum in cellulis. cap. 5. Horis Canonicis, cap.6. Proprietatis prohibitione cap.7. Oratorio conſtructo,& Miſſa ibi celebranda.cap. 8. Cuſtodia Ordinis, Fratrumque correctione,cap.9. Ieiunij obſeruantia,cap. 10.& 11. Armis ſpiritualibus, cap. 12. Aſſiduitate operationis, cap.13. Silentio,cap. 14. Humilitate Prioris,cap.15. Fratrum veneratione erga Priorem,cap.16. Ex Achon id ſcribit ipſe Albertus anno 1071.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore originem ſumpſit Ordo Carmelitarum,& quis eorum promotor fuit?

Edita Anno 1224.

R E S P. Tempore Alexandri Papæ III. ſcripſit Baron. in Annal.eccleſ.tom.12.pag.761. In fin. vbi ſubdit, eorum promotorem fuiſſe Haimericum, Patriarcham Antiochenum in Oriente Legatione Sedis Apoſtolicæ fungentē, qui conſiderans quamplures ex Occidente veniſſe, vitam Eremiticam actus,in Terra Sancta,hinc inde diſperſos,& barbarorum incurſibus expoſitos,collegit eos in vnū, duxitq; in Montem Carmelum Heliæ habitatione egregie olim nobilitatum. Sed agit fuſius de hac re Azor. de Inſtit. Moral. tom.1.lib.12.cap.23.pag.mihi 1580.& F.Thomas à S.Maria Ord. Carmelit. Diſcalc. Profeſſor in Commentis ſuper Primitiua regula Carmelitarū editis ann.1598. poſt princ. ac F. Ferdinandus à S. Maria Præpoſitus generalis Fratrū Carmelitarum Diſcalciatorum Italiæ, in præfatione libelli de Priuileg.dictorum Fratrum,anno 1617.Romæ editi,& poſtremo Ioannes Cartagena Ord. Minor.lib.17.homil.1. & ſeqq.Et hinc, necnon ex lectura huius conſtitutionis, & regulæ in ea inſertæ,corrigēdus venit Eman. Roder.quæſt. reg.lib.1.quæſt. 2. art. 5. circa tempus regulæ his Eremitis anno vt ipſe putat 1110.traditæ ab Alberto Patriarcha, & approbationem huius Pontificis.

Schol. ſecundum.

Quæro.Nū abſq; miraculo Papa hūc Ordinē cōfirmauit?

R E S P. Audi quid in præfatione ſupradicti libelli enarratur. Dubitāti Pontifici an ſuprad. datis de confirmatione libellis annueret, Virgo Deipara per viſum aſtitit, quod à ſuis filijs, hoc eſt Carmelitis poſtulabatur, vt concederet, commonefaciens, & nonnullos qui aduerſabantur emortuos in pœnam teſtata eſt.

Edita Anno 1225.

G R E G O R I V S IX. Italus, creatus anno 1227.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1227.

FEruor,& integritas religionis, & infra fol.51. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Eremi bona commendantur in princip. Fratribus Eremitis Camaldulenſibus datur facultas recipiendi quoſcunque alterius Ordinis religioſos.§. 1.

Schol. primum.

Quæro. Vnde hoc nomen Camaldulenſium, iſti Eremitæ ſortiti ſunt?

R E S P. Ab antiquo, & ſanctiſſimo Camalduli Conuentu, in territorio Ciuitatis Aretij in Hetruria, à S. Romualdo ædificato. Io. Andr. in cap. ſane 10. de Regular. num.11.& Boer. in tractat. de Statu, & vita Eremit.n.18.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ergo eorum vita contemplatiua?

R E S P. Profecto, eorum præſertim qui ſolitariam vitam agunt, quorum cellæ ſunt in cacumine montis diuiſim locatæ per nemus,vbi eſt vera contemplatio,& aliquid actionis,in quantum ſibi hortum ſingulariter colunt. Ioan. And.in dicto cap.ſane 10. de Regular.num. 11.

I I.

Edita Anno 1228

MIra circa nos diuinæ pietatis dignatio,& infra pag. 51. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Beatum Franciſcum Deus ſuſcitauit in Terris, pro conuerſione,& ſalute multorum.§.1. Qui ſua ſimplici prædicatione,plurimos ad ſalutis viam reduxit.§.2. Pauperem vitā elegit,nuditatem carnem macerauit,ieiunijſq;& vigilijs §.3. Religionem Fratrum Minorum,Monialiumq; , & Tertiariorum regulas inſtituit.§.4.Et tandem obijt.§.5. Miraculis claruit. §. 6. Catalogo SS. Confeſſorum adſcribitur. §.7. Feſtum eius die 4. Octobris agi præcipitur. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Nonne de hac canonizatione extant aliæ litteræ huius Pontificis?

R E S P. Extant aliæ,datæ Peruſis, hoc eodem anno,nō ad vniuerſos eccleſiæ Præſules, ſed per Regnum Franciæ conſtitutos, & incipiunt. *Sicut phialæ aureæ*, Quæ impreſſæ legūtur in exordio collectionis priuilegiorū Ordinū Regular.editæ à Io.Baptiſta Confecto,& poſtea ab Eman. Roder.de bullis regul. pag. 7. in multis partibus, & etiam in tempore datæ ſunt admodum mendoſæ, At Genitor meus illas alias edidit litteras, datas ad vniuerſos Chriſti fideles, eo quod plenius de hac re loquuntur, Vt vero non ignoretur in quibus illæ litteræ à Genitore meo ſedulo prętermiſſæ corruptæ ſiot,eaſdem ſine mendo deſumpſi ex Bibliotheca Vaticana,& regiſtro huius Pontificis.

B V L L A C A N O N I Z A T I O N I S B. Franciſci.

GRegorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,ad perpetuam rei memoriam. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus,Prioribus,Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum Prælatis per Regnum Franciæ conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§.1. Sicut phialæ aureæ quas vidit Ioannes plenas odoramentorum,quæ ſunt orationes Sanctorum, in conſpectu Altiſſimi, ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuauitatis emittunt; ita ſaluti noſtræ credimus plurimum expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolemnibus recoleates præconijs, quorum in cælis ſperamus interceſſionibus aſſiduis adiuuari.

§. 2. Sanè cum de conuerſatione, vita, & meritis beati Franciſci inſtitutoris, & Rectoris Ordinis Fratrum Minorum, qui iuxta conſilium Saluatoris contemptis tranſitorijs, & terrenis iuxta promiſſionem eiuſdem, ad cæleſtia præmia feliciter, & æterna peruenit: cuius vita, & fama præclara, peccatorum depulſa caligine, ambulantes in regione vmbræ mortis, de peccatorum tenebris ad pœnitentiæ viam vocans, quorum tam virorum, quàm mulierum ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam prauitatem, viuit, & adhuc viuet non modica multitudo, tam per nos, quàm per multos alios fide dignos,qui miracula quæ Deus per illius Sancti merita operatur, plenius cognouerunt, certiores effecti: auditis etiā eius virtutibus, & miraculorum inſignijs, & quod inter

eterna-

carnales, ſpiritualiter, & inter homines etiam, conuerſationem angelicam habuiſſet: ipſum qui corporaliter diſſolutus meruit eſſe in cæleſtibus ne ipſius honori debito, detrahere quodammodo videremur ſi glorificatum à Domino, permitteremus vlterius humana deuotione priuari, de Fratrum noſtrorum cōſilio, & Prẹlatorum omniom, qui tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam conſiſtebant, Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum.

§. 5. Cum igitur eius lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam iam non ſub modico, ſed ſo per cādelabrum meruerit colloeari, vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus attentius, & hortamor, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus deuotionem fideliom ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtiuitatem eius quarto nonas Octobris, annis ſingulis excolatis, & pronunciatis conſtituto die ſpecialiter excolendam, vt eius precibus Dominus exoratus, ſuam Vobis tribuat gratiam in prẹſenti, & gloriam in futuro. Dat. Peruſij 7. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Schol. ſecundum.

Quæro. Acta huius Sancti. quis fuſius quam in hac recenſeantur conſtitutione deſcripſit?

R E S P. Sanctus Bonauentura prẹclariſſimas eius res geſtas primum, deinde S. Antonin. in 3. par. tit. 22. cap. 10. Vincent. in Specul. hiſtor., & alij quamplures; & nouiſſime editum eſt Chronicon Franciſcanorum, in quo omnia comprẹhenſa habentur, vt aduertit Baron. in Martyrolog. die 4. Octobris. Et deſcribit etiam in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 766 littera D, quod natus eſt anno 1182. in Ciuitate Aſſiſij ex Petro Bernardone patre.

Edita Anno 1232.

I I I.

QVoties à nobis petitur, & infra pag. 52. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Oblatos Ordinis Cartuſienſis, immunitatibus, & libertatibus Ordinis gaudere, decernit. §. 1. Sanctionem pẹnalem apponit. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quot ſunt genera Oblatorum?

R E S P. Tria, Quidam offerunt ſe tantum Eccleſiæ; Quidam ſe, ſuaq; bona, Quidam bona tantum. Cardin. conſ. 21. nu. 2. Panormit. conſ. 102. lib. 2. nu. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. An iſti Oblati, de quibus loquitur iſta conſtitutio, & qui continentiam, obedientiam, & paupertatem promittunt, ſint verè propriè, & ſtricte religioſi?

R E S P. Nauarr. in conſtit. 7. de Regular. incipien. *An ſit vere* negatiuam ſententiam probat. n. 3. vbi ſubdit, quod non tenentur ad obſeruantiam regulæ religionis, & cærimoniarum eius; ſunt tamen immunes à iuriſdictione laicorum. Panorm. conſ. 53. lib. 1. nu. 2. Calder. conſ. 121. n. 2.

Edita Anno 1232.

I I I I.

CVm dicat Dominus, & infra fol. 53. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sanctos, quos Deus honorat in Cẹlis, multoties miraculis corruſcare facit in terris, prout B. Antoninum Luſitanum, in princip. & §. 1. Paduani inſtiterunt apud Sedem Apoſtolicam pro canonizatione B. Antonij, multis miraculis clari, & virtutibus. §. 1. & 2. Virtus, morum, & veritas miraculorum ad canonizationem neceſſaria ſunt. §. 3. His hábitis de B. Antonio, hic Pontifex SS. Confeſſorum ipſum numero aſcribit. §. 4. Feſtiuitatem pro eo inſtituit in die 13. Iunij §. 5. Viſitantibus eius ſepulchrum indulgentias concedit. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Si Luſitanus eſt B. Antonius ex Ciuitate Vlixbonenſi in Hiſpanijs, cur de Padua nuncupatur?

R E S P. Quia ibi deuotius vixit, & occubuit, multiſq; miraculis claruit: vnde Vrbs illa vſque in prẹſens felici rerum experimento gratulatur, cum propter viri Dei prẹclara merita, innumerabilium hominum frequentia viſitatur, egregijſq; prẹconijs, & eximijs muneribus cohoneſtatur. Sic Sur. tom. 2. de Hiſtor. SS. die 13. Iunij, & aliquid Ciacon. in vita Gregorij IX.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc prẹclara Beati Antonij miracula, quis enarrat?

R E S P. Surius mox citatus, necnon S. Antonin. in 3. par. tit. 24. cap. 3. & nouiſſime habentur omnia in Chronico Franciſcano.

V.

Edita Anno 1235.

BEhemot non contentus, & infra pag. 53. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reformando Monachos Cluniacenſes decernit, quotannis Capitulum generale cogi apud Cluniacum. §. 1. Diffinitoreſq; & Viſitatores in eo eligi. §. 2. Cauſas ad Capitulum deuolutas, ibi diffiniri prẹcipit. §. 3. Et ibidem de reſtrictione Ordinis agi. §. 4. Necnon Capituli ordinationes bis in anno per Abbates recitari. §. 5. Viſitatorum expenſas prẹfinit. §. 6. Abbatum, & Priorum ad Capitulum acceſſurorum numerum terminat. §. 7. Correctores Ordinis in Capitulo eligi mandat §. 8. De beneficiorum collatione agit. §. 9. Deq; amotione Priorum. §. 10. Abbatumq; remotione. §. 11. Necnon de inſtitutione Priorum conuentualium. §. 12. Prioratuum quoque pluralitate. § 13. Extraneis Prioratum interdicit. §. 14. Prioreſq, abſque ſocijs in Prioratibus morari prohibet. §. 15. Cibum vniformem dari iubet. §. 16. Eſum carnium vetat. §. 17. Habitus honeſtatem requirit. §. 18. Equitaturarum ſuperfluitatem damnat. § 19. Normam contrahendi, ac rationis reddendæ ponit. §. 20. Proprietatem vetat. §. 21. Exactioneſq; . §. 22. Aetatem recipiendorum in Ordine declarat. §. 23. Mulieribus Clauſtri, & Chori ingreſſum prohibet. §. 24. Regulæ S. Benedicti obſeruantiam prẹcipit §. 25.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore hic Ordo inſtitutus?

RESP. Anno Domini 913. inquit Caſſan. de Glor: mūd. pat. 4. conſid. 55 poſt Vinc. quem allegat in Spec. Hiſt. lib. 25. Idē q; tenet M. Anton. Marſil. de Eccleſ. reddit. c. 16. n. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis dicti Ordinis promotor fuit?

R E S P. Berno fundator fuit, & ope Vuilhermi Aquitaniæ Ducis in Pago Mariſconenſi, cẹnobium Cluniacenſe ædificauit Baron. in Annalib. Eccleſ. tom. 11. pag. 12. in fin. Decius Bernonis obitu egregie ſcribit Caſſan. de Gloria mundi par. 4. conſid. 55. Vnde nil puto credendum M. Antonio Marſil. mox citato, dum inquit hunc Ordinem ab Othone Muſico inchoatum.

V I.

Edita Anno 1234.

REx excelſus ſummi Regis Deus, & infra pag. 55. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Symmacum Papam alienationem rerum Eccleſiæ interdixiſſe, refert. §. 1. Alienationem Terrarum Sedis Apoſtolicæ ipſe prohibet. §. 2. Quædam ex illis loca ſpecialiter exprimit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si habita ſit licentia Papæ alienandi prẹdium, cuius pecunia in certam cauſam exponatur, ad quem ſpectabit onus probandi, pecuniam in illam cauſam verſam fuiſſe, an ſcilicet ad ſoluentem pretium, vel potius ad alienantem?

R E S P. Communis eſt opinio, quod vbi alienatio fit ex cauſa neceſſaria, vt puta ob æs alienum diſſoluendum, tunc onus erit eius, cui facta eſt alienatio; Secus vero ſi ex cauſa neceſſaria, vt docet Couarr. var. reſolut. lib. 2. cap. 17. num. 3. vbi alios congerit, & eſt communis opinio, quam teſtatur, & ſequitur Rota in vna Rom. Deuolutionis domus coram Rubeo die 17. Nouembris 1581. Qualiter autem hæc verſio probetur, tradunt Canon. in cap. 1. Depoſit. Et Rota in d. deciſ. & latius in alia coram eod. Rub. & ead. cauſa die 12. Februarij 1582.

Schol.

Schol. ſecundum.

Quæro. Patrimonialia Sedis Apoſtolicæ, de quibus in §.2. quæ ſunt?

R E S P. Quoquo modo ſub dominio Sedis Apoſtolicæ exiſtentia, ab Imperatore habita, aut quocumque alio titulo acquiſita; nam patrimonium eſt nomen vniuerſale, ſicut hæreditas, & peculium. Iaſ. in l. fin. Cod. de pact. nu. 35. Et patrimonij appellatione, continentur ea, de quibus Sedes Apoſtolica habet actionem, vel exceptionem, gloſ. penult. & ſcrib. in l. 5. ff. de verbor. ſignif.

Edita Anno 1234

V I I.

QVia refrigeſcente charitate, & infra pag. 56. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Nõnullos Ordinem Ciſtercienſem varijs exactionibus, & tallijs grauaſſe refert. §.1. Alios autem in domibus Ordinis carnes comedere, & mulieres introducere voluiſſe recenſetur. d. §.1. Hæc ideo ab iſto Pont. prohibentur. §.2.

Schol. primum.

Quæro. Ergo à Ciſtercienſibus ſponté dantibus aliquid recipiens hic non comprehenditur?

R E S P. Vtique non, quia exigere eſt proprié ab inuitis extorquere, l. fideicommiſſa 12. §. ſi rem, ff. de legat. 3. Iaſ. in l. eius qui in prouincia 41. ff. ſi cert. pet. num. 4. & Dec. num. 6. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur ergo Pontifex addit, & *extorquere*?

R E S P. Ad tollendum omnem hæſitationem, ne ſcilicet improprié capi poſſit verbum exigere, pro, à ſponte dantibus accipere. Iaſ. in l. 3. ff. ſol. matrim. num. 12. poſt. gl. in cap. vnico in verb extorſit, de relig. dom. in 6.

Edita Anno 1234.

V I I I.

FOns ſapientiæ verbum Patris, & infra pag. 56. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Deus pro Chriſtifidelium ſalute diuerſis temporibus, plures Sanctos in terris præmiſit. §. 1. Et his temporibus nedum S. Franciſcum, ſed & S. Dominicum Ordinis Prædicatorum inſtitutorem dedit. §. 2. Qui S. Dominicus virtutibus, & miraculis claruit. §. 3. Ideoq; inter SS. referetur. §. 4. Eius quoque feſtiuitas pro 5. die Auguſti inſtituitur. §. 5. Indulgentiæ etiam eius ſepulchrum viſitantibus conceduntur. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Qua patria, & quibus parentibus B. Dominicus ortus dicitur?

R E S P. In Oppido Callagora diœceſis Oxomenſis in Hiſpania, Feliceq; Patre, & Ioanna matre anno 1170. natus de Illuſtri Guzmanorum gente, vt inquit Eman. Roder. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 2. art. 2. & ante eum Frat. Theodoricus mox citandus, de Vit. huius Sancti Viri cap. primo.

Schol. ſecundum.

Quæro. Miracula quæ in §. 3. indicantur, quis deſcripſit?

R E S P. Hæc, & eius virtutes, ac præclariſſima geſta octo libris digeſſit Theodoric. de Appoldia eiuſdem Ordinis frater, quæ Sur. refert tom. 4. de Hiſtor. SS. & alij eadem ſcribunt, ac veriſſimé Franciſcus Dia. etius Epiſcopus Feſulanus egregium de his commentarium ad Pium V. conſcripſit.

Edita Anno 1235.

I X.

DEuotionis veſtræ precibus inclinati, & infra pag. 57. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Approbat Ordinem Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ſub regula S. Auguſtini.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore iſte Ordo initiatus fuit?

R E S P. In Ciuitate Barchinoniæ in Hiſpanijs an. Domini 1208. vt enunciatur in Bulla 25. Pauli V. in princ. & inquit Eman. Rod. to. 1. quæſt. regul. q. 3. art. 23. vbi in eo, quod ſubdit, à Clemente IIII. an. 1264. hunc Ordinem confirmatum, ex lectura huius conſtit. confutatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis primus huius Ordinis profeſſor fuit?

R E S P. Petrus Nolaſcus, cui, & eadem hora Iaymo Aragoniæ Regi, ac Fr. Raymundo de Peñafort à B. Maria Virgine huius Ordinis inſtitutum, reuelatum fuit Rom. lib. 6. de Repub. Chriſt. cap. 22. cui adhæret Eman. Roderic. mox allegatus.

Edita Anno 1235.

X.

CVm tota Terra Sabinæ, & infra pag. 57. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Caſtrum vllum ædificari, vel reædificari in Terra Sabinæ poſſe abſque Sedis Apoſtolicæ licentia interdicit, in princ. Contrauenientibus pœnas apponit, ibid.

Schol. primum.

Quæro. Quæ eſt hæc Terra Sabinæ?

R E S P. Regio non procul ab Vrbe Roma, quam aliàs Zachar. I. anno Domini 742. à Luithprando Longobardorum Rege recuperauit, vt ſcribit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 9. pag. 151. in princ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illud verbum *reædificari*, verificaturne in reparante Caſtrum ne ruat?

R E S P. Negatiuam ſententiam teneo ex his, quæ Alex. Iaſ. & alij ſcribunt in l. 1. §. ſi quis ædificium, ff. de nou. oper. nunciat. vbi ſecus eſſe declarant, ſi iam ruit.

Edita Anno 1235.

X I.

GLorioſus in maieſtate ſua, & infra pag. 57. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Eliſabeth Vidua filia Andreæ Regis Hongarorum multis virtutibus claruit. §. 1. Miraculis etiam coruſcauit. §. 2. Quibus verificatis, Sanctarum numero adiuncta fuit. §. 3. & 4. Eiuſq; feſtum inſtituitur pro die 19. Nouembris. §. 5. Indulgentiæ etiam eius ſepulchrum viſitantibus conceduntur. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Inquiſitio de huius Sanctæ vita, & virtutibus cui à Sede Apoſtolica demandata fuit?

R E S P. Hic Pontifex Epiſcopo Hildeſemenſi, & Abbati Moguntinæ diœceſis litteris ſuis demandauit, & hæ litteræ in eius regiſtro ſub anno ſui Pontif. 8. & num. 24. habentur, teſte Baron. in ſuo Martyrolog.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis eius præclara geſta, vitamq; conſcripſit?

R E S P. Iacobus Montanus Spirenſis, eamq; recitat Sur. tom. 6. de Hiſtor. SS. necnon alij, quos recenſet Baron. proximé allegatus.

Edita Anno 1237.

X I I.

COnfeſſor Domini glorioſus, & infra pag. 58. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Beatum Franciſcum de Aſſiſio in vita, & poſt obitum, manibus, latere, & pedibus ſpecie ſtygmatum diuinitus inſignitum fuiſſe teſtatur. §. 1. Et ita à Chriſtifidelibus firmiter credi exoptat §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vnde motus hic Pont. ad addendam eiuſmodi teſtificationem?

R E S P. Arbitror ex eo, quod nonnulli de hac veritate verebantur; vidi enim plures huius Pont. litteras diuerſis Prælatis pro coercione quorumdam contrarium aſſerẽtiũ, datas hoc eodem tempore, quo hoc diploma datum fuit, impreſſas in lib. nuncupato Monumenta trium Ordinum S. Franciſci.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur à parentibus vocatus fuit Franciſcus, cùm eo tempore hoc nomen non eſſet in vſu, vt ſcribit Cardin. Zab. in cap. cùm ſecundum. 26. de Præb. num. 6.

RESP. Diuinitus id credo permiſſum, eò quòd Sanctus vir in frangendis mundanorum erroribus francus à cunctis voluptatibus,& vitijs,multum Eccleſiæ profectum afferre debebat,prout euenit, eiuſque nomen adeo glorioſum euaſit in Italia,vt frequentiſſimè imponatur. Et plerique de eo valde glorieotur,prout gloriatur idem Franciſcus Card.Zabat. in loco proximè citato.

Edita Anno 1239.

XIII.

RAtionalis Spiritus,& infra pag.59. Bullarij. *Item*, Quia Fridericus.ibid.

COMPENDIVM.

Friderici XI.ſæua facinora recenſet.§.1.& 2. Auxilium ei pręſtari non debere pręcipit. §. 3. Et faotoribus excommunicationis pœnam indixit.§. 4. Abſoluit deinde Vaſallos à iuramento fidelitatis. §. 1. annexe conſtitutionis Interdictum apponit locis, ad quæ declinabit. §. 2. Excommunicationem ab Epiſcopis publicari iubet. §. 3. Eiuſque fautores excommunicari. §. 4. Nuncios Sedis Apoſtolicæ monet, vt cogant Pręlatos ad hæc exequenda. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quis ſæua hæc Friderici facinora deſctipſit?

RESP. Aliqua indicat Ciacon. in vita huius Pont. ſed aotiquiores Hiſtorici ferè omnes vberius ea recenſent.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quibus ortus parentibus,& quo anno?

RESP. Heuricus V. Imperator ex Conſtantia coniuge ipſum Fridericum ſuſcepit anno 1193.vt probat Baron. in Annalib.eccleſ.tom. 12. pag. 894. vbi ſubdit in Ciuitate Aſſiſij in prouincia Vmbriæ ſolemniter fuiſſe baptizatum, & apud quemdam Conradum,tunc Comitem Aſſiſij,educatum fuiſſe.

INNOCENTIVS IIII. Italus, creatus anno 1243.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1243.

CVm aduerſus hæreticam prauitatem, & infra pag. 60. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat leges à Friderico II. Roman. Imperatore editas contra hæreticos,eorumq; complices,& fautores,in princ. Quarum prima eſt, quod hæretici ab Eccleſia Curiæ ſeculari traditi, pęna debita puniantur. §. 2. Secunda, quòd conuerſi carceri emancipentur. §.3.Tertia,quòd hæretici vbique reperti cuſtodiantur, donec ab Eccleſia damnati, pęnas luant. §. 4. Quinta, & pariter eorum fautores. §.5.Sexta, quòd de hæreſi conuicti ad alia loca ſe transferentes capiantur.§.6.Septima,quòd relapſi motte plectantur.§.7.Octaua,quòd hæretici, eorumque fautores appellatione careant.§.8. Nona, quod hæredes eorum vſque ad ſecundam progeniem,beneficijs,& officijs priuentur. §. 9. Decima, quod hæredes ſi parentum perfidiam reuelaſſent indemnes ſeruentur.§.10. Vndecima, quod Inquiſitoribus vbique faueatur.§.11. Duodecima, quòd hæretici vbique capiantur.§. 12. Cathari, & alij hæretici increpantur in princ.ſubſequentis legis Imperatoriæ; Hæreſis crimen deteſtatur. §. 2. Hæreticos impęnitentes igne cremari iubet. §.3. Patarenorum fautores relegari iubet, in princip. alterius legis Imperatoriæ. Eorum filios honoribus priuat, niſi aliquis eorum aliquem Patarenum detegerit.§.1.Hæreticis bannum, & confiſcationem infligit, in princ. alterius legis Imperatoriæ. Suſpectos, ſi per annum ſe non purgauerint ſicut hæreticos damnat.§. 1. Officiales curent exterminare hæreticos de locis eis ſubiectis.§. 2. Barones, ſi eorum loca hæreticis non purgauerint infra annum à tempore monitionis,Catholicis occupanda exponuntur eod.§.2. Hæreticorum fautoribus pęnæ quamplures imponuntur. §.3.Apoſtataotibus à fide pęnæ infliguntur. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quis ſupradictorum Catharorum errores, & hæreſes deſcribit?

RESP. Perlege in Director. Inquiſit. par. 2. quæſt. 6. nu.28.& quæſt.13.comment.38. vbi etiam habetur, quod Cathari dicuntur recẽtiores Manichæi. Vnum addo,quòd à me non quæris,aliam, hunc Fridericum, epiſtolam edidiſſe pro libertate Eccleſiaſtica,quam habes in Baron. Annal.Eccleſ.tom.11.pag.693.littera C.

Schol. ſecundum.

Quæro.Ignis crematio de qua hic,erat ne debita hæreticis?

RESP. Debita hactenus fuiſſe creditur ſecundum legem Euangelicam, & humanam, vt habetur in Direct. inquiſit.par.1.ſuper cap.Ad abolendam, pag.149.& ſeq. nu. 11. & 13. ſecundum vltimam impreſſiooem; & pag. 170. num.14. Sed contrarium cenſet Couarruuias var. reſolut. lib.2.cap. 10. nu. 10. vbi ex hac Friderici Imperatoris ſanctione hanc pęnam igois prodijſſe ſcribit.

Edita Anno 1244.

II.

IMpia Iudæorum perfidia, & infra pag. 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iudæos,refert, eorum filios docere multos errores contentos in quodam libro hebraicè,Talmud,nuncupato.§.1. Chriſtianaſque eorumdem nutrices habere. §. 2. Pariſijs eumdem librum iuſſu Gregorij IX. & illius Regis auxilio concrematum fuiſſe enarrat.§.3. Quem ideo hic Pont. rogat vt concremari faciat cum ſimilibus libris in toto regno ſuo.§. 4. Nutriceſque aut famulos Chriſtianos retineri interdicit.§.5.

Schol. primum.

Quæro. Io Italia eo tempore fuit ne idem liber concrematus?

RESP. Hoc mihi minime notum eſt, perlegi tamen in lib.2.Biblioth.ſanctæ,editæ à Six. Senenſe Ordinis Prędicatorum profeſſore lib.2.pag 125.in fine,quòd an. 1559. (& ſic ſub Pontificatu Pauli IV. quamuis etiam eodem anno ei ſucceſſerit Pius IV.) ex opulentiſſima bibliotheca Iudæorum Cremonenſium, iuſſu Congregationis Romanæ Inquiſitionis, duodecim Talmudiorum codicum millia exuſta fuiſſe.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui ſunt errores contenti in libro Talmud vt aſſeritur io §.1?

RESP. Infinitæ ferè ſunt blaſphemiæ ibi à quampluribus Rabbinis deſcriptæ, adeo execrabiles, vt horreat animus,refugiatque manus eas ſcribere, vt Six.Senenſ. inquit in loco proximè citato pag. 128. vbi tamen eas ſummatim refert.

Edita Anno 1245.

III.

AD Apoſtolicæ dignitatis apicem, & infra pag. 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Nuncios miſiſſe ad Fridericum Imperatorem pro habenda reconciliatione.§ 1.Illum autem perſtitiſſe in ſua obſtinatiooe.§.2.Et deinde ipſum Fridericum per ſuos Nuncios mandatis Papæ ſtare promiſiſſe. §. 3. Sed id non impleuiſſe,imò grauiſſima ſcelera patraſſe.§.4. Proptereaque à Greg.IX. anathematis vinculo innodatum fuiſſe, & eo oeglecto hortenda crimina commiſiſſe. §. 5. Et ideo illum ex Concilij generalis deliberatione Lugduni habitis omni dignitate, & regno priuat. §. 6. Vaſalloſque ab eius obedientia liberat. §.7. Et alium Imperatorem eligi mandat.§. 8.

Schol. primum.

Quæro. Iſtud generale Concilij Lugduneñ.primum,de quo in §.6.abſque dubio fuit ab iſto Pont.indictũ, quare ergo Genitor tuus bullã huiuimodi inoictionis prętermiſit?

RESP. Indictionis primæuam, principalemque bullã abſque mendo conquirere non potuit, vt mihi plories ſignificauit, ſed aliam ad Abbates, & priores per Aogliam conſtitutos datam ex Mattheo Pariſ. deſcripſit, poſuitque in appendice ſui Bullarij conſtit.1.aliàs xx.

Schol.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Fuit ne, ad eam electionem Imperatoris deuentum, vt hic Pontif. mandauit in §.7.

RESP. Henricus Lantgrauius electus fuit ab his, qui Papæ partes ſequebantur; Qui bellum habuit cum Conrado Imperatoris filio iuxta Francofordiã, & victor euaſit, Conradumq; ſuperauit, ſed annis quinque, nomen gerens regium, Imperij coronam minime conſecutus, obijt, vt ex Abb. Strad. & Tritem. notat Seuerinus Binius ad iſtud Cõcilium Lugdunenſe, vbi ſubdit quòd tempore, quo dictus Fridericus Italiam vexauit, maxima partialitas populorum in ea ſubſecuta eſt; Enimuerò ſequentes Rom. Pont. partes Guelphi, fautores verò dicti Friderici, Gibellini dicebantur, qui ad inuicem omni ſtudio ſe perſequebantur.

IV.

Edita Anno 1246.

DEuotionis veſtræ precibus inclinati, & infra pagin. 64. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis ſuccedũt in bonis Monachorũ profeſſionẽ faciẽtiũ, in quibus, exceptis fæudalib. in ſæculo ipſi ſucceſſiſſent. §.1. Et retinere ẽt poſſunt, ibid.

Schol primum.

Quæro. Habent ne hoc priuilegium aliæ religiones?

RESP. Habent quamplures, vt videre eſt in amplo indice materiarum huius Bullarij Genitoris mei.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba, *& profeſſionem facientium*, nonne ſunt ſuperflua?

RESP. Non profectò, quia tollit eam apud Canoniſtas dubitationem, an Monaſterium ſuccedat Monacho ab inteſtato morienti infra annum probationis, de qua per Abb. Dec. & alios in cap. in præſentia 8. de probationibus ita quòd tenenda ſit, ex vi dictorum verborum opinio negatiua, quæ etiam frequentiori calculo à Canoniſtis videtur approbari.

V.

Edita Anno 1247.

REligioſam vitam eligentibus, & infra pag. 64. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suſcipit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ Congregationem Monachorum Syluestrinorum in Eremo Fontis Fani, diœceſis Camerinenſis. §.1. Regulam S. Benedicti obſeruari præcipit. §.2. Bonorum acquiſitionem, & retentionem permittit. §.3. Eximit à decimis noualium, quæ proprijs manibus colunt, & nutrimentis ſuorum animalium §.4. Indulget poſſe alios recipere ad religionem. §.5. Prohibet à religione diſceſſum. §.6. Noua loca vetat ædificari in eorum parochia. §.9. Nouas exactiones eis imponi inhibet. §.10. Libertatem mortuos ſepeliendi tribuit. §.11. Facultatem eorum decimas, & poſſeſſiones recuperandi concedit. §.12. Abbatem à Congregatione eligi decernit. §.13. In locis eorum crimina committi vetat. §.14. Priuilegia Congregationis confirmat. §.15. Perturbari prohibet, & faueri mandat. §.16. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quis eiuſdem Congregationis promotor fuit?

RESP. Beatus Syluester Ghiſlerij de Guzzolinis filius, ex patria Auximi Ciuitate, quinque millium paſſuum ſpatio diſtãte ab Vrbe Lauretana, Beatæ Mariæ Virginis æde, toto Orbe terrarum celebertima valdè nobilitata. Obijtq; miraculis clarus anno 1267. ætatis ſuæ 90. die 26. Nouembris, ita affirmat Baron. in Martyrolog. ſubdicta die 26. Nouembris littera B.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis Syluestri acta conſcripſit.?

RESP. Andreas huius Congregationis olim Generalis, vltra alios, quos recenſet Baron. proximè allegat. vbi ſubdit, quòd Clemens VIII. in Martyrologium referri iuſſit. Prout mox in Kalendario Breuiarij Monaſtici iuſſu Pauli V. reformati, & editi, deſcriptus fuit.

VI.

Edita Anno 1247.

QVæ honorem Conditoris, & infra pag. 65. Bullarij.

COMPENDIVM.

REgulam Fratribus Eremitis B. Mariæ de Mõte Carmeli ab Honorio III. in ſua conſtit. 8. de qua ſup. pag. 23. Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis, & Guillelmus Anteſiodoren. Epiſcopus anno 1171. declararunt, & mitigarunt, vt in Prologo Regulæ, videlicet de priore habendo, & tribus ei permittendis, cap. 1. Receptione locorum, cap. 2. Cellulis Fratrum, cap. 3. Refectorio. cap. 4. Mutatione Cellularum, cap. 5. Cellula Prioris, cap. 6. Manſione in Cellulis, cap. 7. Horis Canonicis, cap. 8. Proprietate, cap. 9. Oratorio, cap. 10. Correctione Fratrum, cap. 11. Ieiunio, cap. 12. Eſu carnium, cap. 13. Armis ſpiritualibus, cap. 14. Aſſiduitate operandi, cap. 15. Silentio, cap. 16. Humilitate Prioris, cap. 17. Veneratione erga Priorem, cap. 18.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Eremitica vita nonne diu obſoleta fuit?

RESP. Ita quidem, ſed, vt hiſtoriam plene intelligas, perlege tractatum de Antiquitate Ordinis Carmelitani à R.P.F. Thoma à Ieſu, Congregationis Carmelitarum Diſcalciatorum typis nuper datam.

Schol. ſecundum.

Quæro. In conſtit. 8. Honorij III. de qua ſup. pag. 23. Fratres de Monte Carmeli dicti ſunt, hic vero B. Mariæ de Monte Carmeli, vnde hoc igitur?

RESP. Hæc perlege in præfatione R.P. Fratris Ferdinandi à S. Maria, Præpoſiti generalis Congregationis Carmelitarum Diſcalciatorum Italiæ in libro, quem Romæ anno 1617. edidit, de Priuileg. d. Congregationis. Fide igitur Euangelica exornato Carmelo candidati Filij tanti patris Eliæ, quo tandem loci dicatum, antea meritiſſimo Duci peruetuſtum ſacellum promeruit, recens Deiparæ conſecrarunt, quæ illoa viuens non ſemel præſentiæ gratia, quam ſanctiſſime affecerat. Effectumq; eſt, vt qui quondam Eliæ, iam digniotis tituli nomenclaturam nacti Beatæ Mariæ à Monte Carmelo dicerentur.

VII.

Edita Anno 1250.

CVm tanquam veri, & fideles, & infra pag. 67. Bullar.

COMPENDIVM.

Eccleſias Fratrum Minorum vbi Conuentus exiſtunt, Conuentuales vocari indulget. §.1 Et cœmeteria in eis permittit. §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt Eccleſia Conuentualis?

RESP. Idem quod Eccleſia, in qua eſt Monaſterium, cap. Edoceri 21. de reſcript. Vel in qua eſt Collegium, vel Capitulum. Geminian. conſ. 131. nu. 4. Proinde cùm Eccleſiæ Monachorum cum Conuentibus, magis propriè vocarentur monaſteria, & Eccleſiæ ſecularium cum Conuentibus, Eccleſiæ collegiatæ, ita Eccleſiæ horum fratrum regularium non habentes hoc tempore proprium nomen, vigore huius indulti appellatæ ſunt Eccleſiæ Conuentuales, idest in quibus ſimul conueniunt hi Fratres, religioſamq; vitam ducunt, Silueſt. in ſua ſum. in V. Conuentus. Et hinc illi Fratres Conuentuales vſque in hanc diem nuncupantur, cæteri vero ſimiles aliorum Ordinum religioſi non; Quia illi, vt arbitror, hoc priuilegio Conuentualitatis donati fuerunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt habere cæmeteria in Eccleſijs ad opus fratrum, & familiæ?

RESP. Eſt priuilegium ibi Fratres, & familiam ſepeliendi, quod ſolæ Eccleſiæ curatæ, & parochiales habebant de iure, aliæ autem ex conſuetudine, vel priuilegio. Feder. de Sen. conſ. 135. num. 2. Card. conſ. 112. num. 2. verſ. Ad quartum.

VIII.

Edita Anno 1250.

CVm fratres Prædicatores, & infra pagina 67. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit Baronibus, & Poteſtatibus ſæcularibus, vt denunciatos excommunicatos à Fratribus Prædicatoribus Inquiſitoribus, ob hæreſim, aut hæreticorum fauorem,

bannopublico confiſcatis bonis exponant.

Quæro. Hoc reſcriptum Poteſtatibus certarum Prouinciarum directum, erit ne ab alijs aliorum locorum, & præſertim extra Italiam ſeruandum?

RESP. Ab omnibus, & vbique; habet enim Pontifex generalem vbique iuriſdictionem ſuper hæretica prauitate, & negotijs fidei, & dum quibuſdam loquitur, cæteris idem dixiſſe cenſetur ſicuti Imperatores multas leges, quibuſdam Vrbis præfectis, aut Præſidibus, ab omnibus tamen obſeruandas direxerunt, vt eruditè oſtendit Spineus in ſuo tract. de Stribig. in cap. 3. & exploſo Burſ. alitet ſentiente Spineo adhæret, Pegna in tit. de Author. extrauag. quem poſuit poſt aliquot Pontificum conſtitutiones, inter quas hæc quoque Innoc. habetur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Confiſcationes bonorum eiuſmodi hæreticorum quis enucleat?

RESP. Quamplures, & poſt alios præclarè Penia in Director. Inquiſit. comment. 158. par. 3.

IX.

Edita Anno 1252. & 1254

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani, & infra pag. 67. *Item*. Cùm in conſtitutionibus, & infra pag. 69. Bullarij.

COMPENDIVM.

Edidit leges aduerſus hæreticos, eorumq; complices, & fautores, in princ. Eas iubet Magiſtratibus omnibus obſeruari. §. 1. Quarum lex 1. eſt ſuper iuramento ab ipſis Magiſtratibus præſtando circa hanc obſeruantiam. §. 2 Lex 2. eſt de banno ab eis publicando contra illos. §. 3. Lex 3. eſt quòd 12. viros miniſtros dent Inquiſitoribus. §. 4. Lex 4. quòd ipſi hæreticorum capturæ ſtudeant. §. 5. Lex 5. Magiſtratus duci faciant hæreticos ſumptibus Communitatis. §. 6. Lex 6. de fide Officialium Inquiſitionis. §. 7. Lex 7. de eorum iuramento in ingreſſu officij. §. 8. Lex 8. de eorumdem poteſtate. §. 9. Lex 9. de obſeruantia mandatorum eorumdē. §. 10. Lex 10. de ipſorum immunitate. §. 11. Lex 11. non conueniantur alibi de concernentibus officium. §. 12. Lex 12. quantum duret officium ipſorum. §. 13. Lex 13. ſuper emolumentis eorum in diceſſu. §. 14. Lex 14. ſuper eorum ſalario. §. 15. Lex 15. alio non grauentur officio. §. 16. Lex 16. neque ſtatuto. §. 17. Lex 17. quando remouendi. §. 18. Lex 18. eorum punitione. §. 19. Lex 19. faueantur ab omnibus. §. 20. Lex 20. Impedientes puniantur. §. 21. Lex 21. hæretici capti à Magiſtratibus cuſtodiantur. §. 22. Lex 22. aſſignantes ſe pro hæreticis coerceantur. §. 23. Lex 23. hæretici capti præſententur Inquiſitoribus à Magiſtratibus infra dies quindecim. §. 24. Lex 24. damnati recipiantur per eoſdem ad puniendum. §. 25. Lex 25. hæretici cogantur alios, & cōplices, & bona reuelare. §. 26. Lex 26. domus vbi capiuntur demoliantur. §. 27. Lex 27. quæ ſint hæreticorum, & complicum pœnæ. §. 28. Lex 28 eorū nomina in quatuor libris deſcribantur §. 29. Lex 29 loca omnia hæreticis purgentur. §. 30. Lex 30. de eorum filijs & nepotibus inquirantur. §. 31. Lex 31. omnia hic diſpoſita diligenter executioni dentur. §. 32. Lex 32. Pœnæ non relaxentur. §. 33. Lex 33. bona eorum in tribus partibus diuidenda confiſcentur. §. 34. Lex 34. nihil de his legibus immutetur. §. 35. Lex 35. Magiſtratus ab obſeruantia ſindicentur, §. 36. Lex 36. Sindicatores iurent, §. 37. Lex 37. Statuta hæc recitentur, & contraria tollantur, §. 38. Lex 38. eadem in quatuor libris deſcribantur, §. 39. Et in ſequen. adiuncta conſtitut. apponitur declaratio ad ſupradictos. §. 27. & 34.

Schol. primum.

Quæro. Quod hic diffinitur in §. 34. de applicatione bonorum confiſcatorum in tres partes, ſuit ne poſtea aliqua pontificia conſtitutione innouatum?

RESP. Non, ſi rectè Pontificiæ conſtitutiones obſeruentur, eorumq; tempora: nam quamuis Alexand. iiij. in hoc Bullario mei Genitoris in ſua conſtitut. 21. edita ann. 1260. huius Pontificis ſucceſſor, bona hæreticorum vendi, & eorum pretium ad opus Romanæ Eccleſiæ conſeruari mandauerit, non propterea hoc mandatum generale videtur contrarium dictę ſpeciali Innocentij diſpoſitioni, & quod magis eſt Clemens iiij. eiuſdem Alexand. ſucceſſor comprobauit hanc Innocentij ſanctionem, vt habes infra in d. Clem. iiij. conſtit. 6. Ad extirpandam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne poſtea Clem. V. in Clem. 1. de Hæretic. ac ſucceſſiuè Benedict. xj. in extrauag. 1. pariter de Hæret. aliter diſpoſuerunt?

RESP. Nequaquam; ſiquidem Clem. V. de hac partitione bonorum confiſcatorum non loquitur; & neque Benedict. xj. vt hoc vltimum aduertit etiam Pegna in Direct. Inquiſit. comment. 158. verſ. Benedictus xj. Bene verum eſt, quòd circumfertur copia alterius conſtit. Eugenij iiij. de his aliquid diſponentis, ſed mendoſa eſt, & (vt arbitror) minus vera, & nuſquam (quod certiſſimum eſt) edita, aut publicata.

X.

Edita Anno 1253.

CVm Venerabilis frater noſter, & infra pag. 70. Bullarij. *Item*. Cùm per noſtras. ibidem.

COMPENDIVM.

Authoritate Papę, Epiſcopus Albanenſis ſtatuit à fautoribus hæreticorum ad fidem redeuntibus, cautionem exigeñ fore, de fide tenenda, & fautorem eis de cętero nō impendeñ. Idque Papa approbauit. Et modo iterum Inquiſitoribus Prouincię Lombardiæ idem mandat. Et ſi illi relabentur, pœnas exigendam eſſe reſcribit Epiſcopis d. Prouincię, & exinde de expenſis prouideri Inquiſitorib. Lombardię, & Marchiæ Anconitanæ, & Taruiſinæ.

Schol. primum.

Quæro. Quam ob cauſam fautor hæreticorum cogitur ad ita cauendum?

RESP. Quia de hæreſi ſuſpectus redditur ex eiuſmodi fautoria, cap. vt inquiſitionis 18. cum ibi notatis, de Hæret. in ſexto. Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 56. num. 8. Et cùm ex eiuſmodi ſola ſuſpicione non poſſit ad vlteriora procedi contra eoſdem, iuſta videtur ſub eiuſmodi cautione relaxatio, vt in caſu relapſus, ſi fautor liberà non poterit de perſona, aliqua pœna corripiatur non corporali.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui hæreticum non denunciat, eius ne fautor cenſetur?

RESP. Cenſetur quidem, niſi omiſſio denunciandi, aliquo iuſto metu, obliuione, impedimento, aut alia probabili cauſa contingat, vt ſcripſit Penia in Director. Inquiſit. comment. 78. verſic. At non videtur.

XI.

Edita Anno 1253.

MAgnis & crebris declarata prodigijs, & infra pag. 70. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. Petrus Martyr Veronenſis Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſus fuit, & in eo multum profecit, §. 1. & 2. Multis virtutibus clatuit, §. 3. Cùm de Ciuitate Cumana, vbi ſui Conuentus Prior erat Mediolanum pergeret, mandatum ſibi ab Apoſtolica Sede contra hæreticos datū executurus, capite gladio truncatus obijt, vt prædixerat, §. 4. Miracula in vita fecit, §. 5. Et poſt obitum, §. 6. Quem ideo hic Pontifex numero SS. Martyrum adiungit, §. 9. Feſtum eius 29. Aprilis agi iubet, §. 10. Indulgentiamq; eius ſepulchrum viſitantibus elargitur, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. In canonizatione huius Martyris, & aliorum, cauſa motiua, & neceſſariò probanda quæ eſt?

RESP. Cauſa, propter quam martyrium paſſus eſt, Quia cauſa, nō pęna facit Martyrem, vt inquit S. Auguſtinus epiſt. 61 & 166. tom. 2. Niſi eiuſmodi cauſa adeo eſſet manifeſta, vt aliqua probatione, vel inquiſitione nō indigeret, quæ quidē cauſa debet eſſe defenſio, atq; confeſſio fidei Chriſtianæ, necnon eorum, quæ fidei annectuntur, vt euenit S. Ioanni Baptiſtæ, qui dum aſſirmauit, quòd Herodi

rodi non liceret habere vxorem fratris ſui, Martyrium paſſus eſt pro hac veritate, ideoq; Martyrem illum appellat S. Auguſt. Pſal. 140. tom. 8. Nec miraculorum interuentus neceſſarius eſt in Canonizatione Martyris, vt hæc omnia refert nouiſſimè Rocca de Canoniz. SS. cap. 35.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vitam, & acta huius Sancti Viri, apud quem perlegam?

RESP. Apud Sur. de Hiſtor. SS. tom. 2. ſub hac die. Et de eodem plura alij ſcripſerunt, quos indicat Baron. in Martyrol. eadem die.

XII.

Edita Anno 1253. SOlet annuere Sedes Apoſtolica, & infra pag. 72. Bullar.

COMPENDIVM.

Beatus Franciſcus de Aſſiſio regulam tradidit B. Claræ, & Socijs eius, quam ab iſto Pontifi. illæ confirmari petunt, in princip. Qui eam in 12. contentam capit. approbat. §. 1. In capit. 1. agitur de promiſſione obedientiæ, In 2. de his quæ ſeruanda ſunt in receptione Sororum. In 3. de diuino officio, ieiunio, confeſſione & communione. In 4. de concernentibus Abbatiſſam, eiuſque Conſiliarias, & Capituli conuocationem. In 5. de Silentio, Locutorio, & Oſtij clauſura. In 6. de Paupertate, & immobilibus non tenendis. In 7. de Laboterijs, & elemoſynis Abbatiſſæ conſignandis. In 8. de Proprietatis, & munerum prohibitione, ac Infirmarum cura. In 9. de Pœnitentijs iniungendis. In 10. de Obedientia Abbatiſſæ præſtanda, eiuſque in alias poteſtate, & dilectione inter Sorores. In 11. de Oſtiariæ munere, & qualitatibus. In 12. de Viſitatoris, Capellani, & Protectoris electione, & officio.

Schol. primum.

Quæro. Quod in cap. 8. dicitur de proprietate intelligitur de ſingulari, vel etiam in communi?

RESP. Intelligitur in ſingulari tantum ſecundum gloſ. in Clem. 1. in verb. obedientiam, de Relig. domib. & in Clem. 3. in verb. tertio, de ſenten. excommun. quam ſequitur Card. Zabar. conſ. 16. nu. 2. & Bald. in conſ. 183. lib. 5. & poſt princ. conſ. 448. eod. lib. nu. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Votum obedientiæ, de quo in cap. 10. Ita ne monialem arctat, vt nihil, præter voluntatem Abbatiſſæ agere poſſit?

RESP. Nihil, ſi Abbatiſſa iubet ea, quæ ſunt ſecundum regulam votam à moniali, ſecus ſi ſunt contraria regulæ, vt ſequendo S. Thomã receptum, 2. 2. quæſt. 104. art. 5. ſcribit Nauar. in ſuis Comment. de Regularib. comment. 2. nu. 59.

XIII.

Edita Anno 1253. OLim à gentilium oculis tenebrarum, & infra pag. 75. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Stanislaum Epiſcopum Cracouiẽſem corripuiſſe Boheslaum Regem Poloniæ, medicinali gladio Petri, vt ab immanibus flagitijs eum repelleret. §. 1. illum verò deteriorem factum, ipſum Epiſcopum pontificalibus indutum à militibus cruciari iuſſiſſe. §. 2. Eos tamẽ ſemper compunctos remanſiſſe. §. 3. Regemq; tandem proprias manus in illum appoſuiſſe, eiuſque corpus in fruſtra ſcindi feciſſe. §. 4. Stanislaum multis miraculis corruſcatum enarrat. §. 5. Quem propterea hic Pont. inter SS. Martyres adſcribit. §. 6. Eiuſque feſtum die 8. Maij agi præcipit. §. 7. Indulgentias etiam eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Stanislaus excommunicauit hunc Regem, ab eoq; morti traditus?

RESP. Anno 1079. vt ſcribit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. fol. 536. ſic dicens: Ad coronidem præſentis anni, apponimus coronam, & purpuram ſanctiſſimi Martyris Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, qui in ſpiritu, & veritate Heliæ redarguentis Achab, & Ioan. Baptiſtæ corripientis Herodem, dum arguit Boheslaum enormiter delinquentem, & non auditur, & iterum corripit, & contemnitur, atque rurſus increpat, & deſpicitur, ſententia excommunicationis eum affecit, quam ob cauſam ab ipſo Rege, dum in altari eſſet, Deo miſſæ ſacrificium offerens, crudeliſſimè cæſus, octaua menſis Maij martyrij palmam eſt conſecutus. Hæc eadem in Breuiario Romano die 7. Maij in 6. lectione ſecundi nocturni, Officij eiuſdem Sancti habentur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ergo egit Gregor. VII. eo tempore ſummus Pontifex, audito tam immani ſcelere?

RESP. Ipſe Pontifex, & vniuerſorum tunc Cardinalium cætus in flebilem lamentationem ruit, impiumq; deinde Regem matura præhabita deliberatione, ſolemni ritu, regno, & dignitate priuauit, & excommunicauit. Mox, anno ſiquidem 1081. vindicta ſecuta eſt, nam poſt alia mala ipſe Rex, vt alter Cayn, factus eſt profugus ſuper terram, demum verſus in inſaniam, errabundus, dum vagatur, morte præuentus à canibus eſt deuoratus. Hæc refert ex Ioan. Longino Canonico Cracouienſe, qui eius ſancti Viri acta deſcripſit. Baron. in loc. citat. & in Martyrol. ſub die 7. Maij, poſt Sur. de Vit. SS. ſub die 11. Aprilis tom. 2. qui alia recenſet.

XIIII.

SVb Catholicæ profeſſione fidei, & infra pag. 76. Bullarij. Edita Anno 1254.

COMPENDIVM.

Diſſinit ritus Græcorum ad tollendas eorum diſſenſiones. §. 1. & ſeqq. Circa Vnctiones, & circa Baptiſma. §. 3. Circa Sacerdotes Chriſma in verſ. Soli ſacrant. Vnctionẽ. verſ. Nullis. Euchariſtiam, in verſ. Sed Euchariſtiã. Miſſas, in verſ. ſeq. Horas Canonicas, in verſ. Sacerdotes. Promotionem Sacerdotum, & Presbyterorum, in verſ. Promouẽdi. Paramenta, & alia ſacra, in verſ. Cæterum. Seruitium mulierum ad Altare, in verſ. ſeq. Ieiunium, in verſ. ſeq. Sacerdotes coniugatos parochos, in verſ. Sacerdotes. Fornicationem, in verſ. ſeq. Ordines ſacros conferendos, verſic. Ad hæc. Secundas, & vlteriores nuptias, verſ. ſeq. Matrimonia contrahenda, verſic. Et quoniam Purgatorium, in verſ. ſeq. Infernum, verſ. ſi quis. Animas paruulorum, verſ. Animæ. Monachorum inſtituta, in verſ. ſeq. Quos ritus diffinitos obſeruari iubet. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Clerici Græci, de quibus in verſ. Sacerdotes, in quo ſtatu coniugem ſuſcipere poſſunt?

RESP. Ante Subdiaconatum, cap. ſi quis eorum, 7. diſtinct. 32. cap. Nicæna, 12. diſtinct. 31. cap. cùm olim. 6. vbi Canon. communiter de Cler. coniug.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si ad morandum inter Latinos ſe transferant, poterint ne vxorem retinere?

RESP. Si mora breuis eſt, affirmatiua ſententia communiter tenetur, ſed ſi longa, & afferat ſcandalum, tolerandus non eſſet, vt Innoc. & alij tenent in cap. cùm ſecundum 9. de Tempor. ordinat.

XV.

CVm negotium fidei Catholicæ, & infra pag. 77. Bullarij. Edita Anno 1254.

COMPENDIVM.

Inquiſitoribus dat facultatem interpretãdi ſtatuta, tam eccleſiaſtica, quã ſecularia edita contra hæreticos, in princ. Eorumq; filios, & nepotes, & fautores beneficijs, & officijs priuandi. §. 1. Ac eos, qui eorum opera illa exequentur. § 2. Accuſatorum & teſtium in cauſis hæreſis nomina publicari prohibet. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. An hæc eadem Epiſcopis competat interpretandi facultas in locis, in quibus non ſunt Inquiſitores delegati conſtituti, ſed ſoli Epiſcopi iure ordinario in hæreticos animaduertant?

RESP. Competit quidem, quia fauore fidei, omnia quæ ſunt Inquiſitoribus tributa, Epiſcopis etiam tributa cenſentur, niſi expreſsè illis denegentur, vt probat Pegna in Directur. Inquiſit. quæſt. 56. Comment. 105. verſ. Num autem.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſſunt ne Inquiſitores Conſultoribus eorum, nomina teſtium manifeſtare, non obſtante hac prohibitione, de qua in §. 3.

RESP. Poſſunt ad tex. apertum in cap. ſtatutum xx. de Hæret. in 6. vbi Bonifat. VIII. in ſpecie hanc conſtitutionem declarat.

Edita
Anno
1254.

XVI.

QVia tunc potiſſimè acceptabile, & inf. pag. 78. Bullar.

COMPENDIVM.

Inquiſitores contra ſuſpectos de hæreſi, vel infamatos, eorumq; fautores, nolentes mandatis Eccleſiæ obedire, procedant. § 1. Et redeuntes ad fidem, abſoluere poſſint. § 2. Et contra ipſis Inquiſitoribus non fauentes. §. 3. Indulgentias ipſorum prędicationem audientibus, ſi videbitur, concedant. §. 4. Et etiam ipſorum fautoribus contra hæreticos. §. 5. Facultas eorumdem Inquiſitorum contra prædicatores quæſtuarios. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. An etiam contra Reges ſic procedere poterunt Inquiſitores?

RESP. Quicquid dici poſſit, vigore huius conſtitutionis certum eſt poſſe, ſaltem vigore capit. Vt officium de Hæret. in ſexto, edit. à Clem. IV. huius Pontificis ſucceſſore poſt Alexan. IV. Conſulit tamen Eymeric. in Director. Inquiſit. quæſt. 31. informandum prius eſſe Papam, vt tutius per eius conſilium negotium fidei agi poſſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de Prędicatoribus quæſtuarijs, habet ne locum, etiam contra alios, quoties Inquiſitoribus expediens viſum fuerit?

RESP. Ex identitate rationis, affirmatiuam ſententiã probat Pena in Direct. Inquiſit. Comment. 86. §. in cæteris, vbi Canoniſtas, & alios allegat.

Edita
Anno
1254

XVII.

VT nihil nobis deſit, & infra pag. 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cruceſignati, cùm aſſumunt ſignum Crucis contra hæreticam prauitatem, abſoluuntur per Inquiſitores, ab omnibus cenſuris, & diſpenſantur ab irregularitate contracta, ſi ligati cenſuris, celebrarunt, Commutantur etiam eorum Vota. Conceduntur eiſdem indulgentiæ, & priuilegia Cruceſignatorum proficiſcentium in ſubſidium Terræ ſanctæ, Et tempore interdicti ſacramenta recipere poſſint. Et quòd illicitè acquiſita poſſint conuertere in proſecutionem fidei, ſi edicto propoſito non apparuerint aliqui, quibus reſtitutio debeatur.

Schol. primum.

Quæro. Noua eſt fortaſſe iſta communicatio priuilegiorum Cruceſignatorum pro ſubſidio Terrę Sanctæ, cum his Cruceſignatis ad hæreſis extirpationem?

RESP. Noua non eſt, cùm Innoc. III. antea conceſſiſſet in cap. Excommunicamus 13. §. Catholici de Hæret.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quomodo, & qua promiſſione iſti Cruceſignantur?

RESP. Dilucidè ſcribit Campeg. in addit. ad Zanch. de Hæret. cap. vlt. in fine.

Edita
Anno
1254

XVIII.

NOuerit vniuerſitas veſtra, pag. 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

Catharos, & alios quoſcumque hæreticos excommunicat, in princ. Eoſdem ab Eccleſia damnatos, iudicio ſeculari puniendos relinquit. ibid. Pœnitentes perpetuo carceri dari pręcipit. §. 1. Credentes erroribus eorum, vt hæreticos declarat. §. 2. Fautores eorumdem excommunicat. §. 3. Prędictis pleraſque alias pœnas imponit. ibid.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt Curiæ ſeculari aliquem tradere, vt hic dicitur in principio?

RESP. Innocentius III. hoc explicat in cap. Nouimus 27. de verb. ſignif. cuius cap. ſumma hæc eſt, Quòd Clericus exuitur priuilegio clericali, à foro Eccleſiæ proijcitur, & Iudici ſeculari præſenti traditur, vt eum hominem degradatum in ſuum forum recipiat. Et de hoc agit etiam Eymer. in 3. par. Direct. Inquiſit. in nono modo terminandi proceſſum fidei pag. mihi 510.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur ſubdit Innocentius III. per te allegatus quòd debet Eccleſia pro eo efficaciter intercedere, vt Iudex ſecularis illum hominem citra pœnam ſanguinis puniat?

RESP. Pena in Comment. 20 poſt Eymeric. mox citatum inquit, id fieri, ne Inquiſitores ſanguinis effuſioni conſentire videantur, & irregulares efficiantur, & ſubdit ita obſeruari, licet poſteriores Rom. Pontifices ab eiuſmodi irregularitate ſuis decretis præſeruauerint.

XIX. Edita
Anno
1254.

MAlitia huius temporis, & infra pag. 79. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitoribus mandat, vt hæreticis prędicent verbum Crucis, & vouentes ſe ad extirpandam hæreſim, Crucis charactere inſignire non deſinant. §. 1. Côcedit Inquiſitoribus, & Cruceſignatis priuilegium, tranſeuntibus in ſubſidium Terræ Sanctæ; Audientibus prędicationem confeſſis, & contritis poſſunt Inquiſitores indulgentiam côcedere. §. 2. Et contra impedientes, procedere valent tanquam contra fautores hæreticorum. ibid. Cruceſignatos autem abſoluere à cenſuris Eccleſiaſticis cauto. quòd contra Eccleſiam de cætero numquam erunt. §. 3. Diſpenſare etiam cum Clericis. ibid. Et concedere eiſdem, vt tempore interdicti, poſſint intereſſe diuinis, & recipere Sacramenta. ibid.

Schol. primum.

Quæro. Eſt ne verum Clem. VII. hæc, & alia priuilegia Cruceſignatis dediſſe?

RESP. Zanch. in ſuo tract. de Hæret. cap. 35. in addit. citat hanc Clem. VII. bullam, quam Genitor meus nequaquam inuenire potuit, & plura in ea contenta priuilegia enarrat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo tempore Cruceſignatorum inſtitutio, facta dicitur?

RESP. Antiquiſſimam eſſe ſcribit poſt alios Burſat. in conſ. 343. lib. 4. fere per totum, vbi egregiè, & multa de Congregatione Cruceſignatorum ſcitu digna recenſet. Ego autem ab Innocent. hoc tempore congregationem ad opus Inquiſitionis formaliter inſtitutam eſſe arbitror, quamuis etiam tempore Innocent. III. extarent, qui exterminio hæreticorum ſe vouebant, vt in cap. excommunicamus 13. §. Catholici, de Hæret. Et hoc idem ſentit incertus author. in tract. de Forma procęd. contr. Inquiſit. de hæreſ. in tit. de offic. Cruceſign.

ALEXANDER IIII. Italus, creatus anno 1254.

CONSTIT. I.

Edita
Anno
1255.

CVm à nobis petitur, & infra pag. 80. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Equites S. Lazari ab eo poſtulaſſe confirmationem eorum Ordinis, ſub regula S. Auguſtini, Quem Ordinem propterea ita confirmat, & d. Regulam perpetuò obſeruari mandat.

Schol. primum.

Quæro. A quo, & quando Ordo iſtorum Equitum dicitur inſtitutus?

RESP.

Digitized by Google

RESP. A S.Baſilio circa annum 1123. ſecundum Ciacon. in vita Calliſti II. qui eo tempore in Petri ſolio ſedebat. Et habetur etiam in vita eiuſdem S.Baſilij, vt inquit Franc. Mennenſ.de Orig.Milit.in tit.de Ordine SS.Mauritij, & Lazari, pag.mihi 50.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ante hanc Papæ approbationem, poterant ne iſti Equites cenſeri perſonæ religioſæ?

RESP. Negatiuam ſententiam tenendam puto, per ea, quæ latè conſulendo ſcribit Panormit. in conſ.104. lib.1. per tot. Et etiam quia regula S.Auguſtini non fuit inſtituta pro Militibus, ideo opus erat authoritate Apoſtolica: Hodie autem clarè legitur diffinitum à Greg.X. in cap.1. de Relig.dom. in ſexto.

I I.

Editæ Anno 1255. & 1257

CVm ſecundum tenorem, & infra pag.80. *Item*. Fel.rec. & infra pag.80. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat §§.4 & 36. bullis Innoc.iiij. in Bullar. pag. 68.& 69. circa electionem à Magiſtratibus ſecularibus faciendam, de duodecim viris pro S.Inquiſitione, & pro ſyndicandis eiſdem Magiſtratibus. §.1. Declarat etiam § 9.dictæ conſtitutionis, circa pœnam & bannum, quòd publicare poſſunt Officiales Inquiſitionis, in §.1. conſtitutionis huic annexæ. Declarat. §.17. circa deſtructiones domorum, in quibus captores hæreticorum impediti, vel ipſi hęretici, reperti fuerint. §.5. Declarat inſuper. §.36. Circa ſyndicatum Magiſtratus præcedentis. §.9.

Schol. primum.

Quæro. Hæc pęna, dirutionis domus, eſt ne ab iſto Pontifice inducta?

RESP. Non; ſiquidem in duobus Concilijs antea hanc pœnam indictam fuiſſe affirmat Pegna in Direct. Inquiſit. par.3.comment. 91. verſ.Hec pęna, vbi ſubdit, quādoque etiam ſolum dirutę domus Sale conſpergi, cum dirorum prolatione, & imprecatione verborum, in deteſtationem criminis hæreſis; Vel quandoque apponi ſolidum lapidē, vt perpetuum exter ibi infamię monumentum cū certa inſcriptione, quod in Hiſpania ſeruatū fuiſſe recēſet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid, ſi domos ob eiuſmodi delictum diruenda ſit communis inter hæreticum, & non hæreticum; An tota erit deſtruenda?

RESP. Multæ ſunt in hoc opiniones relatę ab Alber.de ſtatut.par.3.q.46. quarum ea mihi ſolidior videtur, quòd tota domus deſtruatur in deteſtationem huius criminis, ſoluta parte non hæretico, per hæreticum, ſi ſoluendo eſt, ſin autem, ab Officio S.Inquiſitionis, vt per Alber. vbi ſupra, quem ſequitur Gyg.de Crim. læſ. maieſt. lib.2. de Pœnis committ.crim.læſ.maieſt.quæſt.37.nu.2.

I I I.

Edita Anno 1255.

CLara claris præclara miraculis, & infra pag. 81. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert B.Claram hortatu S.Franciſci de Aſſiſio, ſeculū dereliquiſſe.§.1. Bonaque ſua pauperibus diſtribuiſſe.§.2. Plures ſocias ſecum aſſumpſiſſe in Eccleſia S.Damiani. §.3. Hortulanamque huius nominis matrem ſuam inter eas fuiſſe. §.4. Eamdem B.Claram multum in religione profeciſſe. §.5. Miraculis, quorum ſeptem referuntur, in vita claruiſſe.§.6. Et alijs quatuor poſt obitum. §.7. Eam ideo Pontifex de conſenſu Cardinalium, & Prælatorum inter Sanctas reponit.§.9. Eiuſque feſtum pro die 12. Auguſti inſtituit. §.10. Viſitantibus eius ſepulchrum Indulgentiam elargitur.§.11.

Schol. primum.

Quæro. Eius acta, & vitam quis me vberius docebit?

RESP. Surius de Hiſtoria Sanctorum ſub hac die 12. Auguſti, & nouiſſimè de omnibus habetur in Chronicis Franciſcanorum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Papa hanc Beatam Claram, quæ anno 1253. obierat, vt inquit Baronius in Martyrologio dicta die tam breui poſt tempore canonizauit, cùm ſoleat à Sede Apoſtolica canonizatio per longa tempora differri, vt miraculorum, & virtutum, vtræq; probitas canonizandi magis eluceſcat?

RESP. Ea ratio reddi poteſt, quòd diuturnitas temporis non eſt de neceſſitate; vnde quandocumque, ſine longa expectatione habet Papa probationem vitæ, & miraculorum, canonizatio fieri poteſt, vt Innocentius, Hoſtienſis, & Zabarella, ac alij firmant in cap.1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Cùm autem hæc Beata Clara, in Ciuitate Aſſiſij non longè ab Vrbe Roma, ſcilicet, non vltra octuaginta paſſuū millia vixerit, & mortua ſit, adeo vitæ ſuæ excellentia, probitas, & miracula breui temporis curſu Papæ nota fuerunt, vt non vltra neceſſe fuerit eius canonizationem differre.

I I I I.

BEnigna operatio diuinæ voluntatis, & infra pag. 83. Bullarij. Edita Anno 1255.

COMPENDIVM.

Enarrat virtutibus, & miraculis S.Franciſcū de Aſſiſio pręclarum fuiſſe.§.1. Et ideo à Greg.IX. inter SS.relatum fuiſſe.§.2. Inter quæ hic Pont.admodum extollit ſtygmata, quæ viſa fuerunt in vita, & poſt mortem.§.3 Comprobat illorum veritatem.§.4. Hortatur Prælatos ad excitandam in populis huius Sancti deuotionem. §.5. Et ad contrarium præſumentes coercendum.§.6.

Schol. primum.

Quæro. Cur edita fuit hæc conſtitutio ſtante alia Greg. IX. conſt. 12. de hac eadem ſtygmatum veritate?

RESP. Quoniam adhuc multi obdurate aſſerebant contrarium; Quinimo non defuerunt aliqui, etiam poſt huiuſmodi Alex. conſtitutionem in obduratione permanentes, & ideo altera eius Bulla edita Anagniæ die 28. Iulij. 1259. hic idem Pontifex eiuſmodi temerarijs hominibus tunc in Caſtellæ, & Legionis partibus commorātibus pęnam priuationis officiorum omnium, & excommunicationis iniunxit, huius quidem bullæ authenticum, Genitor meus non habens eam prætermiſit: ſed eam impreſſam vidi inter conſtitutiones iſtius Pont. in lib. nuncupato Monumenta trium Ordinum S.Franciſci.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid tandem hac in re firmatum fuit?

RESP. Omnium ferè credulitas firmata eſt B.Franciſcum memorata ſtygmata in Monte Aluerniæ, in Hetruria, biennio ante eius obitum habuiſſe, & ideo horū ſtygmatū ſpecialis feſtiuitas, decreto Benedicti xj. & Sixti V. quotannis celebratur die 17.Septembris, vt affirmat Baron.in Martyrolog.hac die, vbi recēſet etiam aliquot grauiſſimos authores hac de re luculenter ſcripſiſſe, & luculenter vidi explicatam in lectionibus, quas Fratres Minores hac die de officio ſuorum ſtygmatum recenſent.

V.

EX parte veſtra nobis fuit intimatum, & infra pag.84. Bullarij. Edita Anno 1255.

COMPENDIVM.

Generalis, & Prouinciales Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium huic Pontifici ſupplicarunt, vt ſalubriter prouideret, quòd Fratres d.Ordinis ad Epiſcopalem, & alias dignitates promoti, libros, & alia quæ tempore ſuæ promotionis habent, proprijs vſibus applicare non pręſumant. in princ. Ipſe ergo ſic decernit, & libros, aliaq. bona prædicta generali Miniſtro, vel ſuis Prouincialibus Miniſtris reſignari præcipit, niſi forſan ipſorum vſus ad tempus ſit de gratia ſpeciali conceſſus. §.1.

Schol. primum.

Quæro. Quid circa prædicta, ſtatutum credimus de Fratribus Ordinis Prædicatorum?

RESP. Hoc idem ferè decreuit poſtea Clemens iiij. in quadam ſua Conſtit.incipien. Prouideoti,* prout aſſerit D.Antoninus de Suſpenſ.cap.4. num.20. in qua habetur etiam Fratres illos Prædicatores ab executione Pōtificalis Miniſterij eſſe ſuſpenſos, qui bona illa non reſignauerint, ante munus conſecrationis receptum. Eius autem diplo-

matis tenorem ex libro Priuilegiorum d. Ordinis Prædicatorum deſumptum hic impreſſum videbis.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS
Seruorum Dei.

Dilectis filijs Magiſtro, & vniuerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Prouidentia laudabilis, & ſalubris in cũctis veſtris haberi decet operibus, vt eamde claritatem nominis in conſpectu Dei, & hominum habeatis.

Cùm itaq; (ſicut aſſeritis) contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de Ordine veſtro ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, & alias Prælaturas Eccleſiaſticas aſſumũtur, non conſiderantes, quòd ex profeſſione in ipſo emiſſa Ordine, nihil habent proprium, quòd ſibi ſpecialiter valeant retinere, libros, & alia, quæ apud eos huiuſmodi tempore promotionis habent, vſibus proprijs applicare, ſecumq; reportare præſumant, in propriç ſalutis diſpendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum. Nos pręſumptioni huiuſmodi volentes ſalubriter refragari, Vniuerſis Fratribus dicti Ordinis, ad huiuſmodi Archiepiſcopatus, & Prælaturas de cętero aſſumendis, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne conſecrationis munus quoquo modo recipiant antequam libros, & bona contingentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore ſuæ promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conuentibus, de quibus aſſumpti fuerunt, cum integritate reſignent: niſi forſan ijdẽ Priores, de conſenſu ipſorum Conuentuum, vſum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſterij nouerint ſe ſuſpenſos, inter huiuſmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & illas cartulas membranas, in quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia cum aliquibus priuatis ſermonibus collegerunt. Nulli ergo, &c. Dat. Viterbij Idus Iunij Pontificatus noſtri anno Quarto.

Schol. ſecundum.

Quæro. Et de Monachis quid dicendum?

RESP. Idem quod de Fratribus Minoribus ſtatutum antea fuiſſe videtur, vt in cap. 1. verſ. Sed quicquid. cauſ. 18. quæſt. 1.

VI.

Edita Anno 1256.

LIcet Eccleſiæ Catholicæ, & infra pag. 84. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat varias Eremitarum ſpecies diuerſa profeſſione, diſparibus titulis, & diſſimili habitu extare. §. 1. Et propterea ad eorum vnionem promouendam, aliquot ea eis ad ſe accerſiri fecit. §. 2. Cui negotio Cardinalem S. Angeli pręfecit. §. 3. Qui omnes Eremitarum Congregationes in vnã Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſionem, & regularem obſeruantiam vniuit. §. 4. & ſeqq. Vnionem hanc ipſe Pont. approbat. § 7. Habitumq; vniformem; & cucullas nigri coloris ab eis deferri iubet. §. 8. Et hanc vnionem ab omnibus ſeruari pręcipit. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore initiatus eſt Ordo Eremitarum Sancti Auguſtini?

RESP. Videntur Eremitæ initiũ habuiſſe ante S. Auguſtinum, vel ſine dubio ab eo approbari, & reformari, vt ſcribit Caſſan. in Cath. de Glor. mund. par. 4. conſiderat. 71. Eoſdem circa annum 350. in Vrbe extitiſſe, memorat Ciacon. in vita Iulij Primi. Et ab ipſo S. Auguſtino ortum habuiſſe inquit Eman. Roder. in tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 2. artic. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Præcedentia ergo debetur iſtis Eremitis S. Auguſtini ante Fratres Minores Conuentuales S. Franciſci?

RESP. Nequaquam, nam licet antea fuerint illi, quàm iſti, nihilominus approbatio Ordinis Minorum obtenta fuit ab Honorio iij. anno 1223. vt ſupra in eius Conſtit. 5. pag. 12. Eremitarum autem Ordo, non ante hanc diem, qua vnio iſta emanauit, approbatus videtur; Tempus autem approbationis ad præcedentię articulum attenditur, vt ſuo loco oſtenſum fuit. Et docet apertè experientia rerum magiſtra, eo quòd in Capellis Pontificijs, & in Concilijs, & etiam in Tridentino, his Minoribus Conuentualibus tributa eſt. Et optimè iuribus, rationibuſq. oſtendit Azor. de Inſtitut. Moral. tom. 1. lib. 12. cap. 23. pag. mihi 1577.

VII.

FIrma profecto conſiſtit, & infra pag. 85. Bullarij. Edita Anno 1256.

COMPENDIVM.

Scribit Archiepiſcopo Moguntino inſtare tempus eligendi Regem, in Imperatorem poſtea promouendum, circa quam electionem multum inuigilandum eſſe probat. §. 1. Subdit Fridericum olim Imperatorem, ſuoſq; progenitores, & poſteros Eccleſiam perſecutos, & idem de ea ſtirpe de cętero timendum. §. 2. Ideoq; Conradum dicti Friderici nepotem eligendum non eſſe probat. §. 3. & 4. Contrauentores denunciari excommunicatos iubet. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt quòd iſta Conſtitutio in multis differt ab ea, quæ in alio Bullario prima vice à Genitore tuo edita fuit?

RESP. Impreſſorum culpa, vnde plures poſtea Scriptores, & ſignanter Ciacon. in vita huius Papę, ſequendo dictum textum corruptum, ſcripſit hunc Pontificem prohibuiſſe electionem Conradi filij Friderici. Ab eodem ergo Genitore meo dicta Conſtitutio veritati nunc reſtituta fuit, in pleriſque locis, & ſignanter in illis verbis, *Conrado puero nato q. Conradi prædicti Friderici filij*, & concordat cum originali in Bibliotheca Vaticana ſedulo collationata. Et Hiſtorici omnes affirmant: Et Ciacon met in vita Innocentij iiij Conradum filium Friderici deceſſiſſe, viuente adhuc ipſo Innocentio Pontifice, ſcribit; & ceteri Hiſtorici mox citandi.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo anno Fridericus, & deinde Conradus Filius, & poſtremo Conradus Nepos obijt?

RESP. Fridericus, 13. Decembris 1250. à Manfredo naturali filio infirmus in lecto iacens ſtrangulatus fuit. Cõradus filius ſcelere eiuſdem Manfredi dum infirmabatur, veneno à Medicis, pecunia corruptis, immiſſo in clyſtere, perijt. 21. Iunij 1254. Conradus autem Nepos Neapoli decollatus anno 1268. vt ſcribunt Monach. Paduan. in Chronich. lib. 2. Ricordan. Malaſpin. in Hiſtor. Florent. cap. 193. & Nauther. generat. 43. vol. 3. Et de hoc Conrado, alias Conradino meminit Angel. in l. 5. Cod. de ſecund. nupt. num. 2.

VIII.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 86. Bullarij. Edita Anno 1256.

COMPENDIVM.

Narrat editum fuiſſe librum nuncupatum (Breuis tractatus de periculis nouiſſimorum temporum) multa execrabilia, & ſcandaloſa continentem. §. 3. & ſeq. Et ſignanter contra poteſtatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum, Necnon contra illos, qui propter Deum, ſub arctiſſima paupertate mendicant, Et contra ſalutarem ſtatum Religioſorum Mendicantium, ſicut ſunt Fratres Prædicatores, & Minores. §. 5. Omnia ergo Pontifex reprobat, & damnat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Hic liber eritne etiam hodie prohibitus, cùm in Indice librorum prohibitorum non reperitur?

RESP. Prohibitus ſine dubio, cùm huius Pontificis damnatio ſit perpetua, vt in §. 6. Sed tamen puto in dicto Indice damnari eumdem librum, ſi non ſpecificè, ſaltim ſub regulis generalib. ibi poſitis, ſicut olim dãnati fuerũt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis author fuit huiuſmodi damnati libelli?

RESP. Quidam Guilhelmus de S. Amore, contra quem hic idem Pontifex anno ſubſequenti ad Regẽ Franciæ has dedit litteras, quas hic inſerere ſuperuacuum non eſſe viſum fuit.

ALE-

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio Illuſtri Regi Franciæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum propter multiplices culpas, & grandes offenſas, quas Guillhelmus de S. Amore temerariè cõmiſiſſe dignoſcitur & ſpecialiter propter libellum pernicioſum, & deteſtabilẽ ab ipſo compoſitum, cuius principiũ. *Ecce videntes clamabunt foris*, & titulus *Tractatus breuis de periculis nouiſſimorum temporum* dicebantur, ac per nos olim de Fratrum noſtrorum conſilio reprobatum, & in perpetuum condemnatum, meruerit graues pęnas, eidem Guillhelmo, Nos in virtute obedientiæ, ſub debito iuramenti, quod præſtitit, de ſtando præcisè mandatis noſtris, necnon & ſub excommunicationis, ac priuationis perpetuæ ab officio, & beneficijs, pęnis, quas eo ipſo eum incurrere volumus, ſi contra huiuſmodi præceptum noſtrum, venire tentauerit, ſaluis omnibus alijs mandatis noſtris, quæ ſibi forſitan viua voce fieri fecimus, aut Nuncio, vel Litteris duxerimus faciẽda, diſtrictè dedimus litteris in pręceptis, vt nullo vnquã tempore Regnum Franciæ intrare præſumat; & nihilominus omnem docendi, ac prædicandi ſibi authoritate apoſtolica perpetuò interdiximus facultatem; ita quod nec docere alicubi, nec vnquã alicui Clero, vel Populo de cætero audeat prædicare. Cùm igitur Nos celſitudo Regia rogauerit (ſicut à tua credimus memoria non elapſum) vt idem Guilhelmo, prędicti Regni interdixerimus ingreſſum, & Nos hoc prout expreſſum eſt ſuperius, duxerimus faciendũ Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus præfatum Guillhelmum, Regnum ipſum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo nouimus, quod dilectos filios Fratres Prædicatores, & Minores, ſpeciali fauore proſequeris (ſuper quo te dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi multiplices referimus actiones) Magnificentiam tuam omni qua poſſumus affectione rogamus, quatenus eoſdem Fratres pro Chriſti reuerentia, cuius ſunt deputati obſequijs, habeas benignitate ſolita commendatos, à quorumlibet iniurijs, & moleſtijs protegas, & defendas, ita quod tua potẽtia communiti, pace quieta, & quiete pacis ea cuius authori valeant famulari. Dat. Viterbij 3. Id. Auguſti, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

IX.

Edita Anno 1257.

AD capiendum vulpeculas, quæ vineam Domini, & infra pag. 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reſcripſiſſe refert Inquiſitoribus, vt cum eſſent aliqui hæretici iudicandi, ad id procederent de conſilio Epiſcoporum, vel eis abſentibus, Vicariorum. §. 1. Et modo eiuſmodi reſcriptum limitat non procedere, cum ipſi hęretici publicè hęreſim coram Inquiſitoribus confeſſi ſunt, & obſtinati in ea perdurent. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Inquiſitor, & Epiſcopus diſcedant?

RESP. Vterque eorum negotium bene inſtructum Sedi Apoſtolicę denunciare debet, vt decreuit poſtea Bonifacius viij. in cap. Per hoc 17. de Hæretic. in 6. & tradit Eymeric. in Direct. Inquiſit. quæſt. 50. & ſequitur Pegna in ſuo Comment. 99. in princip.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſt huiuſmodi Conſtitutionem Vrbanus iiij. in Conſtit. 2. §. 5. in Bull. pag. 96. & Clem. V. generaliter decreuerunt ambos inſimul procedere debere ad tormẽta, vel ſententias in cauſis fidei in clem. 1. §. 1. de Hęretic. remanetne propterea hæc Alexandri iiij. ordinatio correcta?

RESP. Negatiuè. Quia dicta Clem. 1. generaliter loquens non tangit ſpecialem caſum hæreſis publicæ confeſſatæ, & in qua confeſſus perſeuerat, & ideo in eius odium tenenda eſt Alexandri Conſtitutio, & euitanda eſt præcedentis legis correctio, quando per interpretationẽ reduci poſſunt ad cõcordiã l. ſed & poſteriores. 28. ff. de legib. optimè Rom. conſ. 40. ſub nu. 5. & conſ. 57. nu. 3. Lap. alleg. 88. nu. 5. Ang. conſ. 214. nu. 2. Pręſertim quando lex poſterior eſt generalis, & de ſpeciali non facit mentionem Alex. conſil. 123. lib. 4. nu. 16. Tunc enim diſtinguitur ſecundum legem antiquam Bart. & alij in d. l. ſed & poſteriores, Iaſon. qui alios citat in l. ſciendum. 15. ff. qui ſatiſdict. cog. num. 4.

X.

Edita Anno 1257.

IMplacida relatio, & infra pag. 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Communitatem Mantuę ſtatuta impedientia Officium Inquiſitionis hæreticę prauitatis edidiſſe, enarrat ex relatione ſibi data. §. 1. Pręcipit ergo Epiſcopo Mutinenſi, vt ea inquirat inuenire, & inuenta reducere ad modum quo dictum Officium nõn impediatur. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nonne eiuſmodi Statuta erant ipſo iure nulla?

RESP. Proculdubio nulla erant, nedum ex lege Friderici quondam Imperatoris, ſed etiam Honorij iij. qui eam approbauit, vt eſt videre in Bullario pag. 43. vbi vtraque lex habetur, Et refertur illa Friderici, etiam in auth. caſſa. Cod. de ſacroſ. eccleſ. & approbatur à Bonifacio viij. in capit. Vt Inquiſitionis. 18. de Hęret. in 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Inquiſitores authoritatem aliquam habent, hęc agendi abſque ſpeciali iuſſu Pontificis?

RESP. Vrbanus iiij huius Pontificis ſucceſſor hoc ſpecialiter Inquiſitoribus in facultatibus dedit in cap ſtatutũ. 9. de Hęret. in 6. & refert Eymerich. in Direct. Inquiſ. par. 3. quęſt. 34. & Carrer. in Tract. de Hęretic. ſub nu. 93. verſ. item poteſt. Quinimo etiam hoc tempore Inquiſitores habebant hanc auctoritatem, ex conſt. 9. Innocentij iiij. Prędeceſſoris huius Alexandri, quæ eſt in Bullario pag. 69. in §. 38. de qua meminit etiam Pegna in pręcit. Director. Inquiſit. Comm. 83.

XI.

Edita Anno 1258.

OFficij noſtri cura nos admonet, & infra pag. 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suſcipit Eremum Camaldulenſem, eiuſq; loca, quę enumerat, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 1. & 2. Ea omnia ſubijcit Priori dicti Eremi, §. 3. Eximitq; a ſuperioritate Ordinariorum. §. 4. Priori prędicto omnem in perſonas, & bona Congregationis authoritatem tribuit. §. 5. Diuinorum celebrationem, & Ordinum receptionem permittit. § 6. & ſeq. Exemptionem à decimis concedit. §. 9. Receptionem venientium ad Ordinem admittit. §. 10. Prohibet diſceſſum ab Ordine, & bonorum alienationem. §. 1. & ſeqq. Quando ab Ordinarijs excõmunicari poſſint decernit. §. 14. Noua loca apud loca Cõgregationis ſtatui vetat. §. 15. Sepulturam in locis Eremi omnibus permittit. §. 16. Exemptiones, & immunitates omnes confirmat. §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegium exemptionis de qua in §. 4. fuitne à Concilio Tridentino in aliu reuocatum, quam in capitibus à ſuo Genitore in apoſtilla huius bullę indicatis?

RESP. Poterunt Ordinarij opportunis remedijs Monachos compellere, vt in eorum Monaſterijs lectio Sacræ ſcripturæ habeatur, ita ſtatuit dictum Concilium in ſeſſ. 5. de Reformat. cap. 1. verſ. in monaſterijs quoque.

Schol. ſecundum.

Quæro. Aliud priuilegium ſuſcipiendi Ordines à quocumque Antiſtite, eſt ne immutatum?

RESP. Statuit Conciliũ Tridentinum, ſeſſ. 7. c. 11. Ordines ſuſcipiẽdos à ſuo Ordinario, & præuio examine eſſe.

XII.

Edita Anno 1258.

QVod ſuper nonnullis quæſtionum articulis, & infra pag. 89. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat illum cenſeri relapſum in hæreſim, qui quãuis non conuictus, violenter ſuſpectus tamen, eam in iudicio

Digitized by Google

abiurauit. §. 1. Decernit communicantem cum hæreticis poſt abiurationem hæreſis, de qua tunc, vel poſtea eſt conuictus, relapſum cenſeri. §. 2. Teſtes qui iurauerant tàm de ſe, quàm de alijs veritatem dicere, ſi peierent poſtea contrarium dicendo, iubet recipi in cauſis fidei, dum tamen ex manifeſtis inditijs conſtet verum dicere. §. 3. Inquiſitoribus prohibet cognitionem ſortilegiorum, §. 4. Et pariter vſurarum, §. 6. Declarat quando hæredes vel detentores bonorum hæreticorum poſſint cogi ad complendam pœnitentiã eis iniunctam. §. 5. & 7. Declarat ſenſum clauſulæ, *tam per ſe, quàm per alium inquirendi.* § 8. Decernit Clericum perpetuò immuran. prius eſſe degradandum. §. 9. Inquiſitores poſſunt procedere contra Clericos inſtruentes alios celare veritatem in cauſis fidei. §. 10. Religioſi in hæreſim delinquentes, ſunt grauius quam laici puniendi. §. 11. Filij, & nepotes hæreticorum, quando priuandi ſunt honoribus, ac beneficijs eccleſiaſticis. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Periuros admitti dicitur in §. 1. cum primo quis iuraſſet, tàm de ſe, quàm de alio veritatem dicere. quid ergo ſi ſolum vti Teſtis contra alios deponere iurauit?

R E S P. Idem ius in vtroque caſu militat ex identitate rationis, nempe fauore fidei, in quo deciſio textus fundatur, vt docet Zanch. de Hæretic. cap. 14. n. 5. Arelat de Hęret. notab. 13. cum quibus ſtat Pegna in Direct. Inquiſ. comment. 114. verſ. rurſus, par. 3. quicquid de hoc dubitaſſet Couar. lib. 2. variar. reſol. ſub num. 9. cap. 13.

Schol. ſecundum.

Quæro. In d. §. 4. loquitur Pontifex de negante in primo dicto hęreſim, & poſtea detegente, Quid ergo erit in caſu contrario?

R E S P. Tunc ſtandum primo dicto fauore fidei, vt affirmant Zanch. & Pegna, ac Couar. mox citat. quorum ſententiam probat etiam Menoch. de arbitr. iudic. caſu 108. num. 13.

X I I I.

Edita Anno 1258.

EX parte veſtra fuit propoſitum, & infra pagin. 91. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Filij, & hæredes petentium in ſua infirmitate conſolationẽ hæreticorum per manuum impoſitionem, nõ admittuntur ad probandum, quod tunc illi non erant ſanę mentis, quando conſolationem recipiebant, ſi tempore quo petierunt erant ſanę mentis: ſed in dubio ſunt admittendi ad probationem per teſtes idoneos non autem domeſticos. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt conſolatio per manus impoſitionem?

R E S P. Conſolatio, eſt Hęreticorum ſpiritualis baptiſmus, ſine quo ſecundum eos, nec peccatum dimittitur, nec Spiritus Sanctus alicui datur, Manus autem impoſitio hoc ritu ab eis abſoluitur. Eorum Prępoſitus, cum aliquis ex eis incidit in peccatum, aut ad eorum ſectam conuertitur tenet ante pectus ſuum librum Euangeliorum, vel totius noui teſtamenti, is verò qui conſolationem eſt recepturus, vbi confeſſus eſt in genere dicens ſe eſſe peccatorem, & humiliter ad petendam veniam accedere, ille Prępoſitus abſolutione peracta, ponit dictũ librũ ſuper caput illius, & qui de ea ſecta adſunt, incipiunt ſuo ordine dicere orationem Dominicam, vt refert Pegna in Direct. Inquiſit. comment. 38. par. 2. verſ. manus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hęc eadem diſpoſitio Alexandri Pontificis haberet ne locum in conſolatione, quæ peteretur ab Hęreticis noſtri ſeculi, & alijs cuiuslibet temporis?

R E S P. Haberet proculdubio ex identitate rationis, vt tradidit Pegna in direct. inquiſit. par. 3. comment. 170. verſic. iam diſpoſitio.

X I I I I.

SVper extirpatione hæreticę prauitatis, & infra pag. 91. Bullarij. Edita Anno 1258 & 1260

Item. Ad audientiam noſtram, & infra, ibid.

C O M P E N D I V M.

Hæreticis, & eorum complicibus, vel fautoribus conuerſis ſub certa pecunia, pęna inter cætera iniungẽda eſt, quod fidem Catholicam firmiter tenebunt, & hæreticis de cętero non fauebunt, in princ. Pęnas huiuſmodi exigendas declarat, vbi exponendas eſſe velit in §. 1. Ad pęnarum huiuſmodi exactionem. Inquiſitores etiam per cenſuram eccleſiaſticam prouideant, vt in conſtit. præcedenti annexa. § 1.

Schol. primum.

Quæro. Cautio pecuniaria requiritur ab alijs, quam ab eiuſmodi ad fidem redeuntibus?

R E S P. Exquiritur ab his, qui tamquam Illuſtres Viri in aliquo certo loco cuſtodiendi ſunt, vel ab his, aut alijs, qui aliqua ex cauſa relaxantur ſub certa pęna repræſentandi Inquiſitoribus, qui rarò hoc faciunt, cùm in crimine hæreſis nihil boni ſoleat ex huiuſmodi relaxationibus euenire, vt poſt alios quos recenſet, ſcribit Pegna in direct. Inquiſit. comm. 139.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne poſt hanc conſtitutionem Papa Clemens V. in cap. 2. de Hęreticis, prohibuit Inquiſitoribus pecuniarum extorſionem?

R E S P. Illa prohibitio reſtringit ſe ad extorſionem ex modis illicitis, vt ibi gl. Io. And. & alij aduertunt. Hic autem modus exigendi pęnas, nedum eſt illicitus, ſed pro negotio fidei opportunus, atque proficuus, vt hic decernitur.

X V.

EXortus in agro fidei Chriſtianæ, & infra pagin. 91. Bullarij. Edita Anno 1258.

C O M P E N D I V M.

Quod Prælati, & Magiſtratus omnes faueant, & auxilientur Inquiſitoribus Hęreticæ prauitatis. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Aliqua ne etiam Canonica, vel Ciuili lege id iam cautum fuerat?

R E S P. Canonica vt in conſt. 9. Innocentij iiij. §. 20. in Bullario pag. 68. & antea etiam Imperiali à Friderico olim Imperatore, vt videre eſt in conſtitutione prima eiuſdem Pontificis, §. 11. pag. 60. & meminit Pegna in director. Inquiſit. par. 3. comment. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Reſtringitur ne iſta conſtitutio ad auxilium in concernentibus officium Inquiſitionis, vel potius intelligitur etiam in cæteris omnibus?

R E S P. Quæſito tuo ſatisfacit tex. met. aduertendo illa verba, *in prædicto exequendo negotio*, quæ plana ſunt. Quæ autem Magiſtratus pro officio Inquiſitionis agere debeant, multa quidem ſunt, ſed eorum aliqua perlege in duabus conſtitutionibus Innocentij iiij. tibi proximè indicatis.

X V I.

FIrmiſſima teneat veſtra pruden tia, & infra pag. 92. Bullarij. Edita Anno 1259.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitoribus verè pęnitentibus, & confeſſis concedit in vita Indulgentiam plenariam ſuorum peccatorum. §. 1. Eorum Socijs, & Notarijs, & alijs in proſecutione negotij Inquiſitionis ex animo auxiliantibus, tres annos relaxat. eod. §. 1. verſ. Socijs. Cuicumque ex prædictis in proſecutione dicti negotij decedentibus omnium peccatorum veniam indulget, dicto §. 1. verſ. & ſi qui.

Schol.

Digitized by Google

Schol. primum.

Quæro. Indulgentias de quibus in §.1.cooſequuntur alij etiam Inquiſitionis Miniſtri, vt puta Cooſultores, Fiſcales, & alij?

RESP. Iſti, vt firmiter credo, auxiliatorum appellatione veniunt, Sed in expreſſo ita tenet hoc Pegna io Direct. Inquiſit. par. 3. com. 177. verſ. Num, autem.

Schol. ſecundum.

Quæro. Habent nè præfati Inquiſitores maiores Indulgenitas, quam enunciatas in principio huius Conſtitutionis?

RESP. Habent profectò omnem Indulgentiam elargitam ſuccurrentibus Terræ Sanctæ, vt habetur in Conſtit. 2. Vrbani IV. §. 11. in Bull. pag. 97. Quæ autem illa ſit, perlege in conſtit. vltima Ionocentij III. in Bullario pag. 42.

XVII.

Edita Anno 1260

A D audientiam noſtram peruenit, & infra pag. 92. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitores poſſunt cogere quoſcunque Magiſtratus, aut Communitates, vt eorum ſententias executioni demādent. §. 1. Et quodcunque contrarium priuilegium nemini ſuffragetur §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quod Inquiſitores in eorum ſententijs condemnatorijs contra abiurantes, vel ſuſpectos, non dicunt, punimus, ſed pœnitentiamus?

RESP. Quoniam non ſunt propriæ pœnæ, ſed ſalutares medicinæ, adhibitæ, vt verè verum teneant Catholicam fidem, Pegna in Direct. Inquiſ. par. 3. Comment. 40. in fin. Illæ autem quæ ſint, & quid in eis obſeruandum ab Inquiſitoribus, conſule Zanchin. de Hæret. cap. 20.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquis Rex, exequi recuſaret ſententias Inquiſitorum?

RESP. Arbitror Papam eſſe conſulendum, per ea, quæ in maioribus terminis tradit Eymeric. io Director. Inquiſ. par. 3. quæſt. 31. & ibi Pegna in Comment. 80. vbi ad hoc plures etiam Canoniſtas allegat.

XVIII.

Edita Anno 1260.

C Vpientes, vt Inquiſitionis negotium, & inſ. pag. 92. Bullar.

COMPENDIVM.

Ioquiſitores cogere poſſunt quoſcumque ad eis exhibendum ſcripturas, & inſtrumenta, ſpectantia ad eorum officium, in princ. Et redeuntes ad fidem abſoluere. §. 1. Clerum, & Populum contra hæreticos, & contra fautores conuocare. §. 2. Conſoltores quoſcumque in ſententijs aduocare. d. §. 2. Accedentibus ad vocationem Inquiſitorum, poſſint ipſi Indulgentias concedere. §. 3. Summarieq; procedere etiam contra abſentes, qui in eorum Prouincia delinqoerunt. §. 4. Nulla priuilegia in contrarium conceſſa quicquam iuuent. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quod dicitur hic in princ. intelligitur forſan, vt contra ſeipſum, quis cogatur exhibere inſtrumenta?

RESP. Sic nempe intelligitur fauore fidei, ita tenet Franc. in c. Vt commiſſ. 12. de Hæret. in 6. nu. 4. vbi ſic intelligit gloſ. ibi poſita io verbo, qoibuslibet, Quod placet etiam Purpur. in l. fin. Cod. de Eden. nu. 20. quem ſequitur Arelat. de Hæret. notab. 21.

Schol. ſecundum.

Quæro. Tenentur Inquiſitores ſequi Conſilium Conſultorum de quibus in §. 2.?

RESP. Controuerſus admodum eſt articulus, ſi quidē negatiuam ſententiam probat Albert. in cap. 1. de Hæret. io 6. in 10. quæſt. princ. & in Tractat. de Agnoſc. aſſert. hæret. quæſt. 16. nu. 11. Affirmatiuā vero aſſeuerat, & communiter receptam aſſeuerat Burſat. cooſ. 90. lib. 1. nu. 36. & 46. vbi per decēnium continuum Mantuæ vbi iuſſu Pij V. officio Aduocati Sanctiſſimæ Inquiſitionis functum fuiſſe refert, & ita obſeruatum fuiſſe affirmat. Sed diſtinctione opus eſſe, doctiſſimus Pegna in puncto demonſtraoit, & optimis quidem rationibus in Director. Inquiſ. Comment. 127. parte. 3.

XIX.

Edita Anno 1260.

A D extirpandam de partibus veſtris, & infra pag. 93. Bullarij.

COMPENDIVM.

Epiſcopi, Prælati, & Clerici, ac religioſi, & ſæculares etiam exempti, debent requiſiti, concedere ſaluum conductum Inquiſitoribus de loco ad locum. §. 1. Alioquin excommunicatione aſtringuntur. d. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt ſaluus conductus?

RESP. Eſt ſuperioris diploma, ſeu literæ, quibus imperatur, vt Inquiſitoribus omnis immunitas, fauorq; præſtetur, Pegna in Direct. Inquiſ. par. 3. Comment. 1. vbi loquitur de ſalua guardia. Dicitur autem ſaluus conductus, quia ſaluam conducit perſonam, cui conceditur, Bellin. de Re milit. io princ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Saluus conductus ſimpliciter datus, cēſetur, nè, perpetuò datus?

RESP. Multifaria diſtinctio dari poſſet in articulo iſto generaliter propoſito, ſed ad punctum noſtrum dico, quod fauore fidei cenſetur perpetuò conceſſus intelligendo perpetuitatem, quouſq; Inquiſitores nominati in eo, perdurāt in officio, l. 3. vbi Bald. & Caſtrenſ. Cod. de poſtul. l. fin. & ibi Scribb. ff. de Conſtit. Princip Bar. in l. 1. ff. ad leg. Iul. Maieſt. in fin. quos citat, & ſequitur Magalot. io ſuo Tract. de Salu. cond. par. 4. oum. 7.

XX.

Edita Anno 1260.

A Dextirpandam de partibus veſtris, & infra pag. 93. Bullar.

COMPENDIVM.

Barones, Magiſtratus, & Officiales quicunq; requiſiti, teneantur Inquiſitoribus prouidere de ſaluo conductu de loco ad locum. §. 1. Alióquin pœnam excommunicationis, & pecuniariam incurrunt. d. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Saluus conductus ſi daretur pro eundo ad certum locum, & Inquiſitor vellet poſtea redire, vnde diſceſſit, ſuffragaretur nè ſibi?

RESP. Regulare eſt, qood ſuffragetur, gloſ. vltima in l. Vtimur. 5. ff. de Sepulchr. viol. Bart. ibid. n. 1. & Angel. in princip. Ferret. in Tract. de Gabell. nu. 95. Et ideo hic eo magis eſt fauore Inquiſitorum, vt communiter teneri fatetur Bellin. de Re milit. num. 21. in fin. licet etiam quandam diſtinctionem proponat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba, *de loco*, comprehendunt ipſum locum, vel excludunt?

RESPONDEO. Sentio, non comprehendere, ſi Inquiſitor diſcedit à loco ſuæ quietis, quem tutum appellat, quia neque impetrans, neque concedens de hoc dubitaſſe cenſetur, vt ſcribit Bellin. in loco proximè citato num. 18. Secus ergo ſi diſcedit à loco non tuto, & pro quo, præcedentem non haberet ſaluum conductum, vt contrariorum ſit eadem diſciplioa.

XXI.

Edita Anno 1260.

D Iſcretioni veſtræ, de qua, & infra pag. 93. Bullar.

COMPENDIVM.

Inquiſitores, bona hæreticorum, eorumq; complicum, & defenſorum publicata, vel publicanda, poſſunt alienare, dummodo eorum pretium ad opus Eccleſiæ conſeruetur.

Schol. primum.

Quæro. In huiuſmodi confiſcatione comprehenditur dos vxoris hæretici?

RESP. Non comprehenditur dos coniugis catholicę, vt

dcti-

definiuit Innocentius IV. ad tex. in cap. Decreuit. 14. de Hæret. in 6. Sed egregie declarat Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. Comment. 160. Vt ille tex. non procedat in vxore, quamuis Catholica, ſcienter contrahente matrimonium cum viro hæretico; Secus verò ſi poſtea virum intelligat eſſe hæreticum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſt mortem hæretici, poteſt ne deueniri ad confiſcationem bonorum, ſi eo viuente non fuerit per ſententiam declaratum?

R E S P. Hic idem Pontif. in cap. Accuſatus. §. 5. In eo vero. de Hæret. in 6. apertis verbis affirmatiue hoc decidit, prout deinde idem reſcripſit Vrbanus IV. die 21. Auguſt. 1262. in eius litteris quas imprimi curauit Pegna poſt Director. Inquiſ. Sed Genitor meus prętermiſit, ſtante d. cap. Accuſatus, & etiam cap. 1. de Hæret. in 6. In quibus tota fere earumdem litterarum Vrbani diſpoſitio hactenus diffinita legitur à Greg. IX. & hoc Pont. Alex. IV.

Edita Anno 1260.

XXII.

NE commiſſæ vobis contra Hæreticos, & infra pag. 93. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitores eorum officium exercere poſſunt, & procedere contra quoſcumq; cuiuſcumq; ſint dignitatis, gradus, & religionis, etiam exemptos, in princ. Reuocantur priuilegia, quæcumq; ibid. Et habilitantur omnes ad officium Tabellionatus in cauſis Inquiſitionis exercendum. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne vnquam eiuſmodi facultas Inquiſitorum procedendi contra exemptos ab alijs Pont. immutata?

R E S P. Fuit Sæpius ad fauorem diuerſorum Religioſorum à ſucceſſoribus Pont. reſcriptum, vt habetur infra in multis conſtit. à Genitore meo poſitis in Bullar. de quibus meminit etiam Pegna in Direct. Inquiſ. par. 3. Comment. 77 Vbi ſubdit, quod cum ex his immunitatibus manifeſta quandoq; in fidem pericula ſequerentur, Religioſos omnes Inquiſitoribus ſubiecerunt Clemens VII. in ſua conſtit. *Cum ſicut*, quæ eſt in Bull. ſub. num. 7. ac Pius IV. in conſtit. *Paſtoris*, quæ erit ibidem ſub n. 51. Quibus addẽdum eſt, Paulum V. in ſua conſtit. 26. alias 19. incip. *Romanus*, à quorumcunq; Religioſorum ſuperioribus iuriſdictionem cognoſcẽdi cauſas ſuorum ſubditorum, ad Inquiſitionis officium pertinentes abdicaſſe.

Schol. ſecundum.

Quæro. An ſub illis verbis cuiuſcunque; dignitatis, gradus, & conditionis comprehenduntur etiam Reges?

RESP. Comprehenduntur ex vi verborum, prout comprehenduntur ſub verbis alterius conſtitutionis Clementis IV. de qua in cap. Vt officiũ 11. §. deniq; de Hæret. in 6. & tradit Eymeric. in Director. Inquiſ. part 3. quæſt. 51. vbi tamen conſulit Inquiſitoribus, vt primitus Papam inſtruãt, antequam contra eos publicè procedat, & eiuſmodi conſilium prudẽtia plenum appellat, ibidem Pegna in Com. 80.

Edita Anno 1260.

XXIII.

CAtholicæ fidei negotium, & infra pag. 94. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitores à Sede Apoſt. deputati ſunt exempti à Prę latis ſuorum Ordinum, in concernentibus officium Inquiſitionis. §. 1. Et priuilegia Ordinum non obſtant. d. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Fallit ergo hic regula, cui conceditur, quod eſt maius, videtur concedi quod eſt minus?

R E S P. Fallit proculdubio, quia & ſi Superiores quorumdam Ordinum poſſunt, quos volunt Fratres ad exercẽdum officium Inquiſitionis eligere, eoſq; amouere, quod videtur eſſe maius, non tamen dicitur conceſſum, quod poſſint eis aliquid iubere, circa cauſas Fratribus commiſſas à Papa, quod videtur minus, vt puta, quod ſuperſedeant in aliquo articulo, vel contra certam perſonam. Et ratio eſt, quia in commiſſionibus, & priuilegijs dicta regula reijcitur, vt in terminis noſtris aduertit Eymeric. in Direct. Inquiſ. par. 3. quæſt. 17.

Schol. ſecundum.

Quæro. Placet ne tibi alia Pegnæ intelligentia, vel limitatio, vt d. regula non procedat, cum quod eſt minus, non comprehenditur ſub eo. quod eſt maius?

R E S P. Non placet, quia ſenſus huius Papæ non fuit, quod Superiores Ordinum, poſtquam inſtituerunt Inquiſitores nihil prçcipiant circa officium Inquiſitionis, eorum Vicarijs, vt Pegna ibi ſentire videtur, ſed Papa reſcribit ipſiſmet Inquiſitoribus à Superioribus Ordinum inſtitutis, vt poſt inſtitutionem eis non obediant in concernentibus eorum officium. Et ratio habetur in hoc tex. Quia electio datur eis, tamquam de idoneitate perſonarum informatis, non autem, vt ſe poſtea ingerant in officio illis tantum demandato. Et etiam quia licet eligantur ab illis Superioribus, ſpecialiter poſtea delegantur à Sede Apoſtolica, cuius ſola remanet authoritas in concernentibus illud officium. Et hanc puto veriorem rationem decidendi, quam ſupradictas.

V R B A N V S IIII. Gallus,

creatus anno 1261.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1262.

TRanſiturus de hoc mundo ad Patrem, & infra pag. 94. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat plura beneficia nobis à Deo collata, in Sacramento Euchariſtiæ in princ. Et cauſas, ob quas eius feſtum quotannis ſpecialiter ſit celebrandum. §. 1. Inſtituit ergo eius feſtiuitatem pro Feria quinta poſt octauam Pentecoſtes. §. 2. Hortatur omnes ad deuote eam celebrandam. §. 3. Indulgentias centum dierum de iniunctis pœnitentijs elargitur his, qui vere pœnitentes, & confeſſi in primis, & ſecundis veſperis, vel matutino, aut Miſſis ipſius feſti in Eccleſia interuenerint. §. 4. Item quadraginta dierum alicui ex horis canonicis intereſſentibus concedit d. §. 4. Item intereſſentibus omnibus horis canonicis per octauam cẽtum dierum tribuit d. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Circa hæc tempora celebre quoddam miraculum in Italia eueniſſe percepi, propter quod iſte Pont. celerius permotus, hanc feſtiuitatem inſtituit, quæro, an hoc verum ſit?

R E S P. Accidit quidem miraculum multis Hiſtorijs celebre in oppido Vulſinij dięceſis Vrbeuetanæ Ciuitatis: Nam cum quidam presbyter ſacra Miſſarum ſolemnia celebraret, & Conſecrationem perfeciſſet, de mirabili illa tranſubſtantiatione panis, & vini in corpus Chriſti fluctuans, dubitare cępit: Vnde ſtatim ex Sanctiſſima, quam manutenebat, Hoſtia viuus Sanguis effluxit, & totum Corporale tinxit, Quo perciti adſtantes Summo huic Pont. denunciant, qui Corporale illud ab Epiſcopo loci, debito honore, & toto Clero comite, ad Vrbem Veterem transferri iuſſit, vt poſt alios ſcribit Ciacon. in vita huius Pontifi. vbi cętera latius recenſet, corrigendus tamen in eo, quod anno 1264. Vrbanum, inquit, hanc ſua bulla feſtiuitatem inſtituiſſe cum ex eius lectura annus is fuit 1262.

Schol. ſecundum.

Quæro. An confugiens ad hoc Sacramentum, dum infirmis, vel aliter extra Eccleſiam defertur, gaudeat immunitate?

R E S P. Gaudere inquit Card. Zabarel. in Clem. v. de Reliq. & venerat. SS. num. 2. poſt Hoſtienſ. quem allegat eo nixus argumento, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis tale, & hæc opinio communi DD. calculo comprobata eſt per Clar. quæſt. 3. num. 4. & Farinac. quæſt. 28. nu. 11. & exploſo Couar. aliter ſentiente, nouiſſime idem tenet Ambroſ. in ſuo Tract. de Immunit. Eccleſ. cap. 10. num. 9.

Licet

Digitized by Google

II.

Edita Anno 1262.

LIcet ex omnibus Mundi partibus, & infra pag. 96. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitores monet, vt attente incumbant officio Inquiſitionis. §. 1. Et culpabiles puniant. §. 2. Et commiſſiones, quæ fuerint Diœceſanis directæ non impediant Inquiſitorum proceſſus, neque è contra. §. 3. Pœnitentes abſoluantur iniuncto eis, quod iniungi conſueuit. §. 4. In iudicandis hæreticis, adhibeatur conſilium Diœceſanorum. §. 5. Teſtes, adhibitis duobus religioſis, examinentur. §. 6. Notarij eſſe poſſunt Fratres qui in ſęculo eiuſmodi officium exercuerunt, vel quibus à Sede Apoſt. idem commiſſum fuerit, vel etiam Clerici ſæculares. §. 7. & ſeq. Credatur teſtibus, quorum nomina, imminente ſcandalo, non publicentur. §. 9. Omnes ſeruiant Inquiſitoribus. §. 10. Inquiſitores ſummarie procedant. § 11. Leges Friderici faciant obſeruari. §. 12. Indulgentias elargiri poſſint d. §. 12. Ipſi quoque, eorumque ſocij Notarij, & alij auxiliatores alias Indulgentias conſequuntur. §. 13. Quæſtuarios Prædicatores compeſcant. §. 14. Inobedientesque omnes coerceant. §. 15. Non obſtantibus quibuſcunque contrarijs priuilegijs cuicumque conceſſis. §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Indulgentias de quibus in §. 13. ſemel nè quis conſequitur, an in ſingulis annis perfectis, in proſecutione, & auxilio Inquiſitionis?

RESP. Affirmatiuam ſententiam probat Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Comment. 179. vbi ſubdit id aperiſſime probari in Conſtit. 16. Alexandri IV. quæ eſt in Bull. pag. 92. vbi ad hoc plurimum attendendum eſſe cenſeo, pondus illius verbi *Laborabunt*.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod dicitur de Prædicatoribus quæſtuarijs in §. 14. habet locum in alijs?

RESP. Fauore fidei ad alios trahendum eſſe, probat Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Comment. 86. vbi ad hoc plures DD. allegat.

III.

Edita Anno 1262.

EXultet Angelica tuba cælorum, & infra pag. 97. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Beatum Ricardum Epiſcopum Ciceſtrenſem multis virtutibus, & miraculis claruiſſe. §. 1. Et ſignanter continentia, in iuuentute ſua. §. 2. Et in cedendo Regno, à fratre Primogenito ſibi, ad eum inuitandum ad cõiugium, oblato. §. 3. Necnon recta adminiſtratione Archiepiſcopatus Cantuarienſis, dum B. Edemundo in officio Cancellariç inſeruiuit. §. 4. Refert etiam, B. Ricardum poſt adeptum Epiſcopatum Ciceſtrenſem, virtutibus, & miraculis præſtantiorem fuiſſe. §. 6. Refert quoque nonnulla eius miracula §. 7. & ſeqq. Proinde illum in numerum SS. Confeſſorum reponit. §. 16. Eiuſque feſtum 3. Aprilis celebrari mandat. §. 17. Indulgentias quoque eius ſepulchrum viſitantibus concedit. §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Qua patria, quibuſvè parentibus ortus eſt Riccardus?

RESP. In Pago quodam Vuigornienſis Diœceſis, nuncupato Vuich, ex Riccardo, & Alicia parentibus natus eſt, ſic ex quodam Rodulpho Ciceſtrenſi, qui huius Sancti Viri acta complexus eſt, affirmat Sur. in Vita huius Sancti ſub die 3. Aprilis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid conſequitur Sanctus per eiuſmodi canonizationem?

RESP. Innoc. in cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctorum, necnon vltra alios Zabar. nu. 7. inquiunt, quod Eccleſia recitat ſolemniter officium pro eo, & inter alios interceſſores pro nobis in Litanijs connumeratur. Et hoc admittunt omnes, qui de Canonizatione ſcripſerunt, iuxta Eccleſiaſt. cap. 44. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.*

IIII.

Edita Anno 1262.

NE Inquiſitionis negotium contra damnatam hæreſim, & infra pag. 99. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne per alicuius aſtutiam, negotium Inquiſitionis impediatur, decernit hic Pont. à nullo Sedis Apoſt. delegato, aut executore per eamdem Sedem deputato, Inquiſitores, eorumque quatuor Notarios, vel Scriptores, excommunicari non poſſe abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ.

Schol. primum.

Quæro. Quis ergo eos in officio Inquiſitionis errantes puniet, quiſvè ab excommunicatione abſoluet?

RESP. Clemens V. in clem. 2. §. qui equidem de Hæret. ab eorum Prælatis coerceri mandauit, & illis negligentibus per Ordinarios Sedi Apoſtolicæ ſignificari præcepit. Sed hodie ad Cardinales Congregationis Inquiſitionis, generales Inquiſitores, deferendi ſunt, & per eos iudicandi, vt affirmat Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Comment. 61. verſ. Quod ſi quæris; Quo vero ad abſolutionem ab excommunicatione, ſcias Inquiſitores, & ſocios mutuo, ſe abſoluere poſſe, ex indulto huiuſmet Pont. edito ann. 1262. die 4. Auguſti, quod in Appendice Genitor meus imprimendum curauit. fol. 7.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de quatuor Scriptoribus, intelligitur etiam de alijs, ſi eſſent plures. Et ſi ſunt pro aliquo debito in forma Cameręobligati, poſtquam ſunt in officio, ob eius non ſolutionem ab Auditore cauſarum Cameræ Apoſtolicæ poſſunt nè excommunicari?

RESP. Pegna vbi ſup. in Comment. 70. omnibus Scriptoribus hoc priuilegium competere docet, eo quod numerus quatuor, tunc fuerit, tamquam illis temporibus expreſſus. Excommunicari autem pro debitis contractis in officio per A. C. nõ poſſe, eo, quod hoc priuilegium datum ſit fauore fidei, Ordini Inquiſitorum principaliter, non autem eorum perſonis.

V.

Edita Anno 1263.

CVm à nobis petitur, & infra pag. 99. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander IV. tribuit Congregationi Monachorum Montis Virginis Ordinis S. Benedicti exemptionem à iuriſdictione Epiſcoporum. §. 1. Et hic Pontifex eamdem eximit à iuriſdictione, & omni præſtatione debita Ordinario. d. §. 1. Immunitateſque à Pontificibus, & Principibus Congregationi elargitas, confirmat. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. In Conſtitutione 3. Cœleſtini III. ea non memini, quæ nunc à te poſtulo, nempe quis huius Congregationis inſtitutor fuit?

RESP. Gulielmus Ciuis Vercellenſis fuit inſtitutor, vt habetur in Martyrologio Romano, ſub die 25. Iunij.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo anno iſta Congregatio Monachorum habuit initium?

RESP. Anno 1119. iſte Gulielmus in Eremo certam viuendi formam quibuſdam ſæcularibus ſacerdotibus, qui apud eum, vt ſanctam vitam ducerent, permanſerunt, alijſque præſcripſit, ita ſcripſit Thomas Coſtus Neapol. ſuper Hiſtoria, quam vidi impreſſam Venetijs 1591. in prin. Priuilegiorum d. Congregationis.

VI.

Edita Anno 1263.

ECcleſia Romana velut circumſpecta mater, & inſ. pag. 100. Bullar.

COMPENDIVM.

Abbati Monachorum Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti conceditur Priuilegium vtendi Mitra, Baculo, Benedictione ſolemni, & alijs Pontificalibus. §. 2. Necnon concedendi minores ordines, & benedicendi

Digitized by Google

dicendi ornamenta Eccleſiaſtica, dummodo ſit Sacerdos, & munus benedictionis acceperit. d. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Benedictio Abbatis, de qua in §. 2. poteſt nè alio, quam Dominico die fieri?

R E S P. Omni die hanc Abbatis benedictionem fieri tradit Zabar. in clem. 2. §. Statuimus de Stat. Monachorum num. 3. verſ. In contrarium, & Oldrad. conſil. 14. num. 7.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hic Abbas, ſi inuitaretur ad aliud Monaſterium, poſſet celebrare in Pontificalibus, de quibus in §. 2.

R E S P. Si illud Monaſterium, ad quod inuitatur, eſt exemptum, poterit: ſi verò non ſit exemptum, non poterit, vt, ſic diſtinguendo, tradit Lap. alleg. 19. ad finem, vbi Additionator concord. citat.

V I I.

Edita Anno 1263. **B**Eata Clara, virtute clarens, & infra pag. 100. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Clara Ordinē Sororum B. Frācīſci, ex regula per eum tradita, conſtituit in princ. Quæ varijs nominibus ſunt nuncupatæ, varijſque obſeruantijs ſe aſtrinxerunt. §. 1. Supplicarunt ideò Papæ pro certæ earum denominationis, & viuendi formæ traditione. §. 2. Qui Pontifex eas de Ordine S. Claræ vniformiter denominari præcipit. §. 3. Priuilegia ſub quacumque denominatione eis conceſſa approbat. §. 4. Obſeruantiarum diuerſitatem tollit, & certam regulam eis obſeruantiarum capitulorum 26. præſcribit. §. 5. Capitulorum tenorem ſubnectit. cap. 1. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. An Moniales huius ſecundæ regulæ gaudeant priuilegijs Sororum primæ regulæ, per Innoc. IIII. firmatæ, vigore approbationis priuilegiorum, de qua in §. 4.

R E S P. Gaudent proculdubio non ſolum vigore huius Conſtitutionis, ſed etiam multarum Bullarum plurimorum Pontt. qui communicationem priuilegiorum expreſſius conceſſerunt, vt recenſet etiam Eman. Roder. lib. 3. Quæſt. Regul. q. 6. art. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui aliquam mulierem inuitam ad ingrediendum Monaſterium, aut ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis cogit in aliquam incidit pœnam?

R E S P. Incidit in pœnam excommunicationis, tam ipſe, quam eius auxiliator, ex decret. Conc. Trid ſeſſ. 25. c. 18. de Regular. vbi pariformiter eadem pęna infligitur retrahenti aliquam mulierem à Religione. Illud tamen decretum intelligit optima ratione. Nauar. conſ. 55. lib. 5. in tit. de Sentent. excom. dummodo ſequatur effectus.

CLEMENS IIII. Gallus, creatus anno 1265.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1265. **O**Btentu diuini numinis, & infra pagin. 106. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Declarat, Fratres Ordinis Prædicatorum, & Fratres Ordinis Minorum poſſe in temporalibus bonis ſuccedere, de eiſque ſuo arbitrio diſponere, in quibus ſucceſſiſſent, ſi in ſæculo extitiſſent. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Qua fronte ergo Fedſr. de Sen. in conſ. 12. nu. 4. & Bald. in auth. ſi qua mulier. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n. 13. Affirmant, hos Fratres Ordinis Prædicatorum non eſſe capaces hæreditatum?

RESP. Nil aliud credendum, quam eos hanc Clementis conſtitutionem, à Genitore hic in lucem editam non vidiſſe, & ideo de ea non meminerunt prout de alijs. Puto inſuper Feder. vbi ſupra corrigendum eſſe in eo, quod inquit, Gregorium X. in c. 1. de Relig. domib. prohibuiſſe his Fratribus retentionem bonorum immobilium, Quia in §. Sanè excipit Ordinem Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonnè, quoad Fratres Minores, hoc priuilegium corrigitur a Clem. V. in Clem. Exiui de Paradiſo, de verb ſignif.?

R E S P. Loquitur ille Clemens de Fratribus Minoribus de Obſeruantia: iste vero de Conuentualibus, prout ſic aduertit etiam Eman. Rod. lib. 2. quæſt. Regul. quæſt. 78. artic. 1.

I I.

Edita Anno 1265. **C**Vm dilectis filijs Magiſtro, & Fratribus, & infra pag. 106. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Milites Sancti Lazari ſemel in anno præferantur alijs Confraternitatibus locorum in quærendis eleemoſynis. §. 1. Ab oppreſſionibus Parochianorum defendantur. §. 2. Liberas perſonas ad Ordinem recipere poſſint. §. 3. Gratis ſepeliantur §. 4. A decimis de fructibus terræ quam propria induſtria, vel expenſis colunt, & de animalibus, & eorum nutrimentis eximuntur. §. 5. Oratoria, & noua loca conſtruere poſſint. §. 6. Habitum deponentes coerceantur. §. 7. Mortuos in eorum Eccleſijs tempore interdicti ſepelire, & oblationes recipere poſſint. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Cur in Eccleſijs, vt in §. vlt. dicitur humana omnium defunctorum corpora, ſepeliri permiſſum eſt, cum antiquitus in cœmeterijs tantum ſepultura daretur?

R E S P. Quamuis in atrijs, porticis, vel cœmeterijs hactenus mortui deberent ſepeliri, cap. Præcipiendum 15. cauſ. 13. quæſt. 2. Verumtamen etiam intra Eccleſias ſepeliri permiſſum eſt triplici reſpectu. Primo, vt propinqui eorum ſepulturas reſpicientes, pro eis orent. Secundo, quia ſpecialiter commendantur patrocinijs illorum ſanctorum, quorum nomini Eccleſia dedicata eſt. Tertio, quia minus ibi vexantur à ſpiritibus immundis, cap. Cùm grauia. 17. cauſ. 13. quæſt. 2. vbi glo. id explicat, & etiam Turrecremata.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod eſt ergo priuilegium huius Ordinis, ſi paſſim omnibus in Eccleſijs ſepultura conceditur?

R E S P. Priuilegium eſt datum ſepeliendi Confratres tempore interdicti, quod priuilegium habent etiam Fratres S. Ioannis Hieroſolymitani, & de eo meminit Sorb. de Priuileg Mendic. in §. interdictum. 3. nu. 14.

I I I.

Edita Anno 1265. **P**Aruus fons, qui creuit in fluuium, & infra pag. 107. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Ciſtercienſis Ordo in humilitate, & charitate fundatus, multos fecit progreſſus in princ. Pro cuius præſeruatione hic Pont. declarat quaſdam eiuſdem Ordinationes, quæ charta Charitatis appellantur. §. 1. & ſeqq. Circa electionem Abbatum. §. 3. & 4. Adminiſtrationemque. §. 5. Præcedentiam in faciendis electionibus. §. 6. Formam in eligendis Abbatibus in maioribus Abbatijs. §. 7. Celebrationem Capituli generalis. § 8. Litteras miſſas in Capitulo. §. 9. iudices Capituli. §. 10. Diffinitore eius §. 11. Statutorum edendorum tempus, quo ligent. § 12. Diffinitoris numerus. §. 13. Diffinitorum iuramentum. §. 14. Abbatiſque Ciſtercij. §. 15. Obiecta in eum. §. 16. Eleemoſynas Capituli. §. 17. Viſitationem Monaſteriorum. §. 18 Reformationem eorum. §. 19. Viſitatoribus quid præſtandum. §. 20. Officiales quando remouendi. §. 21. Quando alibi transferendi. §. 22. Priuatim ſuggeſta, quo modo audienda. §. 23. Viſitatores quid exigant. §. 24. Viſitatio triduo expleatur. §. 25. Depoſitio Abbatis quo pacto. §. 26. Et quam ob cauſam, §. 27. Iniuſte Abbatem deponens pœna talionis plectatur. §. 28. Ordo a nemine obligatur. §. 29. Obſeruantia prædictorum indicitur. §. 30.

Quæro.

Schol. primum.

Quæro. Pœna talionis, quæ eſt ſimilitudo ſupplicij, quod eſſet inferendum reo, ſi de crimine conuictus eſſet, habet ne locum, ſi accuſator eſſet nobilis, & accuſatus perſona vilis.

RESP. Videtur negatiue reſponden. cum pęnæ ſint imponendæ ſecundum conditionem perſonarum, Sed contrarium teneri debet, quia ſimilitudine ſupplicij expreſſe puniri decernitur. l. fin. Cod. de Accuſat. & l. fin. ff. de Calumniator. & ita poſt Gugl. de Cun. tenet Alberic. in l. 4. §. Calumniator. ff. de Infamib. num. 4. & ſequitur Clar. q. 81. num. 5. vbi de communi.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo iure hæc talionis pœna, primum dicitur introducta?

RESP. A lege 12. tabul. introductam, inquit Igneus in l. fideicommiſſum. 56. ff. Ad Senatusconſul. Syllan. ſed ante eas, lege Moſayca introductam fuiſſe ſcripſit Franc. Balduin. in leg. 12. tabul. cap. 13. verſ. Pœnam talionis.

Edita Anno 1265.

IV.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis profeſſores, &c. infra pag. 110. Bullar.

COMPENDIVM.

Miniſter Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci, ſtatim electus, libere Ordinem regit. §. 1. Remoueri poteſt. §. 2. Vocales è locis remotis venire poſſunt ad electionem Generalis, & Prouincialium, etiam extra tempus iam ſtatutum. §. 3. Cuſtodes, & Guardiani ſtatim electi adminiſtrant. §. 4. Lectores in omnibus locis Ordinis legere poſſunt. §. 5. Pręedicatores examinentur à Prouincialibus. §. 6. In Oratorijs eorum poſſint Fratres, cum Altare portatili, Miſſas celebrare. §. 8. Celebrant tempore interdicti. §. 9. In Terris excommunicatorum celebrant, & neceſſaria recipiunt. §. 10. Pręlati Ordinis abſoluunt Fratres à ſuſpenſionibus, & excommunicationibus. §. 11. Fratres etiam Confeſſores abſoluunt Prælatos. §. 12. Prælati Ordinis abſoluunt venientes ad Ordinem. §. 13. In multis eximuntur ab Ordinarijs. §. 14. Fratres, apud Epiſcopos, & alios commorantes, reuocentur. §. 15. Miſſi ad prædicandum: vel inquirendum, remouentur à Generali, & Prouincialibus. §. 16. Fratres ab Ordine non diſcedant. §. 17. Licentiati ab Ordine, non tranſeuntes ad alium, coerceantur. §. 18. Apoſtatæ puniantur. §. 19. Habitus conſimilis alijs Fratribus prohibetur. §. 20. Decimas de hortis, & virgultis non ſoluunt. §. 21. Intrantes Ordinem, incerta alijs reſtituenda, illi poſſint applicare. §. 25. Sepulturam omnibus concedant. §. 23. Non confiteantur alijs, quam Pręlatis Ordinis. §. 24. Ad proceſſiones, & Synodos ire non cogantur, nec in conſtructione nouorum locorum impediantur. §. 25. Portionem canonicam de legatis non ſoluant. §. 26. Dimittentes aliqua loca, de eis libere diſponant. §. 27. Ad Procurationem, Legatorum, & Diœceſanorum non teneantur. §. 28. Priuilegia, & immunitates Ordinis pręſeruantur à conſtitutione Innocentiana. §. 29.

Schol. primum.

Quæro. Circumſcripto hoc priuilegio liberæ adminiſtrationis Generalis, quid erat de iure?

RESPONDEO. Ante adminiſtrationem erat confirmandus à Papa, vel Legato à latere, cum ſit exemptus, ad text. in cap. Si Abbatem 36. de Elect. in 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſti Fratres in Altari portatili, poterunt celebrare abſque licentia Epiſcopi?

RESP. Sine dubio poterunt, cum ex hac Bulla habeant licentiam à Papa; Alioquin eſſet fruſtratorium hoc Papæ priuilegium; Ita expreſſe determinauit Honorius III. in cap. In his 30. de Priuileg. vbi Ioan. Andr. & Hoſtienſ. in princ. ac Zabar. num. 4. & Panormit. ac alijs communiter necnon Syluest. in Summa in verbo Altare. nu. 6.

Edita Anno 1265.

V.

VEnerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & infra pag. 112. Bullar.

COMPENDIVM.

Pręlatis omnibus iubet, vt collectionem infirmorum leproſorum permittant Fratribus Militibus S. Lazari, in princip. Enunciat Dominum in lege Moyſi extra caſtra eijci mandaſſe. ibid. Decernit hos leproſos vndique colligi, & ad loca Ordinis reduci debere. §. 1. Et contradictores coram Papa citari mandat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Vbi legitur hoc pręceptum Dei, de quo loquitur iſta conſtitutio?

RESP. Legitur Leuit. cap. 13. vbi ex profeſſo agitur de expulſione lepræ, & leproſi ſeparatione, in verſ. 44. *Quicunq; maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, &c.* & in verſ. 46. *Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra*; & Numer. cap. 5. verſ. 11. & 15. Loquutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: *Pręcipe filijs Iſrael, vt eijciant de Caſtris omnem leproſum.* Eiusq; pręcepti exequutio, ſequuta eſt in Maria ſorore Moyſi, & Aaron, quando ſicut legitur Numer. c. 12. verſ. 9. 10. & 14. propterea quod detraxerat Moyſi, apparuit candens lepra, quaſi nix, iuſſu Domini ſeparata eſt ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocata.

Schol. ſecundum.

Quæro. An leproſus electus à Ciuitate poſſit ſtare in quodam hoſpitio ſuburbij?

RESPONDEO. Hoc dubium negatiue decidit Bald. in cap. Significauit. 36. de Reſcrip. arg. tex. in cap. Si Ciuitas. 17. de ſenten. excommun. in 6. vbi habetur, interdictum Ciuitatis ſuburbia etiam comprehendere, & ſequitur Barbat. in addit. ad Bald. in l. 2. Cod. de Sum. Trinit. & fide Cathol. in littera D, Et ratio eſt, quia de facili poſſet iſte leproſus inducere aliorum corruptionem, cuius reſpectu lex condita eſt, Quod tenet etiam Brun. Hæret. lib. 6. cap. 2. num. 12.

VI.

ADextirpanda de medio populi Chriſtiani, & infra pag. 113. Bullarij.

Edita Anno 1265.

COMPENDIVM.

Pręcepit omnibus Magiſtratibus, vt leges ab Innoc. IV. editas ad extirpationem hæreſis, deſcribi faciant in libris Statutorum cum adiectionibus, modificationibus, & declarationibus Alexandri IV. §. 1. Datq; facultatem inquiſitoribus illos ad hoc cogendi d. §. 1. Eaſdem, & alias edendas leges contra Hereticos, & eorum complices in quatuor libris deſcribi iubet. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vbi quæram declarationes Alexandri IV. quas Genitor tuus in Bullar. non poſuit?

RESP. Apud Pegnam inter Bullas Alexandri IV. ab eo impreſſas poſt Director. Inquiſ. Quam Genitor conſulto pręetermiſit, latiorem diſpoſitionem Clementis IV. ſucceſſoris in Appendice edendo, vbi in rubric. ſic adnotauit.

Schol. ſecundum.

Quæro. An leges Friderici IX. Imperatoris editæ contra Hereticos ſint deſcribēdæ, iuxta pręceptum hic datum?

RESP. Non puto ad hoc eiuſmodi pręceptum extendi, ſi quidem in §. 2. extat dictio, *præfatis*, quæ reſtringit diſpoſitionem ad leges Innocentij IV. ab Alexandro IV. ſuperius enunciatas, quia eſt repetitiua, & relatiua pręcedentium. l. 1. §. Hoc edicto, vbi Bar. nu. 2. ff. de Poſtul. Dec. conſ. 513. nu. 11. Pariſ. conſil. 49. lib. 3. nu. 22.

VII.

ADconſequendam gloriam, & infra pag. 113. Bullar.

Edita Anno 1265.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci in paupertate fundatus eſt, in princ. Apud eorum ergo loca, intra cannas tercentum alijs Ordinis in paupertate fundati loca non conſtruantur, vel iam ædificata non transferantur. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Ipſi autem Fratres Minores poterunt, apud aliorum Mendicantium loca, nouos erigere Conuentus?

RESP.

R E S P. Non poſſunt infra 140. cannas, Quia hoc priuilegio donati ſunt Fratres Prędicatores, & Eremitæ S. Auguſtini, & cæteri Mendicantes ex priuilegiorum communicatione inter eos, vt videre eſt in conſt. 2. Booifacij VIII. & conſt. 21. Iulij II.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſſunt ne Fratres Mendicantes dimiſſo dicto ſpatio, abſque alia Papæ licentia nouos Conuentus fabricare?

R E S P. Non poſſunt abſq; licentia Sedis Apoſtolicæ, Quia ſic rite Bonif. decreuit in cap. 1. de Exceſſi. Prælat. in 6. Quamuis licentiam Ordinariorum ſufficere poſtea voluit Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. in fio. & formam ab eis in hoc ſeruandam pręſcripſit Clem. VIII. in cooſt. 99.

VIII.

Edita Anno 1266.

AD extirpanda de medio Populi Chriſtiaui, & infra pag. 114. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat, Innocentium IV. leges contra Hæreticos ediſſe. §. 1. Illumq; & Alexandrũ IV. iuſſiſſe Magiſtratibus, vt deſcribant eas cum declarationibus ipſius Alex. in libris Statutorum Ciuitatum. §. 1. & hic Pont. eaſdem, & ſuas ſimiles leges ſimili modo deſcribi iubet, eiſdem Magiſtratibus. d. §. 1. Eoſq; ad id compelli ab Inquiſitoribus. §. 3. Et nulla contraria priuilegia illis obſtare. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt leges huius Pontificis editæ contra Hæreticos?

RES P. Aliàs dixi Genitorem meum in Appendice imprimi feciſſe, quas hic Ponif. anno 1265. & ſic ante hanc bullam, ediderat, & ideo illas hic indicat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Genitor tuus hanc bullam non prętermiſit, cum ferè eadem videatur cum conſtit. 6.?

RESP. Non eadem eſt, quia iſta comprehendit explicite leges ab iſto Pontifice editas poſt eam Bullam. 6. vt mox dixi. Pręterea illa noo derogabat priuilegijs, quæ eius effectum, & executionem poterant impedire.

X I.

Edita Anno 1267.

EXultat cunctorum fidelium, & infra pag. 114. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat hic Pont. Heduuigem, mortuo Henrico Poloniæ Duce eius marito, Monialem Ordinis Ciſtercienſis fuiſſe. §. 3. & 4. Dæmonis tentationes ſuperaſſe. §. 5. Prudẽtia in omnibus, pudicitiaq; & pietatem in leproſos Deuotione, & humilitate claruiſſe. §. 6 & ſeqq. Diuinis officijs aſſiduam. §. 9. In obituq; Henrici Ducis Sleſiæ eius filij, patientem extitiſſe. §. 10. In planctu etiam eiuſdem modeſtã. §. 11. Miraculis inſuper claram fuiſſe. §. 12. & ſeqq. Propterea eam, Sanctarum cathalogo adſcribit. §. 22. Eius Feſtum die 15. Octobris agi iubet. §. 23. Sepulchrum eius viſitantibus, indulgentias concedit. §. 24.

Schol. primum.

Quæro. Extant ne alia miracula, & pręclara huius Heduuigis, quam in iſta conſtitutione relata.?

R E S P. Extant apud Sur. & quidem multa, de vita huius Sanctæ tom. 5. quibus illud vnum addit Ciacon. in Hiſtor. Vitæ Clementis IV. Quod cum Canonizatio iſta differeretur, cuidam procuratori eam promouenti ob eius modi dilationẽ triſtis per viſũ apparuit, eumq; de expeditione negotij, ac de die expeditionis certiorem reddidit.

Quæro. Qui eiuſdem S. Mulieris parentes fuerunt?

R E S P. Fuit ipſa filia principis Bertholdi Marchionis Morauiæ, & Agnetis filiæ cuiuſdam Marchionis, & Comitis de Rothlechæ, vt recenſet Sur. loco pręcit. in cap. 1.

X.

Edita Anno 1267.

IN ordine veſtro, eiuſq; profeſſoribus, & infra pag. 117. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Vrbanum IV. examinationem regulæ Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis Captiuorum tribus Prælatis delegaſſe, ſuper nonnullis dubietatibus exortis. §. 1. Eoſq; illam diligenter expendiſſe, & multa deſuper ſtatuiſſe. §. 2. Quæ omnia hic Pontifex approbat. §. 3. Subnectit poſtea decem capitula, & declarationem, in quorum Primo, agitur de tribus votis, nomine Pręlati, diuiſione bonorum, & redemptione Captiuorum pro fide Chriſti à Paganis, vel Paganorum commutandorum cum Chriſtianis. In Secundo, de titulo Monaſteriorum, numero Fratrum, lectiſq; ac veſtimentis, & equitaturis. In Tertio de abſtinentia, ieiunio, & facultate Miniſtri illud relaxandi. In Quarto, de Charitate erga Fratres, erga infirmos, & hoſpites. In Quinto, de ſilentio, & honeſtate. In Sexto, de Capitulis, & correctione Fratrum. In Septimo, de electione Miniſtri, eiuſq; munere & diſpoſitione. In Octauo, de Nouitijs, & eorum receptione. In Nono, de Oratione, & alijs pręceptis. In Decimo, de Horis canonicis, & raſura.

Schol. primum.

Quæro. Redemptionis opus, de qua in cap. 1. extenditur ne, ad redimendum captiuum apud infideles ex cauſa homicidij?

RESP. Quia ratio redemptionis eſt, vt ſalus animæ redempti acquiratur, affirmatiua ſententia verior videtur ad Bald. in l. Sed & ſi ideo 22. ff. ſol. matrim. num. 1. & ibi bona apoſtilla, & in l. illud 16. Cod. de ſacroſ. Eccleſ num. 1. & ſequitur Bulognet. in rub. ff. ſi cert. petat. num. 14. & latè Rota dec. 63. par. 2. Diuerſ. num. 5. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quot modis ſuperior relaxat his Fratribus ieiunium de quo in cap. 3.?

R E S P. Vt liceat ante horam comedere, vel pluries, vel vt carnes comedant, vt poſt Caietan. quem citat, ita tradit Nauarr. in ſuo Manual. Confeſſor. cap. 21. nu. 22. & ſeq. vbi ſubdit, quod primo modo diſpenſatus non poteſt pluries edere, & diſpenſatus, vt pluries edat, non eſt diſpenſatus, vt carnes edat. Eoſq; ſequitur Roder. tom. 2. quæſt. regular. artic. 2. quæſt. 100. verſ. Illud tamen.

X I.

PRouidentia laudabilis, & ſalubris, & infra pag. 119. Bullar. *Edita* Anno 1268.

COMPENDIVM.

Pręcipit Fratribus Ordinis Predicatorum, in Pręlaturã extra Ordinem aſſumptis, vt reſignent Ordini, quæ tempore promotionis habent, antequam munus conſecrationis recipiant. § 2. Et id non obſeruantibus, ſuſpenſionis pęnam indicit. d. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nonne ſuperflua eſt hæc bulla eo quod conſimilis ſit edita ab Alexandro IV. contra Fratres Minores, vt ſup. in eius conſtit. 5?

RESP. Non eſt ſuperflua, quia iſta continet pœnam ſuſpẽſionis, quæ in illa non habetur. De qua ſuſpenſione meminit D. Anton. de Suſpenſ. cap. 4. nu. 20. & Eman. Roder. de Quæſt. Regul. lib. 2. quæſt. 58. art. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Suſpenſionis eiuſmodi pœna à quo remitti poteſt?

R E S P. A Summo Pootifice, quia regula eſt, qood qui ſuſpendit abſoluit, vel ſuperior, ſi ſuperiorem habet, prout Bartholom. Fumus, & alij Summiſtæ dicunt in verbo Suſpenſio. Et neceſſe eſt, quod verbo ſignificetur iſta abſolutio, ſed nulla requiritur certa abſoluendi forma, vt ſcribit Syueſt. in ſua Summa in verbo interdictum. §. 3. nu. 12.

XII.

ORdinis veſtri ſacra Religio, & inf pag. 119. Bullarij. *Edita* Anno 1268.

COMPENDIVM.

Quidam Prælati, priuilegia Fratrum Ordinis S. Dominici, vel S. Franciſci in pręiudicium eorumdem Ordinum interpretabantur. §. 1. Illis ergo eiuſmodi interpretatio-

Digitized by Google

rationem priuilegiorum, etiam in rebus dubijs, interdicit. § 2. Et facultas interpretandi Sedi Apoſtolicæ reſeruatur. ibidem.

Schol. primum.

Quæro. Quiſq; ergo Regularis ſcrupulum habeos, ſuper intelligẽtia alicuius priuilegij, ad Papam recurrere debet?

R E S P. In eiuſmodi ſcrupulis poſſunt Prelati Ordinis conſcientiæ dubitantis conſulere, vt ſcribit Eman. Roder. de quæſt. Regul. lib. 1. quæſt. 11. art. 5. vbi quaſdam Innocentij VIII. & Leonis X. conſtitutiones indicat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num ergo quiſpiam doctus vir ad intelligentiã eiuſmodi priuilegiorum aliquod edere poteſt Commentarium, vel aliquis Iudex cauſam aliquam definire, vbi occurrat, de illorum intelligentia dubitare.

RESP. Hæc bulla eam Epiſcopis, & Prelatis interpretationem vetuit, quæ fieret per modum legis, & perpetuæ interpretationis, non autem, vt in iudicãdo non poſſit priuilegiorum ſenſum habere, quem ſibi iuſtitia ſuadebit; Prout nec doctis viris doctrinalis interpretatio in publicis Cõmentarijs interdicitur, quia nec illam, nec iſtam interpretationis ſpeciem ſibi Papa reſeruauit, ſed eam quam, per modum legis, quiſquam tradere auderet, vt gloſ. & Canon. communiter declarant in cap. Cum veniſſent. 12. & ſignãter Panorm. num. 3. & Dec. num. 17. de Iudic. & cap. vlt. de Conſtitut. Gabr. conſ. 128. lib. 2. nu. 15. ac Roder. mox ſupra citat.

I I.

EXultat mater Eccleſia renaſcentis prolis, & inf. pag. 121. Bullar. *Item*. Habes filij, & infra ibidem. *Edita Anno 1274.*

COMPENDIVM.

Exultat cum toto Concilio Lugdunenſi, de reditu Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris, ad vnitatem S. Roman. Eccleſiæ. §. 1. Hortatur eumdem Imperat. ad totalem Schiſmatis abolitionem. §. 2. Et in ſubſequenti annexa conſtitutione, hortatur illius filium ad huiuſmodi vnitatis ſtudium §. 1. Et in alia itidem annexa conſt. habetur tenor confeſſionis, ſeu profeſſionis fidei, ſupradicti Imperatoris, & Nunciorum tranſmiſſio ad ipſum Pontificem.

Schol. primum.

Quæro. Nonne, & alij Græciæ Prelati, eiuſmodi obedientiam ſpoponderunt?

RESP. Proculdubio ſpoponderunt, vt ex eorum litteris liquet, quæ cuſæ habentur in Concilijs Coloniæ Agrippinæ poſtremo editis, cum notis prędicti Seuerini, qui alias quoque non ibi cuſas extare indicat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huic Concilio Michael iſte Imperator perſonaliter interfuit, vel non.

R E S P. Interfuiſſe dicunt authores omnes, in Scholijs conſtitutionis precedentis allegati.

G R E G O R I V S X. Italus, creatus Anno 1271.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1272. SAluator noſter in cuius ditione, & infra pag. 120. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Quæritur, Græcos à deuotione, & obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxiſſe §. 1. Indicit propterea Concilium generale Lugduni ad Kal. Maij. 1274. §. 2. & 3. Prelatos ad illud conuocat. §. 4. & quibuſcumque nõ obſtan. venire precipit. §. 5. Et interim, quæ reformationis neceſſaria videntur, preparari iubet. §. 6. Excuſationũ pretextum reiecit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Maximus ne conuenit numerus Prelatorum, iuxta Papæ conuocationem, de qua in §. 4.?

RESP. Maximus quidem; interfuerunt ſiquidem pluſquam 700. Epiſ. & Abbates, & Prepoſiti, cæteriq; Eccleſiarum Prelati in numero copioſiſſimo, vt ex Eberardo Ratiſponenſe ſcribit Seuerinus Binius in ſuis notis ad hanc Synodum. Accerſebatur Thomas ille Aquinas Ord. Predicat. & hic ſæculi Theologorum anteſignanus, qui cum è Neapoli itineri ſe accingeret diem ſuum obijt, vt ſcribunt Lap. in ſuo tract. de Vſur. ſub num. 1. ac Petrus Matth. in ſuis notis geſtorum huius Papæ. Et ſecundum Seuerinum, vbi ſupra, in quadam Abbatia Monachorum Ciſtercienſium, quæ Foſſa Noua nũcupatur, obijt. Adfuit autem Bonauentura Balneoregienſis Franciſcanæ familiæ ornamentum, vt inquit Lap. iam cit. Et ſubdit Ciacon vita huius Papæ quod is propterea, illum reluctantem, Epiſcopum Cardinalem Albanen. creauit, in quo tamen honore, nondum elapſo anno & Concilio adhuc durante, 3. Idus Iulij 1275. ſubdit feliciter migraſſe.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qua die iſtud Concilium expletum dicitur?

RESP. A Kal. Maij. 1274. iſtud Concilium, vt in hac Bulla dicitur, inchoatum vſq; ad 16. Kalen. Auguſt. durauit, vt ex Matthæo Veſtmoſter, refert Seuerinus vbi ſupra.

N I C O L A V S III. Romanus, creatus anno 1277.

C O N S T I T. I.

VIneam Soreth velut electam, & infra pag. 123. Bullar. *Edita Anno 1278.*

C O M P E N D I V M.

Innumera Dei recenſet beneficia erga Hebreos in princ. Et excæcatam eorum duritiem, & diſperſionem. §. 2. Euangelium ergo pro eorum ad Chriſtianæ fidei conuerſionem ipſis predicari iubet. §. 3. Conuerſos humaniſſime tractari precipit. §. 4. Nolentes cõuerti ſibi notificari mandat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nonne hæc Bulla Nicolai IV. eſſe dicitur licet III. tributa?

R E S P. Veritati hæreas, & Nicolai III. omnino eſſe credas, prout ſic etiam arbitratus eſt Pegna, qui in margine huius Bullæ poſt Director. Inquiſ. inter has cuſæ, notauit. Et ex eo mihi liquet quod data eſt hæc bulla Viterbij 2. Non. Auguſti: apud quam Ciuitatem, vel potius Surianum ſeptimo à Viterbio lapide vicum, celi clemẽtia, & acquarum amœnitate celebrem, æſtiuo tempore Nicolaum III. corporis infirmitate tactum, non autem Nicolaum IV. degiſſe, ſcribit poſt alios Ciacon. in vita huius Pontif.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur ſtante eiuſmodi pertinacia Iudæorum, de qua in §. 2. ipſi, eorumque ritus in Eccleſia tolerantur, & non Saraceni?

R E S P. Quia in illis habemus teſtimonium fidei Chriſtianæ colunt etenim vnum, & verum Deum, quem colunt Chriſtiani, eorumque ritus olim fuerũt liciti, & repręſentatiue habuerunt aliquid veritatis; Saraceni vero Mahometum nefarium impoſtorem, vt verum Prophetã Dei, colunt, eorumque ritus nullam continent veritatem S. Thom. 2. 2. q. 10. artic. 11. Zabar. & Imol. in Clement. vnic. de Iud. Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 46. nu. 13. & Pegna, ibidem in Comment. 71. littera G, vbi ſubdit, quod alij alias afferunt rationes, quas numerat Ioan. Royas de Hæret. par. 1. nu. 568. & ſeqq.

Nouerit

Digitized by Google

I I.

Edita Anno 1280.

NOuerit Vniuerſitas veſtra, & infra pag. 124. Bullar.

COMPENDIVM.

Anathematizat Cathatos, Patatenos, Paoperes de Lugduno, Paſſaginos, & quoſcumque hæret. in princ. Eoſdem damnatos ab Eccleſia, ſæculari iudicio relinqui iubet. § 1. Pœnitentes carceribus mancipari mandat. §. 2. Credentes eorum erroribus, hæreticos pronunciat. §. 3. Fautores hæreticorum excommunicat, aliaſque pœnas incurrere declarat. §. 4. & ſeqq. hæreticos declaratos qui non euitabit, excommunicatur. §. 14. Suſpecti ſe non purgãtes, anathemati ſubijciuntur, & alijs pœnis feriuntur. §. 15. & ſeqq. Laicos de fide diſputare vetat. §. 19. Hæreticos indicari iubet. §. 20. Hæreticorum, & eorum fautorum filios, beneficijs priuat. §. 21.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore originem habuit Secta Pauperum de Lugduno, de quibus hic habetur in princ.?

R E S P. Circa annum 1170. vt poſt Guidon. de Parpiniano in ſua Summa de Hæreſib. affirmat Rebuff. in explic. Bullæ Cœnę Domini editæ à Paulo III. quæ eſt in ipſius Rebuff. Pract. Benef. in verbo, Pauperes de Lugduno. Quo anno 1170. Sedis Apoſt. moderator, erat Alexan. III. qui anno 1159. creatus eſt Summus Pont. & obijt anno 1581. vt legere eſt in Bullar. fol. 23. & 29. Quam Sectã anno 1236. Greg. IX. poſtea damnauit, vt in cap. penult. de Hæret. Alij autem putant hanc Sectam, exortam tempore Innoc. iij. Circa annum 1218. Vt ſentit Ciacon. in vita Innoc. iij. Et Pegna in Direct. Inquiſ. part. 2. comm. 39.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur hoc nomen ſecta illa ſortita eſt?

R E S P. Vualdo ſiue Valdenſis ciuis Lugdunenſis eius author fuit, ideoque de Lugduno dicta. Pauperes autem vocati ſunt, eo quod Euangelicam paupertatem profitebantur, vt tradunt Rebuff. & Pegna iam citati, qui eiuſdem ſectæ peſſimos recenſet errores. Contra quos B. Franciſcum de Aſſiſio eodem tempore, necnon B. Dominicum contra Albigentium alteram ſectam, Deum ſuſcitaſſe ſcribit Ciacon. in Vita Innoc. iij.

MARTINVS IIII. Gallus, creatus Anno 1281.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1281.

MIchaelem Palæologum, qui Græcorum Imperator, & infra pag. 124. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Michael Palæologus Græcorum Imperator, fautor eſt Græcorum Schiſmaticorum, & per hoc hæreticorum, declaratus fuit ab iſto Pontifice excommunicatus. §. . Prohibetur itaque omnibus, ei fauorem, aut aliquod auxilium pręſtari. §. 2. Pœnæque in contrauenientes indicuntur. §. 3. Publicatio huius Bullæ pręcipitur. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Perſtitit vſque in finem hic Michael in cenſuris?

R E S P. Perſtitiſſe dicunt Niceph. Gregoras lib. 5. in fine, & Æmilius Probus lib. 8. aſſerentes Andronicum eius filium, nec imperatoria ſepultura, & nec plebeia, eum honoraſſe; quia à recta Eccleſiæ doctrina defeciuiſſet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quouſque Deus Michaelem poſt eius excommunicationem, inter viuos eſſe permiſit?

R E S P. Ex hac vita anno ipſo, vel ſubſequenti excidiſſe videtur. Quia Andronicus eius filius, anno 1283. Cæſar extitit, & annorum quinquaginta ſpatio imperauit, vt ſcribit Ciaçon. poſt alios in vita huius Pont. in fine.

HONORIVS IIII. Romanus, creatus Anno 1285.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1286.

OLim fel. rec. Gregorius Papa X. & inf. pag. 125. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, nouas religiones inſtitui prohibuit in cap. 1. de Relig. domib. in 6. Hic Pont. damnat ſectam Fratrum, ſub nomine Apoſtolorum, temere introductam, multa mala patrantium, & quorum aliqui hæreticæ prauitatis vitio laborantes inuenti fuerunt. §. 1. & 2. Eoſque recipi, aut eiſdem ſubueniri vetat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Qui huius ſectæ authores fuerunt, & quo tempore initiata fuit?

R E S P. Gerardus Segalelli Parmenſis circa annum Domini 1285. ſecundum Eymericum in Direct. Inquiſit. par. 2. quæſt. 11. Vel verius ſecundum Pegnam ibidem in ſuo Comment. 37., circa annum 1246. hanc ſectam Pſeudoapoſtolorum adinuenit in Parma; Et illi ſe primum adiunxit Dulcinus Nouarienſis, & deinceps alij eam congregationem ſecuti ſunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui erant ipſorum errores, & mali, ac hæreſes quæ indicantur, & hic non exprimuntur in §. 1.?

R E S P. Viginti fuerunt, & peſſimi quidem eorum errores, relati ab Eymerico in loco cit. Vnde merito Geraldus, vt hæreſiarcha die 8. Iulij 1300. ab Epiſcopo Parmenſi, & Inquiſitore condemnatus, & concrematus fuit, Dulcinus vero anno 1307. ab Inquiſitore Vercellas, vt hæreſiarcha, vna cum Margarita eius concubina hæretica, combuſtus extitit, vt ſcribunt Eymericus, & Pegna in locis pręcitatus.

I I.

Edita Anno 1286.

EXhibita nobis dilecti filij, & infra pag. 125. Bullar.

COMPENDIVM.

Romani Pontt. frequenter Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis committebant, vt tam hæreticos credentes, fautores, & receptatores, quam ipſorum filios, & nepotes priuandi dignitatibus, officijs, & beneficijs, Poteſtatem haberent in princ. Alexander IV. Inquiſitoribus id petentibus, declarauit id non intelligi de filijs, & nepotibus hæreticorum credentium, &c. emendatorum. ibid. Hic Pont. id in Archiono filio q. Philippi alias de hæreſi inquiſiti, & emendati, ſeruari mãdat, ſi ipſe non ſit de hæreſi ſuſpectus, & in deuotione S.R.E. perſiſtat. §. 1. & 2.

Schol. primum.

Quæro. Sanctio iſta ligat filios, poſt crimen, vel antea, natos, vel omnes?

R E S P. Omnes comprehendere magis communiter DD affirmant, & eam ſententiam tutiorem, veriorem, & vſu magis receptam eſſe, eleganter oſtendit Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. Commen. 163. verſ. Omiſſis, vbi validas profert, pro hac ſententia rationes.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc eadem Sanctio priuationis, intelligitur nè, etiam de officijs, & beneficijs, quæ filij, vel nepotes obtinuerunt ante parentum condemnationem?

R E S P. Negatiuam ſententiam plerique ſequuntur, cui adſtipulantur Simanc. de Cathol. inſtitut. tit. 29. num. 20. & non diſſentit Pegna d. Comment. 163. in fine.

NI-

Digitized by Google

NICOLAVS IIII. Italus, creatus anno 1288.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1288.

TVrbato corde audiuimus, & infra pagina 126. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, ad ſe perlatum, quoſdã Iudæos ad fidem Chriſtianam conuerſos, ad Iudaicam perfidiam reuerſos, & quoſdam Chriſtianos ad ritum Iudaicum ſe transferre in princ. Pręcipit ergo Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis. vt contra illos tamq; Hæreticos, & eorum auxiliatores procedant, §. 1. Iudæi autem ad eorum ritum Chriſtianos inducentes debita pœna plectantur, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Saraceni, & Chriſtiani hoc agerent?

RESP. Hoc idem contra eoſdem à Greg. XI. ſancitum, vide infra in illius conſt. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ pœna erit Iudæorum, aut Saracenorum, ad eorum ritum Chriſtianos trahentium cum in §. 1. Non explicetur?

RESP. Arbitraria, iuxta qualitatem ſceleris commiſſi, vt relatis alijs concludit Pegna in Director. Inquiſit. lib. 2. Comment. 69. verſ. Tales, ſubdit tamen in verſ. Zanchinus; Certas, inquit, pœnas eſſe imponendas, quas ibi explicat.

II.

Edita Anno 1289.

SVpra montem Catholicæ fidei, & infra pag. 126. Bullar.

COMPENDIVM.

B. Franciſcus tertiam Regulam inſtituit pro ſæcularibus in proprijs domibus viuentibus, Tertiarijs nuncupatis, in proœm. In cuius cap 1. agitur de Examine recipiendorum ad Regulam. In 2. de Forma eos recipiẽdi. In 3. de Habitu. In 4. de Euitãdis ſpectaculis, & cõuiuijs. In 5. de Abſtinentia, & Ieiunio. In 6. de Confeſſione, & Communione. In 7. de Armis non geſtandis. In 8. de Dicẽdis Horis canonicis. In 9. de Teſtamẽtis. In 10. de Pace. In 11. de Vitandis vexationibus contra ius, vel priuilegia ipſorum. In 12. de Iuramentis. In 13. de Miſſa audienda, & Congregatione facienda. In 14. de Fratribus infirmis, & exequijs defunctorum. In 15. de Miniſtris. In 16. de Viſitatione, & correctione delinquentium. In 17. Litigijs vitandis. In 18. de Diſpenſatione ab abſtinẽtijs. In 19. de Incorrigibilibus. In 20. Quod in prædictis nemo obligetur ad culpam. Hæc omnia Pont. comprobat apponendo ſanctionem pœnalem, §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Regulam tradidit B. Franciſcus.

RESP. Anno Domini 1221. ſecundum Roder. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 72. art. 1. in princ. Vbi ſubdit, quod illa non inuenitur, ſed ſolum hæc ab iſto Pont. firmata. Ar circa d. tempus diſcrepat Ciaçon. qui in vita Honor. III. inquit, quod biennio poſt annum 1223. quo Ordo Minorum ab ipſo Honor. confirmatus fuit, B. Franciſcus tertium Ordinem Pęnitentium conſtituit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſti Tertiarij dicuntur perſonæ religioſæ?

RESP. Non ſunt, & notatur in Compend. priuileg. Fratrum Minorum in §. Tertiarij, & ſcribit Nauar. conſ. 19. de Regular. lib. 3. ſecundum impreſſ. Brixiæ, & tradit Roder. de Regular. Quæſt. tom. 3. quæſt. 72. art. 1. verſ. Prima concluſio, & clarè deciditur à Leone X. in eius conſtit. 22. §. 19. Ita quod non eſt curandum de quibuſdam alijs Prædeceſſorum bullis, quæ aliud continerent.

III.

Edita Anno 1289.

REgis pacifici, pacis opera diligentis, & infra pagina 128. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Gregoriũ IX. Statuta edidiſſe pro reformatione Ordinis Monachorum Congregationis Cluniacenſis S. Benedicti, in eius conſtit. 5. de qua ſup. pag. 14. §. 1. Quæ Statuta hic Pontifex declarat circa infraſcripta, §. 2. Capitulum Generale, quando, à quibus, & qualiter fieri debeat, §. 3. Diffinitores quindecim d. Capituli pro vice eligantur, §. 4. Forma, quæ ſeruanda in eis eligendis, §. 5. Quod cauſæ per Abbatem non diffinitæ in Capitulo diffiniantur, §. 6. Conſtitutiones Capituli ante omnia ſeruandæ, & non immutandæ, §. 7. Quæ quãdo obligent ad mortalem culpam, §. 8. Quotieſque recitandæ, §. 9 Viſitatores eligendi in Capitulo, & eorum authoritas, §. 10. Viſitatores quatuor Monaſterium Cluniacenſe, & Abbatem viſitent, §. 11. Qui de expenſis & prouentibus rationem eis reddat, §. 12. Abbas loca Ordinis viſitet, iuxta regulam hic præſcriptam, §. 13. Beneficiorum collatio, quo pacto fiat, §. 14. Et illegitimis quæ non conferantur, §. 15. Priores ob quæ amouendi, §. 16. Abbas, vel Prior cur deponendi, §. 17. Inſtitutio Priorum Conuẽtualium, qualiter fiat, §. 18. Pluralitas beneficiorum prohibetur, §. 19. Illis, qui ſunt de Ordine, illa cõferantur, §. 20. Vnus Monachus, in vno Prioratu, non permaneat, §. 21. Refectio ſit vniformis, §. 22. Eſus carnium remittitur arbitrio Abbatis, §. 23. Habitus præfinitur, §. 24. Equitaturarũ ſuperfluitas interdicitur, §. 25. Norma contrahendi, & rationes reddendi deſcribitur, §. 26. Pęna proprietariorum indicitur, §. 27. Exactiones, & extorſiones vitandæ, §. 28. Bona vacantia, quæ, & qualiter per Abbatem percipienda, §. 29. Nouitij, ante 15 annum, non recipiantur, §. 30. Appellatio iuſta non impedienda, §. 31. Leuis autem prohibetur, §. 32. Regulæ S. Benedicti, obſeruantia non prætermittenda, §. 33.

Schol. primum.

Quæro. Abbatis appellatione, cuius nomen non exprimitur in §. 13. venit forſan Abbas Cluniaceñ.?

RESP. Sine dubio venit; prout de hoc conſultus reſpondet Oldrad. conſ. 204. nu. 4. vbi de ipſius præeminentia præclarè loquitur.

Schol. ſecundum.

Quæro. An ſub nomine Ordinis S. Benedicti, veniat iſta Congregatio?

RESP. In fauorabilibus venit, non autem in odioſis, quia iſta Congregatio tranſiuit in Ordinem habẽtem ſpecificum nomen, vt in terminis docet Bellam. in conſ. 32. nu. 22. Pręſertim, quod frequenter Ordo Cluniaceñ, nuncupatur S. Benedicti de Obſeruantia: prout in priuileg. Pont. vidiſſe, teſtatur Thuſc. in litera Abbas, concluſ. 21. num. 5.

IV.

Edita Anno 1291.

INter opera pietatis, & infra pagina 132. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suſcipit Hoſpitale S. Spiritus in Saxia de Vrbe ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, cum ſuis locis, in proœm. Eius loca enunciat, §. 1. & ſeqq. Munus Clericorum d. Hoſpitalis decernit; victumque, & veſtitum, §. 21. & 22. Hoſpitale S. Spiritus in Montepeſſulano, huic Hoſpitali ſubijcit, §. 23. Papa, & Cardd. hanc bullam ſubſcribunt.

Schol. primum.

Quæro. Hoc Hoſpitale cur ſortitum eſt nomen S. Spiritus in Saxia?

RESP. Saxia eſt locus in Vrbe, inter Tyberim, & Baſilicam S. Petri. Quod nomen à Saxonibus accepit, cum à Carolo Magno Imperatore expugnati, Chriſtiana fide, atque eccleſiaſtica diſciplina imbuendi; Romam plerique miſſi ſunt, humaniſſimèq; accepti in d. loco, qui Vicus ab ipſis Saxonibus deinceps denominatus eſt. Et ibi Hoſpitale poſtmodum conſtructum, S. Spiritus in Saxia nuncupatur, ſecundum opinionem Lindani, cui perlibenter adſtipulatur Baron. in ſuis notis ad Martyrolog. Roman. die 10. Nouembris. Et de prędictorum Saxonũ Scholis meminit Ciacon. in vita Leonis III. & de prædicto Vico meminit in vita Leonis IIII. Prout primã conuerſionem Saxonum tribuit d. Carolo, Bald. in conſ. 174. lib. 5. in princ.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Quot ſunt genera Commendarum, quouè tempore beneficiorum ſiue Eccleſiarum, Commendatio in vſu deducta eſt?

RESP. Hæc omnia eruditè explicat Campeg. in ſuo tract. de Commend. Benefic. qui eſt in 15. Tomo tractat. par. 2. fol. 536. vbi latè.

V.

Edita Anno 1291.

ILluminet ſuper vos Dominus vultum ſuum, & infra pagina 134. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat ſectam Sarracenorum crudelitatem, & impia facinora patraſſe, §. 1. Adhortatur itaq; omnes ad recuperationem Terræ Sanctæ ab eis occupatæ, §. 2. Eligitq; Regem Angliæ pro Duce exercitus Crucefignatorum, §. 3. Elargitur indulgentias Crucefignatis ad bellum proficiſcentibus, vel illud adiuuantibus, §. 4. Mandat eos extra ſuas Diœceſes trahi non poſſe, §. 5. Vſuraſq; eis relaxari, §. 6. Dat eiſdē facultatem petendi abſolutionem ab excommunicatione, & diſpenſationem ab irregularitate, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Sarraceni ſumuntur hic pro omnibus infidelibus, vel pro Mauris tantum?

RESP. Certiſſimum eſt, intelligi de Mauris, ſiue Turcis ſolummodo; illi enim Terram Sanctam occuparunt, vt explicat Nauar. in cap. Ita quorumdam 6 de Iudæ. in 4. notab. Vbi latè num. 3. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc Terra Sancta, quando à Sarracenis fuerat occupata?

RESP. Anno 1187. Saladinus Babyloniæ Rex occupauit, vt recenſet Baron. in 12. Tom. ſuorum Annalium fol. 795. ſecundum impreſſionem Romæ: Cum antea Chriſtiani eam recuperaſſent anno 1100. vt ſcribit idem Baron. tom. 11. fol. 4. & ſeqq. & legitur in Gregor. VIII. conſtit. 1. *Audita*. de qua in Appendice Bullarij fol. 2.

VI.

Edita Anno 1291.

EX parte dilectorum filiorum, & infra pagina 135. Bullar.

COMPENDIVM.

Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum ab inimicis nominis Chriſtiani, mandat per Epiſcopum Cæſaraugustanum omnes cogi ad exhibēdum quæcumque legata quæ (non tamen certis perſonis) pro redemptione Captiuorum fiunt, §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Hoc priuilegium fuit vnquàm ab alijs Pont. confirmatum, vel iterato elargitum?

RESP. A multis quidem, & ſignanter à Nicolao V. Septimo Idus Martij, Pontificatus ſui Anno II. vt vidi in Bulla, quæ apud hos Fratres Romæ aſſeruatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quem habitus hi Fratres gerunt?

RESP. Induuntur habitu albo, & in pectore deferunt à parte dextera ſcutum cum Cruce alba, in campo rubeo, in parte ſuperiori, cum inſignijs Regni Aragoniæ in inferiori; Hæc ſunt verba Roderici de Quæſt. Regular. Tom. 1. quæſt. 3. art. 13. Et eſt certiſſimum.

COELESTINVS V. Italus, creatus anno 1294.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1294.

ET ſi cunctos Ordines plantatos in Agro Domini, & infra pag. 136. Bullar.

COMPENDIVM.

Præmittit Ordinem S. Benedicti, cuius profeſſor fuit, præcipua charitate ſe diligere in proœm. Et Abbatem S. Spiritus de Sulmona & alios, multum in eo proficere, ibidem. Confirmat ideo Statuta per eos firmata, §. 1. Eximit Monaſterium de Sulmona, & eius membra ab omnium iuriſdictione, §. 2. Nonnulla ſtatuit de Capituli celebratione, & electione Abbatis, §. 3. Eiuſque benedictione, §. 4. Et ſubrogatione eo defuncto, §. 5. Suſceptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, §. 6. Obſeruantia Ordinis, §. 7. Exemptione à decimis, §. 8. Receptione venientium ad Ordinem, §. 9. Prohibitione diſcedendi ab eo, §. 10. Alienandique ſtabilia, §. 11. Vel fideiubendi, & mutuo recipiendi, §. 12. Dat priuilegium, quod Monachi non cogantur ad Synodos, & proceſſiones, §. 13. Nouaq; conſtituant Monaſteria, §. 14. Prohibet perſonas extra Ordinem ſe immiſcere in electione Prælatorum eius, §. 15. Abbas benedicit populum, vaſaque, & paramenta Eccleſiarum, §. 16. Lapidem primum ponit in Eccleſijs ædificandis, §. 17. Minores Ordines confert, §. 18. Ordinarij gratis conſecrant Monachorum Eccleſias, §. 19. Et accedētes ad eorum loca, conſecrant altaria, & faciunt Monachorum ordinationes, §. 20. Monachi celebrant tempore interdicti, §. 21. Miniſtrant Sacramenta, & ſepeliunt mortuos, §. 22. Abſoluunt intrantes Ordinem, §. 23. Non coguntur publicare interdicta, §. 24. Neque Monialium curam ſuſcipere, §. 25. Apoſtatas coercent, §. 26. Habitum conſimilem alij, non deferunt, §. 27. Intrantes Ordinem de incertis illi ſatisfaciunt, §. 28. Alij non celebrant in eorum Eccleſijs, §. 29. Monachi Prælatis Ordinis confitentur, §. 30. De oblatis, & de legatis Monachi, nihil ſoluunt, §. 31. Exempti ſunt à iuriſdictione Ordinariorum, §. 32. Prædicant, & audientibus indulgentiam concedunt, §. 33. Confeſſiones audiunt, §. 34. Campanam die, noctuque pulſant, §. 35. Cum intrantibus Ordinem diſpenſant, §. 36. Oblationes de bonis feudalibus recipiunt, §. 37. Caput Monaſteriorum ſuo arbitrio conſtituunt, §. 38.

Schol. primum.

Quæro. Cur Genitor tuus in rubr. huius bullæ, hos Monachos appellat Cœleſtinos, ſi in textu bullæ hoc non habetur?

RESP. Quia eos inſtituiſſe hunc Pontificem, à cuius nomine ſic appellati de cætero fuerunt, certiſſimum eſt, & ſcribit Ant. Florent. in 3. par. ſuæ Summæ, tit. 16. c. 1. §. 18. Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi, par. 4. conſider. 61. ac Remund. de Religioſ. Sectis, in vita Cœleſtini, Qui tamē corrigendus eſt, dum inquit inſtitutionem Cœleſtinum feciſſe, anno 1295. cum liqueat ex hac bulla feciſſe anno 1294.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt nè verum hos Monachos vocari etiam obſeruantes Regulæ S. Benedicti?

RESP. Chaſſaneus prox. cit. id apertè ſcribit, ac etiam Florent. vbi ſupra, & Roderic. de Quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 3. art. 5. Et ego vidi in eorum priuilegijs appellari etiam Monachos reformationis S. Petri Cœleſtini.

BONIFACIVS VIII. Italus, creatus anno 1294.

CONSTIT. I.

EXcommunicamus, & anathematizamus, & infra pag. 139. Bullar. *Edita* Anno 1292.

COMPENDIVM.

Omnes tam Laicos, quàm Clericos, ſiue ſint familiares Curiæ, ſiue vndecumque, qui aliquid magnum, vel paruū dederint, vel receperint, etiā ex pacto, & promiſſione occulta, vel manifeſta, facta ſub generalibus, & plenariè non expreſſis apertè verbis pro aliqua iuſtitia, vel gratia in cauſis, vel iudicijs, ſeu aliàs per litteras Apoſtolicas, & quibuſcunque modis apud Sedem Apoſtolicam obtinenda, excommunicat, in princ. & §. 1. Et ſcientibus, & non reuelantibus eamdem excommunicationis pœnā imponit, §. 2.

Abſo-

Digitized by Google

Abſolutionem, preterquam in mortis articulo, ſibi reſeruat, §. 3. Iuſtitiamq; vel gratiam ſic obtentam, irritam decernit, §. 4. Scientes ea vtētes, excommunicationis eiuſdem modo alligat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quod eſt illud paruum, propter quod inciditur in pœnam huius excommunicationis?

RESP. Omne paruum quantumcumque paruum, quod detur, vel accipiatur animo emendi, aut vendendi gratiam, vel iuſtitiam. Vel circumſcripto hoc prauo animo, eſt illud, quod non eſt adeò paruum, vt veriſimiliter flexurum ſit recipientem à recto tramite iuſtitiæ, attenta qualitate perſonę, vt multis rationibus egregiè probat Nauar. in Com. de Dat. & Promiſſ. num. 20. & ſequitur Farinac. q. 111. nu. 323. Et benè faciunt, quæ de verbis *Paruum, & modicum*, ſcribit Marſil. conſ. 71. nu. 1. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid importat illud verbum *Vndecumque*, de quo in princip.?

RESP. Comprehendit non ſolum ortos in Vrbe, & oriundos ab ea, ſed etiam inhabitantes eam, & reliquam Italiam, & alia Regna: Eiuſmodi namque verbi ea eſt natura, vt nullus locus excludatur, cap. 3. diſtin. 56. & tradit Nauarr. vbi ſupra nu. 12. Et Farinac. nu. 322.

II.

Edita Anno 1295.

AD conſequendam gloriam cœleſtis patriæ, & infrà pag. 140. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia aliqui religioſi præſumebant domos, & Eccleſias regulares ædificare iuxta loca Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vnde diſſenſio, & ſcandalum oriebatur, §. 1. Ideo hic Pont. interdicit omnibus Ordinibus in paupertate fundatis noua loca conſtruere, apud loca eorumdē Eremitarum infra 140. cannas, §. 2. Declarat Ordines in paupertate fundatos eſſe eos, qui ex eorum regula, vel conſtitutionibus ſuis, nullas debent, extra ſepta Monaſteriorū, poſſeſſiones habere, §. 3. Cannamq; octo palmorum longitudinem continere, §. 4. Et non obſtare priuilegia, de hoc indulto expreſſam, non facientia, mentionem, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si concederetur alicui priuilegium contrarium cum clauſula, Non obſtantibus quibuſcumque, cenſeretur huic indulto ſufficienter derogatum attento, §. 5.?

RESPON. Negatiuam ſententiam probat Caſſad. de Reg. Canc. deciſ. 10. & de communi Gabr. de Clauſul. in concluſ. 5. nu. 13.

Schol. ſecundum.

Quæro. Operabiturnè ſufficientem derogationem clauſula, Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, quorum tenores, &c.?

RESP. Operabitur, & ita in Curia practicatur: Caſſad. d. deciſ. 10. de Reg. Cancel. Seraph. deciſ. 291. nu. 9. in ſuis nouiſſimè impreſſis, & etiam deciſ. 510. nu. 6.

III.

Edita Anno 1259.

IVſtis petentium deſiderijs, & infra pag. 140. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Honorius IIII. voluit, quod Fratres Carmelitæ eorum habitum, ſiue varietatem ipſius minus decentem, in aliam decentem commutarent, §. 1. Statuit omnes Fratres de cætero deferre cappam albam, ſiue mantellum, dimiſſis alijs diuerſorum colorum, §. 2. Hic modo Pontifex id confirmat, §. 3.

Schol. primum.

Quære. Honorius ergo à ſe ipſo non dedit hunc habitum precisè?

RESP. Non, vt vides, quia Ordo ipſe illum prefiniuit, quicquid dicat Roder. de Quæſt. Regular. par. 1. quæſt. 2. artic. 5. & ante eum Chaſſan. in Cathalog. Glor. Mundi, par. 4. conſid. 70.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo mantello antea vtebantur?

RESP. Induebant cappam largis virgis albis, & groſſis circulatam, quem habitum aſſerebant fuiſſe Heliæ Prophetæ habitantis in Monte Carmelo in Syria, vt præter alios ſcribit Chaſſan. in loco cit.

IV.

Edita Anno 1296.

AD augmentum continuum Religionum, & infra pag. 140. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia per intermiſſionem diſciplinæ regularis, Ordo quilibet collabitur, & ſi illa per apices iuris dirigeretur, correctio regularium perſonarum leteſceret, in exord. Concedit Prelatis Ordinis Fratrum Predicatorum, vt ad correctiones, & punitiones Fratrum delinquentium, iuris apicibus poſtpoſitis, procedere poſſint, ſecundum conſuetudines, & ſtatuta Ordinis, §. 1.

Schol primum.

Quæro. Qui dicuntur apices iuris?

RESP. Omnes actus, qui potius reſpiciunt ſubtilitatē, quam facti veritatem, & merita cauſæ. Bartol. & Bald. in l. Si fideiuſſor. 29. §. quædam. ff. Mandati, num. 1. Salyc. in l. Placuit. 7. Cod. de Iud. num. 2. Iaſ. in l. Alienan. 18. Cod de Procurat. ſub nu. 2 verſ. Quinto. Soc. conſ. 120. lib. 1. num. 17. Vbi inquit, probationes non eſſe de apicibus iuris, quia reſpiciunt veritatem, & merita cauſæ.

Schol. ſecundum.

Poteruntnè iſti Prelati à ſe ipſis ſcribere acta, non adhibito Notario?

RESP. Regulariter non poſſunt, cum in ca. Quoniam contra 11. de Probat. contrarium ſtatuatur in iudicio quantumq; ſummario, ſiue extraordinario: Sed fallit 1. in cauſis leuibus, vt tenet Rod. de Quæſt. Regul. tom. 2. q. 13. art. 3. Guido Pap. deciſ. 564. nu. 2. Pront neque in ſcriptis ſententias ferunt in ſimilibus cauſis Lap. allegat. 73. ſub num. 5. Et fallit 2. vbi in Religione extaret conſuetudo, quia illa attendi debet, vt hic deciditur in §. 1. & in ſimili caſu Bart. in l. 2. ff. de Stipulat. ſeru. nu. 2. & Guido Pap. vbi ſupra.

V.

Edita Anno 1297.

IN diſpoſitione Miniſtrorum Eccleſiæ Dei, & infra pag. 141. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſterium S. Antonij Viēnenſis erigit in Abbatiam, & caput Ordinis in honorem S. Antonij, cuius corpus ibi requieſcit, ſicut fama celebris, & miracula, quæ idem Sanctus ibi operatur, preſeferunt, §. 3. & ſeqq. Eius Abbati ſubijcit omnes Fratres d. Abbatiæ, & membrorum illius, §. 6. Regulam S. Auguſtini ibi precipit obſeruari. §. 7. Habitum cum ſigno T deferri mandat, §. 8. Monaſterium, & Hoſpitale eximit à iuriſdictione Ordinariorum, & aliorum, §. 9. Monaſterio Montis Maioris aſſignari voluit quædam bona ſtabilia per Abbatem S. Antonij Viennenſis, §. 10. Aymonemq; in Abbatem S. Antonij eligit, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Cur hic Pontifex enunciat, in d. Monaſterio Viennenſi requieſcere corpus S. Antonij?

RESP. Quia multi hoc in dubiū reuocare audebant, aſſerentes in Monaſterio Montis Maioris diœc. Arelatēſ eius corpus, ſiue reliquias aſſeruari. Quinimò Conuentus huius Monaſterij adeò prauè id contendebat, quod ſpeciali declaratione Innocentij VIII. res indiguit, vt videre eſt in ipſius Bulla (cuius authenticum eſt, apud Genitorem meum, eamque in hoc ſuo opere prætermiſiſſe arbitror, quia hoc idem refertur à Clem. VII. conſt. 2. §. 1. per eum hic in rubrica citat.) die 12. Martij ſui Pontificatus anno 8. Romæ expedita.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde, & à quo ad d. Monaſterium translatum fuit?

RESP. Innoc. VIII. in prefata eius Bulla ex Ciuitate Conſtantinopolitana translatum inquit, Et Baronius in

Annalib. Eccleſ. tom. 11. Iocellinum ex ſtirpe Comitum Pictauienſium Conſtantinopoli oriundum, ibi tranſtuliſſe ſcribit.

Edita Anno 1297.

VI.

GLoria, laus, & honor, & infra pagina 142. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert B. Ludouicum Regem Franciæ, Dei amore exarſiſſe, §. 2. Multis virtutibus claruiſſe, §. 3. & ſeqq. In recuperationem Terræ Sanctæ, bis exercitum duxiſſe, §. 5. & 25. ibiq; morte præuentum occubuiſſe. §. 25. Miraculis poſtea emicuiſſe, §. 26. Quorum ſex tantummodo enarrat, §. 27. & ſeqq. Proinde inter SS. Confeſſores collegat, §. 33. Feſtum eius die 25. Auguſti celebrari mandat, §. 34. Sepulchrum eius viſitantibus, indulgentias concedit, §. 35.

Schol. primum.

Quæro. Prolixius huius Sācti vitā, & geſta, quis enarrat?

RESP. Poſt alios enarrat Sur. tom. 4. de Hiſtor. Sanctorum, & nouiſſime Papyrius Maſſon, qui ea, quæ ab alijs ſunt prætermiſſa, diligenter collegit, teſte Baron. in Martyrologio die 25. Auguſti. & apud Sur. vbi ſupra in fine, ſingulariter conſcripta habemus, præcipuæ quæ in quadam chartula hic Sanctus Rex filio ſuo primogenito, dum Tunetum obſideret, dictauit, & ſcripſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ requiruntur, vt quis poſſit canonizari?

RESP. Vitæ probitas, & miraculorum veritas, vt declarat poſt alios Chaſſan. in Cathal. Gloria Mund. part. 3. conſid. 49. & latius Maluet in ſuo tract. de Canonizat. SS. in 3. dubio.

Edita Anno 1300.

VII.

ANtiquorum habet fida relatio, & inf. pag. 145. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia accedentibus ad Baſilicam B. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, antiquitus conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones, & indulgentiæ peccatorum, Eas hic Pont. approbat in exordio, & §. 1. Vtque honorificentur amplius BB. Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes, quo diutius eorum baſilicæ frequententur, & ex frequentatione fideles ipſi ſpiritualium munerum largitione ſenſerint ſe refectos, omnibus hoc anno, & alio quolibet centeſimo, dictas Baſilicas deuotè viſitantibus, verèque pœnitentibus, & confeſſis, pleniſſimam peccatorum veniam concedit, § 2. Declaratque Romanis triginta diebus continuis, vel interpellatis, peregrinos autem, quindecim ad Baſilicas eaſdem accedere debere, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Hæc ergo vetuſta centeſimi anni inſtitutio nonnè eſt huius pontificis?

RESP. Antiquior vere erat, vt innuunt verba exordij huius bullæ, & narrat Clem. VIII. in eius conſtit. 58. necnō gl. magna, in hac eadem extrauaganti in corpore iuris inſerta in verſ. Primo quia, in tit. de pœnitent. vbi id ex ore huius pontificis habuiſſe recenſet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur in annos centeſimos hæc Indulgentia largita fuit?

RESP. Duæ fuerunt cauſæ principales, & quinque conuenientiæ, quas gl. magna illic enumerat, ad quam te remitto, quia longum ſermonem requirerent, & cum ea pertranſit Ioann. Brunell. in repet. cap. 1. de Homicid. ſub num. 23.

Edita Anno 1305.

VIII.

IN ſupremæ dignitatis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pag. 145. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Ciuitate Firmi Status Eccleſiaſtici erigit ſtudium, ad inſtar Studij Bononienſis, eiuſque priuilegia illi communicat. §. 1. & 2. Doctorandi formam præſcribit, §. 3. Doctoribus in hoc ſtudio, dat facultatem alios in alijs ſtudijs docendi. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Gaudet nè priuilegijs, de quibus in auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre, hoc ſtudium recens?

RESP. Gaudere probat ille text. in ſui ratione, & in ſpecie ſic ſcribit Petrus Rauennat. de Statut. in ſect. 2. n. 38.

Schol. ſecundum.

Quæro. Scholaris, qui incepto ſtudio, à Ciuitate Firmi abeſt, per quinquennium, perdit hæc priuilegia?

RESP. Perdere probat Bart. in l. penult. ff. de Teſtam. Milit. argum. tex. in l. vlt. Cod. de Primicer. lib. 12. & Rebuff. in tract. de Nominationibus, quæſt. 22. num. 18. poſt Bald. in d. auth. Habita Cod. Ne fil. pro patre, num. 42.

Edita Anno 1303.

IX.

IN ſupremæ præeminentia dignitatis, & infra pag. 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt Roma, quæ eſt caput Orbis, & in qua Sedes Apoſtolica firmata eſt, ſcientiarum muneribus fœcunderur in proem. Hic Pont. in ea erigit Studium generale cuiuſcunque facultatis, §. 1. Doctores. & Scholares eius fori priuilegio decorat, § 2. & 5. Eximit à Gabellis, §. 3. penſiones domorum, quas inhabitant, taxari decernit, §. 4. Fructus beneficiorum etiam curatorum, non tamen diſtributionum quotidianarum, licite percipere poſſe indulget, ac ſi reſiderent, §. 5. ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum non obſtantibus quibuſcunque, §. 6. Executores huius Bullæ deputat, §. 7. Contrarijs derogat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Hoc ſtudium eſt cæteris nobilius?

RESP. Legum originem anterior Roma ſortita eſt, vt dicitur in cap 41. lib. 1. Statutor. Vrb. Et ideo eius ſtudium cæteris nobilius eſt, Staphil. de Grat. expectatiu. §. Circa tertiam partem, num. 43.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc indulta ſunt ſtricte, aut large interpretanda?

RESPONDEO. Oldrad. conſ. 117. num. 3 loquens de hac Bulla, inquit, priuilegia hæc, large interpretanda, quia non ſunt data perſonæ, ſed cauſæ leg. vltim. ff. de Conſtitut. princ. ſequitur Thuſcul. in littera R, conc uſ. 367. num. 6. Eſt enim cauſa ſtudij magis pia, quam dotis cum in ea vertatur publicus fauor in communi, Panormitan. in cap. fin. de Iudic. in fi. Rebuff. de Priuileg. Scholas. priuileg. 82. num. 2.

CLEMENS V. Gallus, creatus anno 1305.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1307.

REgnans in cœlis, & infra pagina 147. Bullarij.

COMPENDIVM.

Romana Eccleſia, velut vniuerſalis mater, ad cuncti Orbis prouincias intuitum ſuæ conſiderationis extendens, ſpecialiter reſpiciens Terram Sāctam ab Infidelibus occupatam, retroactis temporibus recuperationem omni ſtudio tentauit, §. 1. Militeſque Templarios, tanquam Fratres Tēpli Hieroſolymitani, ipſiuſque Terræ præcipuos defenſores, ad hunc effectum multis gratijs, opibuſque donauit, §. 3. Sed illi in multa ſcelera, & hæreſes lapſi ſunt, §. 4. Infamia, & ſcelerum verificatio inde ſucceſſit, §. 5. Contra quos à tribus Cardd. hic Pont. procedi iuſſit, §. 6. Qui illorum ſcelerum verificationem habuerunt, §. 7. Sed eos, abiurata hæreſi, authoritate Papæ, abſoluerunt, §. 8. Hic deinde Pont. perpenſa huiuſmodi ſcelerum atrocitate, iuſſit contra eoſdem Milites ab Ordinarijs locorum vlterius inquiri, §. 9. & ſeqq. Et modo tam pro opportuno, adhibendo remedio contra dictos Milites, quàm pro adinueniendo ſubſidio Terræ Sanctæ Conciliū generale Viennæ indicit pro

anno

Digitized by Google

anni. 1390. §. 13. Prçlatos ad illud conuocat. §. 14. Regem Franciæ, & alios Principes ad intereſſen hortatur, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Militiæ Templariorum de quibus in §. 3. & 13. quis promotor fuit, & de quo tempore?

R E S P. Hugo de Paganis, & Goffredus de S. Amadeo, vel de S. Alexandro, circa annum 1117. ſecundum Chaſſan. in Cathal. glor. Mundi part. 9. conſid. 5. Petr. Greg. in Syntag. Iur. par. 2. lib. 15. cap. 33. & Roder. de quæſtionibus Regul. Tom. 1. q. 5. attic. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cui operi ſtudebant Milites Templarij in exordio ſuæ inſtitutionis?

RESP. Eorũ prima profeſſio, & opus à Patriarcha Hieroſolymitano eis iniunctũ fuit, vt vias, & itinera pręſertim pro ſalute Peregrinorum ad inuiſendum Sacra loca Hieroſolymis, à latronum inſidijs pręſeruarent, & hoſpitio reciperent in habitu ſæculari. Nono autem anno poſt eorum inſtitutionem de mandato Honorij Papæ, habitus albus eis fuit aſſignatus, & tempore Eugenij Papæ, Crucem rubeam in palliis geſtare ceperunt, vt ſcribit Chaſſan. Petr. Greg. & Roder. mox allegati.

I I.

Edita Anno 1307. S Vper ſpecula militantis Eccleſiæ, & infra pag. 140. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Narrat Ciuitatis Perũſij erga Sedem Apoſtol. deuotionem, & virtutum pręſtantiam, §. 1. Erigit in ea Studium generale in qualibet facultate, §. 2. Sanctionem pęnalem ſubdit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quibus declaratum eſt Priuilegijs Studium Peruſinum?

RESP. Credo perfrui gratijs, de quibus in Authen. Habita Cod. Ne fil. pro patre. Et hoc ſentit Bart. in l. vnicâ Cod. de Profeſſ. qui in Vrb. Conſtantinop. lib. 12. num. 1. dum inquit, hoc ſtudium gaudere priuilegijs alterius ſtudij generalis Conſtantinopolitani.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod exteris interpretibus hoc ſtudium caruit?

R E S P. Horat. Lut. de Priuileg. Scholar. in vlt. tit. n. 23. hoc aſſerit. Hæc autem Ciuitas Peruſina ſemper fere exteris interpretibus caruit, quia proprijs ciuibus Iuriſconſultis pręſtantiſſimis omni tempore abundauit. maxime poſt Bart. & eius fratres.

III.

Edita Anno 1311. A D prouidam Chriſti Vicarij, & infra pag. 150. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

In Concilio Viennenſi, cui hic Pont. pręfuit, Ordo Militum Templariorum ob eorum diuerſa ſcelera damnatus fuit, §. 1. Et eorum bona Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani applicata, ibid. Hæc eadem ipſe Pont. decernit d. §. 1. & 2. Bona tamẽ illa, quæ ſunt in regnis Caſtellæ, Aragonię, Portugalliæ, & Maioricarum, diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſeruat, & à d. applicatione pręſeruat, §. 3. Occupatoribus ſupradictorũ bonorũ libera relaxatio pręcipitur, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Minus ergo verum eſt hos Templarios in gratiam Regis Galliæ extinctos fuiſſe?

R E S P O N D E O. Quamuis nonnulli erga Gallos fortaſſe male affecti id aſſerant verius puto, ob immania eorum crimina, & varias hæreſes, vt iſta conſtitutio decernit, damnatos fuiſſe, vt refert Platina in vita huius Clem. V. Gaguinus in vita Philippi Pulchri, lib. 7. & Crinit. de Honeſt. diſcipl. lib. 24. cap. 13. quos ſequitur Petr. Greg. in Syntagm. Iur. lib. 15. pat. 2. cap. 33. n. 13. & ſequitur Roder. de Quæſt. Regul. tom. 1. q. 5. art. 1. Aſſentiturq; Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi, part. 9. conſid. 5. Vnde ſpernendus eſt etiam Alberic. qui in ſuo Diction. quamdam, vt puto, fabulam recenſet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Militibus Hieroſolymitanis cenſuit Concilium bona Militiæ Templariorum applicari?

R E S P O N D E O. Dicitur in hac Bulla id fieri, quia pro defenſione fidei, Mortis periculis iugiter ſe exponunt, & periculoſa diſpendia in partibus tranſmarinis continuè perferunt, & Ciacp. in vita huius Pont. explicat anno 1307. Maximis ſumptibus inſulam Rhodi à Sarracenis quinquennali bello occupaſſe.

I I I I.

Q Vi facit magna, & infra pagina 151. Bullarij. Edita Anno 1313.

C O M P E N D I V M.

B. Petrus de Morono Eremum infans petijt, ieiunijſq; & orationibus ſtuduit, §. 3. & 7. Cilicijs induebatur, & catena ferrea carnem macerauit, §. 4. Carnes non comedit, & tarò vinum bibit, §. 5. Sanctitate multos ad ſe traxit. §. 9. Congregationem Monachorum inſtituit, §. 10. Summus Pont. creatus fuit, §. 11. Poſt certum tempus Papatui ceſſit, §. 12. Deinde ſanctiſſime vixit, §. 13. Miraculis, quorum vndecim recenſentur, celebris fuit, §. 14. & ſeqq. Propterea albo SS. Confeſſorum adſcribitur, §. 27. Eiuſq; Feſtum pro die 19. Maij inſtituitur, §. 28.

Schol. primum.

Quæro. Quibus ortus eſt parentibus hic B. Petrus, & quando, & quomodo renunciauit Papatui?

R E S P. Ex Patre Angelino, & Matre Maria coniugibus, Abrutij in partibus Apuliæ natus eſt, vt recenſet Sur. de Hiſtor. Sanct. Tom. 3. die 19. Maij cap. 1. Vel verius natus eſt in Ciuitate Iſerniæ, quæ hodie eſt in Prouincia Comitatus Moliſij prope Aprutium, Prouinciamq; terræ laboria Regni Neapolitani, ſecundum Platin. in vita Cœleſtin. V. & Genebrand. in Chronolog. Et (vt audio) Ciuitas Iſernina de duobus viris Illuſtribus gloriatur, nempe de hoc Cœleſtino, & de Andrea de Iſernia Iuris Conſulto pręclariſſimo, & in materia fęudali, Doctorum Auriga, nuncupato, Papatum autem, ad quem aſſumptus fuerat die 5. Iulij 1294. vt legitur in ſua conſtit. 1. pag. 136. in Bullario, ſponte depoſuit die 12. Decembris eiuſdem anni in publico Conciſtorio, vt ſcribit Sur. vbi ſupra cap. 13. Ciacon. autem in vita huius Pont. Cœleſtin. V. ceſſiſſe inquit, die 13. ſub his verbis. *Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, id eſt cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſciẽtiæ illæſæ debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, infirmitate perſonæ, & vt præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem ſponte, ac liberè cedo Papatui, & expreſsè renuncio, loco & dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium, eligen. & prouidendi, dumtaxat canonice, Vniuerſali Eccleſiæ de Paſtore*. Subdo, quod quinque alios Pontifices ante hunc Cœleſtinum, Papatui renunciaſſe, recenſet Gonzal. poſt alios ſup. 8. Reg. Cancellariæ in procem. §. 5. num. 17. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vitam, & geſta huius Sancti viri, quis abundantius deſcripſit, quam in hac bulla continetur?

R E S P. Eius res geſtas poſt Sur. proxime cit. nouiſſimè proſecutus eſt Paul. Reg. præter Cardinalem Cameracenſem & Antoninum, teſte Baron. in Martyrolog. die 19. Maij. Vnum exprimere viſum eſt, quod in eius natiuitate, matri ſuæ, dum puer egrederetur ex vtero, quadam religioſa veſte indutus apparuit.

IOANNES XXII. Gallus, creatus anno 1316.

C O N S T I T. I.

E X parte veſtra fuit nuper propoſitum, & infra pag. 153. Bullar. Edita Anno 1316.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli hæretica prauitate culpabiles, vel ſuſpe-ćti, ad fugiẽdum Inquiſitorum manus, & iudicium, ad Eccleſias confugiunt, in proem. Hic. Pont. (prout antea mandauerat etiam Martin. IV. Inquiſitoribus Regni Franciæ) reſcribit, vt contra eos liberè procedant, ac ſi ad Eccleſias illi non confugiſſent, §. 1. Pręcipitq; Epiſcopis, ne iſtos Inquiſitores impediant, ſed potius aſſiſtant eiſdem, prout fuerit oportunum, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè de iure etiam ciuili patebat, hæreticos non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, vt in l. 1. & 2. cum ibi not. Cod. de His, qui ad Eccleſ. confug. ?

R E S P. Controuerſia quidem hæc erat opinio, quamnis communior ſit negatiua, cum Eccleſia non debeat tueri illos, qui eam ſpernunt, ad ſcripta per Marſil. in l. ex Senatusconſulto, 13. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. nu. 7. 8. & 9. Quam ſequitur Couar. Var. reſol. lib. 2. cap. 20. num. 11. in fine, ac Decian. in ſuo tract. Crim. lib. 5. cap. 42. num. 7. Vnde merito Boer. deciſ. 110. nu. 6. inquit, hoc dubium ſublatum per hanc extrauagant. Ioannis X X I I. & aliam Martini IV. hic enunciatam in §. 1. Prout ad literam hoc poſtremo deciſum eſt à Greg. XIII. in eius conſtitut. à Genitore meo, in ſubr. allegata in Bullar.

Schol. ſecundum.

Quæro. Epiſcopi à ſeipſis poterunt hæreticos capere in Eccleſia, quamuis in §. 2. dicatur, eos Inquiſitoribus in captura fauere debere ?

R E S P. Poſſe quidem ſtatuit, Clem. V. huius Pont antecessor, in clem. 1. § 1. de Hæretic. cui non puto hanc bullā contrariam, ideoq; illi arbitror non derogare.

Edita Anno 1317.

I I.

SOl oriens in Mundo, & infra pag. 153. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. Ludouicus filius Caroli Regis Siciliæ, & Mariæ Reginæ, Epiſcopus Toletanus multis claruit virtutibus. §. 4. Et ſignanter Sacramentorum frequẽtatione, ſtudijs, caſtitate, ſobrietate, & carnis maceratione, §. 5. & ſeqq. Ordine Fratrum Minorum profeſſus eſt, §. 9. Toloſanus Epiſcopus creatur, ibid. Pauperibus multa dedit. § 11. & ſeqq. Humilis, & Hoſpitalium viſitator fuit, §. 13. & ſequ. Iudæos, & Gentiles ad fidem reduxit, §. 17. Miraculis claruit, quorũ aliqua referuntur, §. 18. & ſeqq. Inter SS. ergo Confeſſores collocatur, §. 29. Feſtum eius die 19. Auguſti agi pręcipitur §. 30. Indulgentia viſitantibus eius Sepulchrum confertur. §. 31.

Schol. primum.

Quæro. Acta huius Sancti, quis ex Scriptoribus recenſet?

R E S P. Recenſet Sur. de Hiſtor. Sanctor. ſub hac die 19. Auguſti, & Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 14. & nouiſſimè Chronic. Franciſcan. par. 2. lib. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quantum temporis interpoſuit S. R. E. ad Canonizandum S. Ludouicum, poſt ipſius obitum?

R E S P. Spatium annorum viginti circiter, cum iſta Canonizationis bulla edita ſit anno, 1317. & ille obierit anno 1297. vt ſcribit Baron. in Martyrolog. Romano, & ante eum Sur. iam citat. qui addit, obijſſe die 19. Auguſti. Vnde patet eadem die eius Feſtum quotannis agi, qua ex hac vita migrauit ad Dominum.

Edita Anno 1318.

I I I.

GLorioſam Eccleſiam, & infra pagina 155. Bullar.

COMPENDIVM.

Religio S. Franciſci à Sede Apoſtolica confirmata, in toto Orbe claruit, §. 1. Quidam tamen contra communitatem d. Ordinis inſurgentes, ſe ſolos Regulæ B. Frãciſci obſeruatores, cęteros vero tranſgreſſorès profitebantur, §. 2. & 3. & Nicolai IIII. & Clem. V. pręceptis non parentes, §. 4. & ſeqq. Nouum Ordinem inſtituerunt, Henricumq; de Cæua in eorum Pręlatum elegerunt, §. 9. Multos ad eorum ſectam receperunt, §. 10. Habitum mutarunt. §. 11. In multoſq; errores lapſi ſunt, §. 12. & ſeqq. Eos ergo iſte Põt. capi, & coerceri iubet, §. 25. & ſeqq. Quibuſcumq; non obſtañ. §. 32.

Schol. primum.

Quæro. Iſta conſtitutio contra hanc ſectam Fraticellorum fuit ante, vel poſt extrauagantem, 1. de Relig. domib. edita ab iſtomet Pont. ?

R E S P. Illam edidit die 30. Decembris, vt aduertit Pegna in Direct. Inquiſit, par. 2. comment. 41. Hanc verò die 23. Ianuarij ſubſequentis Menſis vt hic patet.

Schol. ſecundum.

Quæro. De erroribus huius ſectæ, illorumq; confutationibus, vbi fuſius perlegam?

R E S P. Apud Eymeric. in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 15. 16. & 17. & latius apud Pegnam ibidem in Comment, 40. & ſeqq.

Edita Anno

I V.

PAternum amorem ad tuæ, & infra pag. 159. Bullar.

COMPENDIVM.

Cum Henrico II. Regi Angliæ, Adrianus Pont. dominium Hyberniæ conceſſiſſet, illeq; & eius ſucceſſores multa Populo grauamina intuliſſent, propterea idem Populus reclamauit ad Sedem Apoſtolicam in proem. Et de mutatione Regis agebat, §. 1. Hic ergo Pont. monet Eduardum II. Regem Angliæ, vt pro quiete ſui regni grauamina eiuſmodi corrigat. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Hibernia Inſula eſt, an Regnum?

R E S P. Hybernia Inſula, vulgo Irlandia nuncupata ab antiquis quidem temporibus Regnum erat, imò, & plura complectebatur partialia Regna, prout teſtatur etiam S. Bernardus in vita S. Malachiæ, his verbis, de ſuo adhuc loquens tempore. Non vnum eſt Hybernia Regnum, ſed diuiditur in plura: Poſtea verò Adrianus ille Pontifex cuius hic fit mentio, priuilegium conceſſit Henrico II. Regi Angliæ, eamdem Inſulam ingrediendi cum titulo Dominij eius, quem, & ſequentes Reges Angliæ retinuerunt, Et Hybernia nuncupatum eſt Dominium vſque ad tempus Henrici V I I I. qui poſtquam ſe ſeparauit à communione Sedis Apoſtolicæ Romanæ, aſſumpſit ſibi titulum Regis Hyberniæ, & Hyberniam voluit Regnum nuncupari. Quo titulo, vt ſequentes Reges, nominatim Philippus, & Maria tutiore conſcientia poſſent vti, Paulus Quartus Hyberniam erexit in Regnum Anno 1555. die 7. Iulij ex bulla quem vidi in Bibliotheca Genitoris mei.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis Pontifex, Adrianus nomine, hic non expreſſus, dono dedit Honorio II. Regi dictam Inſulam?

R E S P. Adrianus Papa IIII. natione Anglius, cuius bullam editam anno Domini 1559. ſi videre cupis per lege in Annalib. Eccleſiaſt. Baron. tom. 12. fol. 427.

Edita Anno 1318.

V.

EXhibita nobis ex parte veſtra, & infra pagina 159. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuerat in cap. 2. de Election. quid perciperent de fructibus primi, vel alterius anni beneficiorum, qui de conſuetudine vel priuilegio, vel ſtatuto habebant annalia in Eccleſijs, & quod prouiſis remaneret, in procem. Declarauerat, etiam quod ſi prouiſi non reſiderent, Capitulis, nihil accreſceret. §. 1. Et inde arguebatur, quod accreſceret habẽtibus annalia. §. 2. Hic modo Pont. decernit, quod fructus beneficiorum, in quibus Religio Militum S. Ioannis Hieroſolymitani habent annalia, pars prouiſi non reſidentis, d. Religioni accreſcat. § 3. & 4.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegium habendi annalia, de quo hic procem. poteſt Laicis competere?

R E S P.

R E S P. Poteſt ſi à Papa concedatur, non ab alio, vt in puncto ſic tenet gl.in cap.2. de Electìon.in ver. Priuilegio.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si prouiſi non reſident, quam ob cauſam fructus videntur accreſcere habentibus annalia?

R E S P. Quia non reſidendo in Eccleſijs, de quibus prouiſi ſunt, ceſſat ratio, ob quam hic Pont. diminueret annalium præſtationem, vt optime probatur in tex. & gl. d.c.2. de Electìon.

V I.

Edita Anno 1318.

INter cæteras curas, &c. infra pag. 160. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Clemens V. Studium Generale erexit in Ciuitate Peruſij, vt ſupra in eius conſt.2.pag. 37. §. 1. Hic Pont. eam Ciuitatem vberiori gratia donando dat illius Epiſcopo facultatem examinãdi, & eligendi Lectores d.Studij. §.2.& ſeq. Scholareſque certa adhibita forma promouendi, §. 5. 7. & ſeq. Lectoribus huius Studij vbiq; etiam legendi tribuit poteſtatem. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Lectores eligendi, vt hic dicitur, ab Epiſcopo, poſſunt nè eligi de ipſa Ciuitate Peruſina?

R E S P. Proculdubio; quia non origo Lectorum, ſed præſtantia exquiritur: quinimmo verum eſt, hoc Studium fere ſemper caruiſſe exteris interpretibus, vt dixi ſupra in Scholio 2.conſt.2.Clem.5.pag. 37.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si aliquis famoſus Lector huius Studij diſcederet ob aliquam cauſam de Ciuitate Peruſij, & alibi ſe conferret, ac tamquam talis doceret Scholares, potirentur nè ipſi Scholares priuilegijs huius Studij?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam tenent Ancharan. & Franc.in cap.2.de Priuileg.num.3 necnon Hoſtienſ. Imol. Felyn.& Panormit.in cap. Tuæ 12.de Cleric. non reſident.

V I I.

Edita Anno 1320.

VNigenitus Filius, ſplendor gloriæ, &c. infra pag.160. Bullar.

C O M P E N D I V M.

B.Thomas Epiſcopus Herfordienſis in Anglia, Iuſtitia, Charitate, Temperantia, & Fortitudine, præclarus fuit.§. 3. Necnon honeſtate, & bonarum literarum ſtudijs. § 4. Ieiunijſque, & carnis maceratione, §. 5. Manſuetudine etiam, benignitate, & miſericordia, & alijs virtutibus, §.6.& ſeqq. Obijt Romæ, multiſq; claruit miraculis, §. 11. Quorũ aliqua referuntur, §.12. & ſeqq. Propterea hic Pont. numero SS. Confeſſorũ eum adiungit, §.23. Feſtiuitatem ſuam die 2. Octobris celebrari iubet. §. 24. Sepulchrum ſuum viſitantibus Indulgentiam concedit, §. 25.

Schol. primum.

Quæro. Quibus hic ortus eſt natalibus?

R E S P. In Britannia maiori, quam Angliam vocant, claris eſt ortus natalibus, patre ſcilicet Humlhelmo de Cãtilupo, & matre Miliceuta Comitiſſa Ebroicenſi, vt refert Sur.de Hiſtor.Sanctor.tom. 5.die 2. Octobris.

Schol. ſecundum.

Quæro. Alia oè extant, quam hic recenſita, huius Beato Thomæ miracula?

R E S P. Surius in loco præcitato, ſic in fine ſcribit. Sexaginta mortuos ſuſcitaſſe fertur, quadraginta, & vnum cæcos illuminaſſe, quinquaginta duos contractos ſanaſſe, viginti, & vnum paralyticos reſtituiſſe. Et ſubdit alia ſed ubi ne faſtidio ſim, ſubſiſto.

V I I I.

Edita Anno 1321.

INter cæteras, quorum nos cura ſollicitat, & infra pag.162. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Officiales aliqui, & Rectores Terrarum Sedis Apoſtolicæ, de facto, in ipſius Sedis præiudicium, maioribus Ciuitatibus, & Baronibus alienarunt, ſiue ſubmiſerunt, aut locarunt in proem. Hic Pont. eas reuocat. §.1. Executoremq; deputat Rectorem Prouinciæ Patrimonij, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi iſti Rectores infeudaſſent aliquam Terram?

R E S P. Sub hac reuocatione infeudatio continetur, Quia in appellatione alienationis comprehenditur infeudatio, quæ ſpecies alienationis eſt, cap.fin.§. noui vero, vbi glo.& Bald.num. 2. Per quos fiat inueſtitura. Redoan. de Reb.Eccleſ. non alienañ.quæſt.7. in 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi alienaſſet aliquis legatus Papæ huiuſmodi Terras?

R E S P. Nulliter alienaſſet; quia hæc facultas non dicitur conceſſa, ſi ſpecialiter non eſt expreſſ., l. 3. §. 2. & ibi Bartol.in princip.ff. Quod vi aut clam. & tradidit Gondiſ. Villad.in ſuo Tractat.de Legat quæſt.11.num.3.

I X.

Edita Anno 1321.

EXigit Ordinis veſtri Religio, & inf. pag. 162. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Reſcribit inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in prouincia Lombardiæ, quod eorum actus, ita virtute modeſtiæ decet eſſe compoſitos, quod nemini poſſint eſſe ad ſcandalum aut nocumentum in proem. Et ideo, cum ipſi quibuſdam peruerſis hominibus licentiam portandi arma per ciuitatem, & diſtrictum Bononiæ, dederint in ſcandalum multorum §.1. Præcipit eiſdem, vt familiares de cætero eligant deuotos, laudabiliſque vitæ, & conuerſationis, 2. Et licentias conceſſas reuocent, ibid. Nec alijs, quam eorum familiaribus, huiuſmodi licentiam de cætero concedant, niſi in caſibus in quibus eis pro ſua ſecuritate forſitan expedire, ibidem.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi princeps legem conderet, qua prohiberentur iſti Inquiſitorum familiares arma deferre?

R E S P. Velut impeditor ſacri Officij Inquiſitionis puniri poſſet, gl.notab. in cap.Statutum, 9.in verbo indirecte de Hæretic.in 6.quam communiter receptam eſſe affirmat Pegna in Director. Inquiſit. part. 3.Comment.105. vbi de iſta conſtit.loquitur?

Schol. ſecundum.

Quæro. Hoc Inquiſitoribus priuilegium quis tribuit?

R E S P. Incertum mihi eſt, ſed tempore Clem. V. illud eis competere ex eo patet, quod ille Pontifex in Concilio Vienneſi, abuſum facultatis dandi licentiam portandi arma, prohibuit in clem. 2. de Hæret. in fi.quod aduertit etiam Pegna in loco prox. citato. Quamuis Roland. in conſ. 37.lib.4.num.9.& alij pleriq; in d. clem.1.hoc ius Inquiſitoribus datum affirment.

X.

Edita Anno 1321.

ADhoc, dignoſcitur, & infra pagina 163. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prohibet omnibus in Prouincia Marchiæ ius ſibi dicere, aut Caualcatam, niſi de licentia Rectoris d. Prouinciæ, per ſe, vel per alios facere, vel eam retinere, neque aliquem de loco ſuo expellere, vel ad vindictã aliquam proſilire, quauis occaſione, vel cauſam, §. 2. Graues pænas eis infligit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi non poſſem habere copiam Iudicis, vel ipſe Iudex aditus ſubuenire procraſtinatur, & debitor meus eſt in fuga?

R E S P. Licet mihi, eum capere ad Alex. conſ.64.lib.3. num.11 & 13. & Bald. in l. Si quis in tantam Cod. Vnde vi, num.16.& 17. Zabar.in cap.Olim.12. de Reſtitut.ſpol. num. 25. Recipit enim iſta Conſtitutio interpretationem paſſiuam à iure communi iuribus vulg.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Petrus Vincentium interfecerit, & ex hoc incidenter aliqua ſit facta Caualcata?

R E S P. Non intrat hæc bulla, quia homicidium non

Digitized by Google

fuit ordinatum ad Cauálcatam incidentet ſubſecutam, vt tradit Cataldin.in tract.de Syndic.nu. 124. quem, & alios refert,& ſequitur Felyn.in rubr.de Treg.& Pac.nu. 6.verſ. Vnde refert. cum quibus etiam conſulendo ſtetit Marſil.in conſ.67.nu. 21. Quibus concordat quoddam Illuſtriſſimorum virorum votum quod mox impreſſum vidi in 2.deciſionum Rotæ Rom. collectione à Farinac. typis data poſt deciſ.60.

Edita Anno 1323.

X I.

REdemptionem miſit Dominus,& infra pag. 163.Bullarij.

COMPENDIVM.

B.Thomas de Aquino Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor,multa opera ad Dei laudem, & gloriam, & fidei propagationem ſcripſit. §. 1.& 2. Multis virtutibus ſplenduit,& ſignaoter oratione, & ſtudij aſſiduitate, caſtitate, ſobrietate,& humilitate.§.3.& ſeqq.Suæ mortis diem prępuidit.§. 5.Miraculis etiam claruit.§.8. Quorum decem referuntur.§.9.& ſeqq. Proinde numero SS. Confeſſorum adſcribitur. §. 21. Eius Feſtum die 7. Martij celebrari pręcipitur.§.22.Indulgentiæ eius Sepulchrum viſitantibus conceduntur.§.23.

Schol. primum.

Quæro. Quibus eſt ortus parentibus B. Thomas?

RESP. Patrem habuit Landulphum ex illuſtri Familia Comitum Aquinateñ.& Matrem Theodoram patria Neapolitanam, ſicuti ſcribit Sur. de Vita Sanctorum, Tom. 2. die 7. Martij.

Schol. ſecundum.

Quæro. Extant ne ſcriptores de vita,& geſtis huius Sancti?

RESP. Dauid Romæus.Paulus Regios,& Sur.deſcripſerunt huius celeberrimi Doctoris pręclare geſta, vt affirmat Baron. in Martyrolog. hac eadem die 7. Martij: Vnum vidi apud Sur. (quod quæſo audi) hæc dicentem. Natus eſt puer,& Thomas vocatus,nutricíq; traditus,quæ cum aliquando in balneo aquis vellet abluere, manum extendens infantulus,chartulam è terra ſuſtulit, nullo iuuante, eamq; comprehenſa cœpit retinere manu, quam nutrix conata eſt,è manu eius extrahere.& ille id non ferens,acriter flebat, ita quod nutrix dimiſſa chartula in manu eiuſdem eum abluit, & induit. Mater autem re percepta chartulam de manu infantis euulſit, in qua ſcripta erat Angelica Salutatio,quam infans inſtanter repetijt, & redditam mox deglutiuit. Res viſa eſt non vacare miraculo, & myſterio, quod eximius ille, Doctor Eccleſiæ futurus in eam chartulam ante omnes incidiſſet, quæ noſtræ ſalutis iucundiſſima initia contineret.

XII.

Edita Anno 1325.

CVm nonnulli de Prouincia noſtra Romandiolæ,& infra pag.166. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum quidam de Prouincia Romandiolæ,adeò fauerent hæreticis,quod de hæreſi valde ſuſpecti redderentur,mandat Inquiſitori,vt contra eos, & alios de hæreticæ prauitatis labe culpabiles,vel ſuſpectos, iuxta Sacrorum Canonũ, & priuilegiorum,officio Inquiſitionis conceſſorum formam,ſolerter procedat in proem.& §.1.

Schol. primum.

Quæro. Quot modis hæreticis, priuatus homo fauere dicitur?

RESPONDEO. Longo tractatu opus eſſet,de hoc pleríque copioſiſſime ſcripſerunt, Tu autem vide omnino Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. quæſt. 53.& Pegn.in Commen.78.vbi alios congerit.

Schol.ſecundum.

Quæro. Magiſtratus autem quando eiſdem fauere dicetur?

RESPONDEO. Apud eoſdem perlege, qui hæc omnia explicant ad ſaturitatem.

X I I I.

Edita Anno

SVper illius ſpecula quamuis immeriti, & infra pag.166. Bullar.

COMPENDIVM.

Quidam Chriſtiani Dæmonibus immolabant, auxilia, & reſponſa expetebant, & ſimilia nefanda committebant in princ. Hic iden Pont. ab eis abſtineñ eſſe decernit. §. 1. Et contrarium pręſumentibus pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam infligit, vltra bonorum confiſcationem,& aliàs de iure debitas pœnas. §.2. Libros de his tractantes teneri prohibet, & comburi mandat ſub pœna excommunicationis,alijſq; grauibus pœnis. §.3.

Schol. primum.

Quæro. Hic inuocandi dæmones abuſus, quo tempore exortus eſt,& à quo promotus?

RESP. Hæretici quidam Elcheſaitæ noncupati, qui circa annos Domini 240.excrti, his damnatis inuocationibus vſi ſunt,vt ait Niceph. lib. 5.cap.24.Hiſt. Eccleſiaſt. & refert Pegn.in Director. Inquiſ.par.2.Comment.68. verſ. Hæc damnata.

Schol.ſecundum.

Quæro. Immolare Dæmoni,& ab eo expetere reſponſa, vt habetur in princ. ſunt nè ſumenda cumulatiue, vt ſimul iuncta ſapiant hæreſim,& non aliàs, vel quodlibet illorum hæreſim ſapit manifeſte?

RESP. Huic quæſito ſatisfacit Eymeric.in Direct. Inquiſ. par.2.q.43.loquens in puncto intelligentię huius Bullæ, vbi bene explicat, quemlibet eiuſmodi actum de per ſe manifeſto hæreſim ſapere. & poſtea Pegn. etiam in ſuo Commen.68.declarat,quæ ſint illæ Dæmonum inuocationes,quæ hanc hæreſim ſapiunt, quia non omnes tales ſunt, & exempla aliqua recenſet.

XIV.

Edita Anno 1326.

RAtio iuris exigit, & infra pag. 166. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in Palatio Apoſtolico cauſarum Auditores, & eorum ad conſcribenda acta Notarij præ cęteris ſalubri ordinatione dirigi debent in proem. Hic ideo Pont. mãdat, Auditores publicè abſq; cappa, & roccheto non incedere. §. 1. In cauſiſq; audiendis,& decidendi diligentiores eſſe.§.2. Diebus iuridicis in Eccleſia Cathedrali inſimul conuenire. §.3.Feſta ſeruare.§. 4.Vnta ſecreta tenere. §. 5. Diebus iuridicis obſequijs Cardinalium non incumbere. §. 6. Iuramentum in admiſſione ad Auditoratum pręſtare. §. 7. & ſeq. Cauſas iuxta antianitatem proponere.§.9.Vota Coauditorum expetere. §. 10. Notarios idoneos habere. §. 11. Eoſdem ad taxæ obſeruantiam cogere. §. 1. Conſilium non dare in cauſis in Rota cognoſceñ. §. 12. Teſtes mandat ab eis in cauſis arduis examinari.§.15. Notarij Rotæ officium diligenter, & fideliter exerceant. §. 16. Abſq; examine,& iuramento non admittantur ad officium.§.17.& ſeq. Cauſas non affectent.§.19.Modeſti ſint.§.20. Quiſq; ſuo Auditori tantum ſeruire poſſit. §. 21. Concubinas non retineant. §.22.Procuratores in Rota non ſint.§.23. Taxas obſernẽt, §. 24. & ſeqq. Hæc Bulla quotannis in princip. Rotæ legatur.§.39.

Schol.primum.

Quæro. Hoc, vel antiquiori tempore, Rota hic fuit inſtituta?

RESP. Ciacon. in vita huius Pont.ab ipſo inquit fuiſſe inſtitutam: Sed mihi credibilem non eſt, cum nullum in hac eius conſtit. verbum fecerit de eiuſmodi inſtitutione, neque aliam prius conſtitut. edidiſſe conſtet.

Schol.ſecundum.

Quæro. Vbi data creditur hæc Bulla, cum Genitor tuus ſine data eam ediderit?

RESP. Proculdubio Auinioni data fuit cum ibi Sedem ſuam ſemper hic Pont. tenuerit, vt notiſſimum eſt, & dignoſcitur euidenter ex illis verbis in *Eccleſia Cathedrali*, quæ leguntur in §.3.

Digitized by Google

BENEDICTVS XII. Gallus, creatus anno 1334.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1335.

REgularem vitam profeſſis, & infra pag. 169. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia tranſitus Fratrum Mendicantium ad Monachos Nigros, & Ciſtercienſes perturbationem afferebat dictis Ordinibus. §. 1. Hic Pont. illum prohibet. §. 2. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 3. Sanctio pœnalis ſubſequitur. §. 4. Et in conſtit. annexa iubet, quod Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis pro ſe, & membris ſubiectis, ſingula vnicam decimam, & procurationem Nuntijs, & Legatis Apoſt. ſoluere debeant. §. 1. & 2.

Schol. primum.

Quæro. Monachi Nigri ſunt proculdubio Ordinis Sancti Benedicti, Ciſtercienſes ergo hic ſpecifice nominati ſunt forſan alterius Ordinis?

RESP. S. Benedictus de Nurſia primo Ordinem Monachorum Nigrorum inſtituit, poſtea Cluniacenſis, Ciſtercienſis & alij Monachorum Ordines promoti fuerunt, differuntq; habitu & modo viuendi, ſed eamdem Regulam S. Benedicti profitentur, ideoq; largo modo Ciſtercienſes dicuntur eſſe eiuſdem Ordinis S. Benedicti, ſed non abſolute. Bellam. conſ. 32. nu. 18. & ſeqq. Tuſch. in verbo Religio. concluſ. 138. num. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ad Cluniacenſes ergo non prohibetur hic tranſitus?

RESP. Hic non prohibetur, ſed in generali prohibitione, quæ legitur in extrauag. Martini V. quam hic Genitor meus tibi indicauit in rubrica.

II.

Edita Anno 1340.

DEcens, & neceſſarium exiſtimamus, & infra pag. 170. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro reformatione Aduocatorum, & Procuratorum Romanæ Curiæ decernit, Patronos cauſarum, modeſtiam ſeruare debere in earum defenſione. §. 1. Pauperumque lites gratis agere. §. 2. Cauſarum multitudinem, quibus ſufficienter intendere non poſſint, euitare. §. 3. Cauſas ante ſumptionem examinare, & iniuſtas dimittere. §. 4. Pacta quotæ litis non inire. §. 5. De infidelitate, & negligentia coerceri. §. 6. Decernit etiam Iudices indigentibus de idoneis Patronis prouidere. § 7.

Schol. primum.

Quæro. Si Aduocatus cauſam iniuſtam dimittet, vt præcipitur, in §. 4. debet ſecreta d. cauſæ iniuſtæ, collitiganti reuelare, ne ille ſit in damno?

RESP. Tenetur quidem ſi damnum ſit notabile, vt nouiſſime relatis alijs probat Ala, in tract. de Aduocat. Chriſtian. quæſt. 27.

Quæro. Pactum quotæ litis de quo in §. 5. erit licitum ſi conueniatur, quod Aduocato, non obtenta victoria, nihil debeatur, ſeu ſi ipſe promittat facere ſumptus litis de ſuo?

RESP. Non, quia his caſibus maior viget ratio prohibitionis, quod per fas, & nefas, victoriam perquirat, militare videtur. Afflict. ſuper conſtit. Regni, in conſtit. Aduocatos, nu. 14. & ſeq. Gozzad. conſ. 3. n. 55. Vrſill. ad Afflict. deciſ. 123. nu. 6.

III.

Edita Anno 1335.

FVlgens ſicut Stella, & infra pagina 171. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordo Ciſtercienſium diuini cultus miniſterio admodum deditus, multis gratijs à ſūmis Pontt. ditatus fuit in proem. Hic ergo Pont. qui eius alumnus fuit, pro eius incremento, hæc Statuta edicit: videlicet. §. 2. De ſigillo particulari cuiuſque Monaſterij, & iuramento Abbatis. §. 3. Formaq; alienandi bona. §. 4. Pecunia inde redigenda. §. 5. Locationum norma. §. 6. Mutuorumq; recipiendorum. §. 7. Et actorum in ſcriptis redigendorum. §. 8. Adminiſtratorum iuramento. § 9. Burſariorum munere. §. 10. Abbatum rationibus reddendis. §. 11. Viſitatorum munere. §. 15. & ſeqq. Tranſitu accedentium ad Capitulum. §. 17. Non accedentium pœna. §. 18. Contributionibus præſtandis. Abbati Ciſtercij, & alijs quatuor Abbatibus. §. 19. & ſeq. Capitulum generale nihil immutare poteſt de his Ordinationibus contributionum. §. 24. Recipiendis ad Ordinem. §. 55. Habitu Abbatum, & Monachorum. §. 26. Curioſitate ornamentorum vitanda. §. 27. Equitaturarū numero. §. 28. Eſu carnium interdicto. §. 29. & ſeqq. Dormitorio cōmuni. §. 33. & ſeqq. Proprietate prohibita §. 35. & ſeqq. & §. 39. Equitaturę quibus permittendæ. §. 38. Victus, & veſtitus cuique ſufficienter dandus §. 40. Monachorum numerus iuxta facultates Monaſteriorum recipiatur. §. 41. Quæ ſtudia ſint tenēda. §. 45. Qui, & quot recipiendi ad ea. §. 43. & ſeq. Studentium prouiſiones taxantur. §. 44. Lectio Bibliæ ſit in quocumq; Studio. §. 45. Studiorum expenſæ, vt fiendæ. §. 47. Animæ ſtudentium, vt curandæ. §. 49. Studentes iura canonica nō audiant. §. 51. Pro obſequijs Studentium, deputentur Officiales. §. 55. Qui Rectores, & Officiales in Studijs eligendi. §. 53. Doctorādi, quid ſeruare, quiduè iurare debent. §. 54. Qui curſus Bibliæ facere, & qui ſētētias legere poſſint. §. 55.

Schol. primum.

Quæro. Prohibita proprietate, vt in §. 35. poterit Monachus, vel Monialis habere illos redditus vitalitios, quos de more parentes diuites ſolent eis aſſignare?

RESP. Poſſet dici, quod ſi ſuperior eis permittit, vt pro ſuis neceſſitatibus vtantur illo redditu, poterunt vti, ſed nullatenus alteri de eo dare etiam eleemoſynaliter ad Sylueſt. in Sum. in verbo Religio. §. 6. ſub nu. 7. & Nauarr. de Regular. Comment. 2. ſub nu. 15.

Schol. ſecundum.

Quæro. A ieiunio, de quo in §. 59. excuſat debilitas, & infirmitas de per ſe, vel inſimul?

RESP. Excuſat etiam disiunctiuè, Panormit. poſt alios in cap. Cum ad Monaſterium 6. de Statu Monachor. nu. 6. Roder. de Quæſt. Regular. tom. 5. quæſt. 100. artic. 1.

IIII.

Edita Anno 1336.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & inf. pag. 178. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia orta fuit inter Theologos, & alios quæſtio, an animæ iuſtorum decedentium, in quibus nihil erat purgabile, vel ſi fuerat, iam purgatum erat, viderent diuinam eſſentiā, ante corporū reſumptionem, generaleq; iudicium. §. 1. Pro qua decidēda Ioānes XXII. Cardinalibus, Prælatis, & Theologis, in publico Cōſiſtorio iniunxit, vt deſuper quid ſentirent, quando ab eo requirerentur, deliberate dicerent: ſed morte præuētus id perficere nequiuit d. §. 1. Hanc modo quæſtionem præuia diligenti examinatione, & deliberatione, cum S.R.E. Cardd. & de eorum conſilio, hic Pont. dilucide determinat. §. 5. & ſeqq. Et aliam de animabus decedentium in peccato mortali. §. 4. Et contra aliter tenentes, aſſerenteſq; pertinaciter, tamquam contra hæreticos, procedi iubet. §. 5. Sanctionemq; pœnalem adijcit. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Cuius opinionis erat ipſe Ioannes XXII.?

RESP. Diſputationis gratia, aſſeruit quandoque animas Sanctorum ex hac vita migrantium perfecte diuinam eſſentiam ante reſurrectionem non videre, & multi alij inſignes viri tenebant: Sed eam à doctiſſimis viris oppugnatam, recenſet Pegna in Director. inquiſit. par. 5. Comment. 21. ipſum Pōtificem, ante obitum ab ea opinione receſſiſſe, itaque expreſſe declaraſſe, teſtantur poſt alios Ciacon. in vita huius Pont. & Petrus Matthæi in ſuis Notis ad iſtam Conſtitutionem.

Schol. ſecundum.

Quæro. Fuitnè poſtea aliquid amplius actum in aliquo Concilio generali de hac beatifica viſione animarum beatarum?

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Actum fuit in Concilio Florentino inter Latinos,& Græcos,vbi hoc idem firmatum fuit,ſeſſ.vlt.circa fi. & ſpecialiter in ipſa bulla Latinorum, & Græcorum vnionis æditæ ab Eugenio IV. in illo Concilio in §. 6. Quæ cuſa eſt in actis d. Concilij, & in hoc opere Bullarij Genitoris mei,eſt nu. 17. fol. 284. cuius ſummam loco ſuo attendere poteris, Et ſubdo, quod ex hac Benedicti XII. determinatione,decem hæreſes damnantur,quas perpendit Eymeric. in Director.Inquiſ.part.2.quæſt. 8. Et quod ante eam, ſectatores contrariæ opinionis, de hæreſi ſuſpecti dici non poterant,iuxta D.Thomæ,& Caiet.veram, & communem ſententiam, de qua meminit Pegna d. Comment. 21. verſ. Cæterum.

V.

Edita Anno 1336. SVmmi magiſtri dignatio, & infra pag. 179. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro reformatione Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti, Pontifex ſtatuit multa de Capitulis Prouincialibus,in cap. 1. Viſitatoribus,cap. 2. Capitulis generalibus, rationibuſq; reddendis cap. 3. Subuentionibus,& Collectis, cap.4. Capitulis quotidianis,cap. 5. Studijs,c.6. Studētibus, cap.7. Studentium penſionibus,cap.8. Mutuis, Vēditionibus,& Conceſſionibus,cap. 9. Fictis, & doloſis contractibus,cap.10. Iuramento à Prelatis preſtando, cap. 11. Spolijs,cap.12. Inuentarijs,cap.13. Locis non dandis ad firmā, cap.14. Priuilegijs,& rebus alijs aſſeruandis, cap. 15. Proprietarijs,& negotiatoribus, cap. 16. Victualijs in pecunia non miniſtrandis,cap.17. Perſonis extra Ordinem non deputandis ad miniſtrandum victum Monachis,cap. 18. Mulierum habitatione in locis Monachorum interdicta, cap. 19. Monachi non retineant animalia, vel perſonas ſæculares,cap.20. Alimenta Monachorum vt preſtanda, cap. 21. Statuit etiam alia de creatione Monachorum,cap. 22. Veſtimentorumq; qualitate,cap.23. Exitum extra Monaſteria interdicit,cap.24. Monachis ad beneficia non admittēdis,cap.25. Eſu,& abſtinentia carnium, dormitorioq; & modo cubandi,cap.26. Miſſis,& Communione non Sacerdotum,cap.27. Cuſtodia ornamentorum, & prouiſione librorum, cap. 28. Ad Sacerdotium promouendis, cap.29. Priore clauſtrali, cap. 30. Monachis obtinen̄ beneficia in Monaſterijs alienis,cap. 31. Quod obtinentes beneficia, ſicuti alij,ſint Ordini ſubiecti,cap.32. Monachorum numero,cap.33. Monaſterijs collapſis,cap.34.& ſeq. Mendicantibus ad Ordinem venientibus,cap.36. Monachis delatoribus,& conſpiratoribus,cap.37.& ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Viſitatores Monaſteriorum electi in Capitulis prouincialibus,vt in cap. 1. poterunt viſitare etiam Monaſteria Monialium Nigrarum?

R E S P. Poterunt,quia expreſsè id cauetur in cap. 7. de Statu Monachorum hic confirmato in §. 1. Et in terminis huius bullæ,ita conſulendo tenuit Io.And.in conſ.292. nu. 1. impreſſo inter conſilia Feder. de Sen.

Schol. ſecundum.

Quæro. Moniales Nigræ tenebuntur ad contributionem expenſarum, quæ fiunt pro Capitulis, & ſtudijs Monachorum,quorum regimini ſubſunt?

R E S P. Non teneri probat, de hac Bulla loquens, Ioā. And.pro2.cit. ſub nu. 2.

V I.

Edita Anno 1339. AD decorem Eccleſiæ Sponſe Dei, & infra pag. 196. Bullar.

COMPENDIVM.

Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Religio à Chriſti Diſcipulis ſtabilita fuit: pro cuius maiori vtilitate Papa multa ſtatuit in princip. De forma recipiendorum Canonicorum.§.1. Eorumq; probatione, §. 2. Creatione, §. 3. Profeſſione,§. 4. Receptione Clerici,vel Laici,ad præbendam, vt prohibita,§.5. Prioris clauſtralis, electio quando, & quomodo fienda, §.6. Alia ſtatuit de Capitulo regulari. §. 7. Annualiq; §. 8. Prouinciali etiam §.9.& ſeqq. Statuēdis in Capitulo.§.15. Quæ ad illud duci poſſunt.§. 16. Impedientium celebrationem Capituli pena, §.17. Offendentiumque perſonas,& loca Ordinis, §. 18. in quibus Prouincijs celebrandum ſit,§. 19. Viſitatorum munus quod §. 20 Alia quoq; ſtatuit de Collectis, & cōtributionibus.§.21. Magiſtriſq; Canonicorū,§.22. Ad ſtudia mittendis,§.23. Penſionibus Doctorum, Lectorum, Scholariū, & aliorum,§.24.& ſeq. Libris diſtribuendis, §. 26. Studentium regimine,§.27. Preſidentium ſtudentibus munere, §. 28. Aſſumptione ad gradus, §. 29. Obſeruandis per Canonicos beneficia obtinentes. §. 30. Officiorum celebratione,§. 31. Beneficiati ſubſint Superioribus, §.32. Locus Infirmariæ qui. §. 33. Numerus Canonicorum quis, §. 34. Retentio animalium,& ſæculariū,vt vetita. §. 35. Lautaq; conuiuia,& immoderati ſumptus. §.36. Religioſi aſſociati incedant.§.37. Ad Ordines promouendi,qui & quando,§. 39. Veſtimenta quæ,§.40. Exitus de Monaſterijs,vt prohibitus,§.41. Bonorum alienatio interdicitur, §.42. Fictique contractus,§.43. Mutua quomodo recipienda,§.44. Locationes quæ damnatæ,§.45. Regiſtra, & Archiuia conficiēda,§.46. Alimenta,vt preſtanda,§.47. Eſus carnium prohibitus,§.48. Accubitus ſit in dormitorio, §.49 Priuilegia,& mobilia non transferenda,§. 50 Alia, ſtatuit de celebratione Miſſarum,§.51. Euchariſtiæ ſuſceptione, §. 52. Diuinis Officijs,§. 53. Reliquiarum conſeruatione, §. 54. Vſu fori damnato,§. 55. Venatioque, §. 56. Armorum etiam retentio,§. 57. Accuſationes quæ recipiendæ, §. 58. Reparatio locorum precipitur,§. 59. Proprietarij damnantur, §. 60. Conſpiratoreſq; §.61. Electi,ac fugitiui etiam, §.62.

Schol. primum.

Quæro. Eſt in malo ſtatu Canonicus Regularis,qui poſt Concilium Tridētinum, tam ſtricte proprietatem vetans, viuit,per portiones particulares, vt in §. 24. & ſeqq.?

R E S P. Legito Nauar.de Regular.Comment. 3. n.32. & ſeq.qui tuo quæſito optime ſatisfaciet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si in recitatione diuinorum Officiorum inſimul facienda, de qua in §. 31. non cantat Canonicus cum alijs in choro,ſed ſubmiſſa voce. verſum ſui chori recitat, & vocem alterius recte audit,peccat?

R E S P. Peccare probat Nauarr. de Silentio in diuinis Officijs,ſub nu.10.

VII.

QVoniam nonnulli ſicut accepimus, & infra pag.212. Bullarij. *Edita Anno 1339.*

COMPENDIVM.

Qui aliqui promouendi ad beneficia Eccleſiaſtica, ſe minus idoneos ſentiūt ad examen, alios loco ſui ſupponūt, & per fraudē huiuſmodi beneficia aſſequuntur in proem. Hic Pont. ideo excommunicationi latæ ſententiæ ſubijcit, ſupradictos, & eos qui pro illis huiuſmodi examen ſubeūt. §. 1. Literaſq; deſuper expeditas, cum ſuis proceſſibus viribus euacuat. ibidem. Et prefatos tale examen pro alijs ſubeuntes, beneficijs omnibus, ſi quæ habent priuat, Et ſi non habent,inhabiles reddit ad ea obtinenda. ibidem.

Schol. primum.

Quæro. Hæc bulla de beneficijs loquens, intelligitur etiam de Epiſcopatibus?

R E S P. Abſque dubio intelligitur, quia appellatione beneficij, veniunt omnes dignitates, & quamuis ſimus in pœnalibus,intrat argumentum à maioritate rationis, cum iſta diſpoſitio tendat ad fauorem publicum per ea,quæ deducit Mandoſ.ſuper Regul. Canc.34.quæſt. 16. num.4. & latius ſuper Reg.22.nu.1.& ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Compater meus mox examinatus,obtinuit Canonicatum in Eccleſia Collegiata S. Laurentij in Damaſo de Vrbe, erit nè amplius examinandus, ſi ſimilem Canonicatum poſtea obtineret in alia Collegiata?

R E S P. In Curia ſeruatur,quod non ſit iterum examinandus,vt ſcribit Gonzal. ſup.8. Reg.Cancell. gl.4.nu.88. vbi tamen num. ſeqq. aliquas ſubdit declarationes in hac materia examinis.

CLE-

Digitized by Google

CLEMENS VI. Gallus, creatus anno 1342.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1344.

SOllicitudinis paſtoralis officium, & infra pag. 212. Bullar.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Abbati Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, retinendi, & acquirendi alia bona, & Monaſteria, & in ibi diuina officia celebrandi. §. 1. & 2. Et eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Iſta congregatio viuit ſecundum generalem Regulam S. Benedicti, vel ſecundum alias reſtrictiores ordinationes?

R E S P. Habet vltra d. Regulam, valde ſtrictas reformationes. Anchar. conſ. 321. num. 1. Lapus allegat. 130. n. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ad alios ergo Monachos S. Benedicti, eis non datur tranſitus?

R E S P. Non datur, niſi illi Monachi viuant ſecundum magis ſtrictas reformationes. Et ideo Gregor. XI. ſolum ad Carthuſienſes tranſitum eis permiſit, in quodam eius priuilegio, de quo ipſe meminit: Quod mox repertum in Bibliotheca Genitoris mei, hic inſerere placuit. Ipſe autem illud prætermiſit, quia (vt ſæpe aſſeruit) præcipua Religionum indulta dumtaxat colligere fuit intentus.

G R E G O R I V S   E P I S C O P V S
ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Specialis beneuolentiæ plenitudo, quam ad Religionem Fratrum Ordinis Sancti Benedicti, qui de Monte Oliueti nuncupantur, gerimus, meritò nos inducit, vt Religionem ipſam, & eius perſonas, præſertim ad obſeruantiam diuini officij, opportunis fauoribus, quantum cum Deo poſſumus, foueamus.

Sanè nuper accepimus, quod quamplures Iuuenes Religionis eiuſdem, ſeducti, ad alias Religiones, etiam in quibus non eſt arctior modus viuendi, eo prætextu ſolum tranſeunt, quaſi aliæ Religiones huiuſmodi antiquiores fore noſcantur.

Nos volentes ſuper hoc de opportuno remedio prouidere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, ac etiam diſtrictius inhibemus, ne quis eiuſdē Religionis cuius perſonæ de Monte Oliueti nuncupantur, ad aliquam Religionem, præterquam ad Carthuſienſium abſq; licentia, & conſenſu Abbatis Generalis dictæ Religionis Montis Oliueti, valeat ſe transferre, & ſi ſecus attentatum fuerit, id irritum decernimus, & inane. Nulli ergo, &c. Datum Auinion. Idibus Martij, Pontificatus noſtri Anno Primo.

II.

Edita Anno 1346.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 213. Bullar.

COMPENDIVM.

Benedictus XII initiū dedit reformationi Ordinis Fratrum Seruorum B. M. V. ſub regula S. Auguſtini. §. 1. Hic Pont. eam perfecit, & obſeruādam eis tradit. §. 2. Statuens Capitulum generale quolibet triennio celebrari, & vocales deſignat. §. 3. Capitulumq; Prouinciale quolibet anno, & vocales indicat §. 4. Priorem generalem ad alium triennium cōfirmari poſſe indulget. §. 5. In Priorem generalem eligi vetat qui ſpatio annorum 20 in Religione non ſteterit, §. 6. Diffinitores generales, & Prouinciales, quando eligendi ſint, ſtatuit. §. 7. & etiam Priores Prouinciales. §. 8. Prioreſq; Conuentuales. §. 9. Prioris Prouincialis Officium triēnio expleri decernit, §. 10. Diffinitores Capituli generalis quādo ad idem Officium eligi poſſint, declarat, §. 11. Priorisque Conuentualis Officium, quando expleatur, §. 12. Formam iuramenti Prioris generalis, & Diffinitorum præſcribit, §. 13. Munerum receptionem vetat, §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Vnde hi Fratres, nomen Seruorum B. Mariæ ſortiti ſunt?

R E S P. Quaſi diuinitus ex ore infantium, & lactentiū, ſic vocati fuerunt, cum quidam pueri videntes aliquot ex dictis Fratribus in exordio fere Ordinis eleemoſynas quærere, exclamare cœperunt. En ſerui B. Mariæ veniunt, date eleemoſynam, vt teſtantur monumenta ipſius Ordinis, & Roder. de Quæſt. Regul. tom. 1. q. 5. artic. 6. & quod magis eſt, hoc fere idem refert Innoc. VIII. in quadam eius conſt. impreſſa in compendio d. Ordinis pag. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur habitum nigrum elegerunt, dum B. M. Virginis ſeruos ſe conſtituerunt?

R E S P. Vt eodem tempore, paſſionis Chriſti eiuſdem B. M. Filij memoriam præſeferent, nigrum mœſtitiæ quippe habitum ſibi deputarunt. Sic habetur in d. conſt. Innoc. VIII. quam de more Genitor meus, prætermiſit, quia nil aliud, quam Ordinis commendationem continet, & comprobationem.

III.

Edita Anno 1346.

ETſi ſolertem adhibere vigilantiam, & infra pag. 214. Bullarij.

COMPENDIVM.

Exprobrat temeritatem eorum, qui loca Patrimonij B. Petri hactenus occuparunt, §. 1. Prohibet dari, vel acquiri aliquod dominium, aut iuriſdictionem, præeminētiam, vel obligationem in locis Patrimonij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, §. 1. & 2. Imponit multas pœnas contrauenientibus, §. 3. Irritat omnes eiuſmodi contractus, §. 4. Confirmat conſtitutionem editam à Ioanne XXII contra quoſcumque turbantes loca Sedis Apoſtolicæ, §. 5. & 6. Addit pœnalem Sanctionem, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Vnde emerſerat hæc damna in Statu Eccleſiaſtico, quæ indicantur in §. 1.?

R E S P. Audi Ciaconium in vita huius Pontificis hæc dicentem. Opprimebatur eo tempore (loquens de huius, & Innocentij VI. Pontificatus tempore) à Tyrannis magna pars Italiæ, quæ Eccleſiaſticæ ditionis erat; quippe cum occupaſſe Viterbium cum multis alijs oppidis; Ioānes Vicus; Ariminum, Piſaurum, Fanum Malateſtā de Malateſtis; Vrbinum Antonius Philaretus; & alij alias Vrbes, & Oppida, tota pars Imperij Eccleſiaſtici à Tyrannis vſurpata erat.

Schol. ſecundum.

Quæro. His malis quando obuiam itum fuit?

R E S P. Succeſſit in Pontificatu Innocentius VI. qui Ægidium Carrillum Concheſem Hiſpanum, die 18. Decembris 1350. Cardinalem creauit, & deinde Legatum ſumma cum poteſtate miſit anno 1353. in Italiam, vbi Tyrannorum numerus auctus erat, & Franciſcus de Ordelaffis Foroliuien quamplures Terras Status Eccleſiaſtici occupabat. Qui Cardinalis vti prudens Legatus, & peritiſſimus Dux, Deo iuuante, totum Eccleſiæ Patrimonium, pulſis Tyrannis recuperauit, vt ſcripſerunt Platina, & Ciacon. in Vitis prædictorum Pontificum.

IV.

Edita Anno 1347.

AD ſpiritualis gaudij, & conſolationis, & infra pag. 216. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, ad poſtulationem Philippi Regis Frāciæ, præcedente diutina examinatione, & matura prouidentia die 16. Iunij 1347. canonizaſſe Iuonem Presbyterum Trecoſenſem Gallum, in princ. Et ſtatuit eius feſtum die 19. Maij quotannis celebrari, §. 1. Ad eum poterit recurrere Rex, & populus Galliæ, vti eorum interceſſorem, §. 2. & 3.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quod (vt fertur) hic Sanctus Aduocatus pauperum nuncupatur?

R E S P. Quia pupillos, & orphanos egregie tuebatur, & pro eis diuerſis in locis adibat iudicia, patronum ſe illis exhibens ſola pietate, & iuſtitia permotus, imò ſuis impēſis illorum cauſas defendebat. Hæc Sur. de Hiſtor. Sanctorum,

ctorum,

ctorum, Tom. 3. die 19. Maij. Hinc eſt etiam, quod Collegium Aduocatorum Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, quotannis Romæ in huius ſancti Viri, eiuſdem Collegij patroni Eccleſia, collegialiter Sacrorum celebrationi adſiſtunt.

Schol. ſecundum.

Quero. Qua patria, & genitoribus ortus eſt?

R E S P. Patri nomen erat Ahelorus, Matri verò Arona, & ab eis in lucem editus fuit, in pago Martini nuncupato, non longe ab Vrbe Trecorenſi in Britannia minori, teſte Sur. vbi ſupra, qui alias eiuſdem Sancti præclaras res geſtas ibidem recenſet, & cum eo pertranſit Baron. in Martyrolog. d. die 19. Maij.

V.

Edita Anno 1351.

LIcet in conſtitutione à fel. rec. Gregorio Papa X. & infra pag. 216. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Gregorius X. ſuper electione Romani Pontificis edidit Conſtitutionem, de qua in cap. 5. de Electıon. in 6. in princip. Hic Pont. mitigando eam conſtitutionem, concedit Cardinalibus in Conclauis duos ſeruientes, §. 2. Permittit etiam vnum ferculum, vltra panem, vinum, & aquam, vltra herbas, electuaria, &c. §. 3. Necnon permittit etiā velamina ſimpliciū cortinarum, §. 4. Derogat omnibus contrarijs, §. 5.

Schol. primum.

Quero. Ante Gregoriū X. ediderant aliquid Prædeceſſores Pontifices, de electione Papæ, de qua in principio?

R E S P. Nicolaus II. nonnulla decreuerat in cap. 1. diſt. 23. & Alexander III. in cap. Licet 6. de electione in 6. & Clemens V. in clem. 2. eod. tit.

Schol. ſecundum.

Quero. Cur aliqui dicunt, Nicolai decretum illud, corruptè à Gratiano regiſtratum, vt Honuphrius Panuinus, & alij?

R E S P. Multi in hoc multa loquuntur, quorum veritas breui ſermone explicari non poteſt. Nouiſſime de hoc ſcribit Baron. in Annalib. Eccleſiaſt. tom. 11. an. 1059. pag. 256. & ſequitur Seuerin. Binius in ſuis Notis, ad Concilium Romanum, ab ipſo Nicolao II. celebratum.

INNOCENTIVS VI. Gallus, creatus Anno 1352.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1353.

CVm onus vniuerſalis regiminis, & infra pag. 217. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Deputat Ægidium Carriglium Cardinalem Hiſpanum Legatum, Vicariumq; in temporalibus, in toto Statu Eccleſiaſtico, §. 2. Facultatem tribuit, cauſas quaſcumque cognoſcendi, §. 3. Barones, & alios quoſcumq; puniendi, §. 4. Gubernatores deputandi, §. 5. Culpabiles coercendi, §. 6. Paces componendi, §. 7. Pactiones contra bonum ſtatum pacis irritandi, §. 8. Terras occupatas recuperandi, §. 9. Cum delinquentibus componendi, §. 10. Bellum contra perturbatores indicendi, §. 11. Hoſtes cōpeſcendi §. 12. Aliaq; neceſſaria, & opportuna faciendi, §. 13. Quibuſcumq; non obſtan. §. 14.

Schol. primum.

Quero. Alias nè dedit hic Pont. facultates huic Legato, vt facilius cōponeret ſeditiones tunc in Statu Eccleſiaſtico vrgentes, vt dicitur in conſt. 3. Clem. VI. fol. 214. Bullarij?

R E S P. Dedit alias facultates, in quatuor eius conſtitutionibus impreſſis in lib. 1. Conſtitutionum Aegidianarum, ſiue Marchiæ, quas hic intexere Genitor prætermiſit, intentus præcipua diplomata Legationum prodere, vt ſecūdum temporum, & negotiorum exigentiam Legatorum facultates metiri dignoſcamus.

Schol. ſecundum.

Quero. Eiuſmodi conſtitutiones non, prævalent particularibus ſtatutis locorum?

R E S P. Non, ſed ſtatuta prævalent illis, Rota in deciſ. Robbſterij 530. part. 2. Diuerſor. num. 1. & 4. Dummodo à Sede Apoſtolica ſint validè confirmata, vt habetur infra in conſt. 93. Sixti V. §. 19.

II.

Edita Anno 1360.

QVuaſi lignum vitæ in Paradiſo Dei, & infra pag. 218. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Theologicam facultatem commendat in proem. & §. 1. Illam ergo in Studio Bononienſi, iure canonico, & ciuili, ac liberalibus artibus inſigni, introducendam duxit, §. 2. Et inſtituit, §. 3. Priuilegia aliorum Studiorum generalium elargitur, §. 3. Magiſterijs titulum conferri poſſe indulget, §. 4. Formamque conferendi præſcribit, §. 5. Magiſterij titulum aſſecutis, alibi legendi, facultatem concedit, §. 6.

Schol. primum.

Quero. Bononia cur in Numiſmate ſculpſit, *Mater ſtudiorum, Bononia docet?*

R E S P. Quia cæteris præſtantius inditione Eccleſiaſtica hoc Studium videtur, ſaltē in legibus, in quibus Monarchiā tenere ſcribit Accurſ. in rubr. Cod. de Stud. liberal. Vrb. Romæ, lib. 11. quē refert Horat. Luc. in ſuo Tract. de Priu. Scholar. in vlt. tit. de His, qui gaudent Priuileg. Scholar. ſub nu. 23. & contienit Gloſ. in Clement. 1. de Magiſtr. in verbo Bononien. vbi habetur, quod Bononia dicitur, quaſi ſuper omnia bona, vel bonorum notitia nimis amabilis.

Schol. ſecundum.

Quero. Nunquid non ſolū ex eiuſmodi Priuilegio, ſed ex antiquiſſima cōſuetudine ſtudium generale eſſe potuit?

R E S P. Certiſſimum eſt, ſicut in Ciuitate Paduæ extat, teſte Bart. in proem. ff. §. hæc autem n. 3. Bal. & alijs, nu. 1. & Franch. in cap. 2. de priuileg. in 6. nu. 2.

V R B A N V V S V. Gallus, creatus Anno 1362.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1364.

APoſtolatus officium, cui quamquam, & inf. pag. 219. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Recenſet, quod Bonifatius VIII. exigentes pedagia ab Eccleſijs, vel earum perſonis, de proprijs eorum bonis, excommunicationis pœna innodauit, §. 1. Et ſi eſſent Vniuerſitates, interdicto eccleſiaſtico ſuppoſuit ibidem. Refert etiam, quod plures Romani Pontifices excōmmunicarunt Piratas maritimos, eorumq. fautores, Noua etiam pedagia imponentes, ad Sarracenos arma, & ſimilia deferentes, Offendenteſq. venientes ad Vrbem, in eaq. morantes, & recedentes ab ea, Impedientes delationem victualium ad Vrbem, aut recurrentes ad Romanam Curiam, Occupatoreſq. loca S.R.E. §. 2. Deputat Camerarium, qui contra inobedientes procedat, §. 3. Contraria quæcumque Priuilegia reuocat, §. 4.

Schol. primum.

Quero. Quod inquit Genitor tuus, in ſuo Bullar. poſt rubr. A. C. hodie procedere ad executionem huius conſtitutionis non reperi, id cautum conſtit. 41. Pauli V. per eum cit. Vbi ergo id habetur?

R E S P. Habetur in Pauli V. conſt. 20. incipien. *Eximiæ* errore impreſſorum aliter citata, vbi in §. 14. conceditur quod, & ab alijs Pontt. ibi in rubr. indicatis hactenus conceſſum fuerat, Auditori Cameræ, vt ſolus litteras Apoſtolicas ipſe exequatur, ſi in eis alius executor datus non ſit, ſed ſi alius etiam datus ſit, Et tunc cumulatiuè cum illo, & hinc intelligis quod ad executionē huius Bullæ, vbi Camerarius eſt executor deputatus, ambo cumulatiuè procedūt.

Schol. ſecundum.

Quero. Bonifatius VIII. cit. hic in princ. vbi hæc noua pedagia prohibuit?

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Quiſq; etiam mediocris doctrinæ vir non ignorat, id Bonifat. edixiſſe in cap. 3. de Immunitat. Eccleſ. & Cannn. communiter de hoc ibi agunt: Recordare etiam Benedictum XI. eam Bonif. decretalem declaraſſe in extrauag. 1. eodem tit.

II.

Edita Anno 1363.

SIncerae deuotionis affectus, & inf. pagina 220. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit perſnnis Ordinis Carthuſienſis vſum altaris portatilis, in qun celebrare, & in eorum pręſentia celebrari facere poſſint, in locis Ordinis honeſtis, & congruentibus, §. 1.

Schol. primum.

Quaro. Altare portatile debet eſſe de ligno, de auro, de argento, & ſimili materia?

R E S P. Debet ſolummodo eſſe lapideum ideſt, paruus lapis, ſuper quo fit Sacrificium, licet alia pars altaris ſit lignea, quod inſtituit S. Syluester, vt poſt S. Thom. & Panormit. tenet Franc. Marc. in deciſ. Delphinat. lib. 1. deciſ. 121. num. 5. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quaro. Cur debet eſſe lapideum?

R E S P. Vt de facili poſſit haberi, & quia lapis ſignificat Chriſtum, cuius Paſſio in Sacrificio Miſſæ ſuper altari, refertur Franc. Marc. vbi ſupra.

GREGORIVS XI. Gallus, creatus Anno 1370.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1372.

SVper vniuerſas Orbis Eccleſias, & infra pag. 220. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert, quod Eccleſiam Lateranenſem Conſtantinus miraculoſe mundatus à lepra, & Sacri Baptiſmatis fonte renatus in ſuo Palatio Lateranenſi, in honorem Saluatoris extruxit, ſtatuens, quod ea tunc libera eſſet vnicuiq; poteſtas per Orbem Eccleſias ædificandi, quod hactenus Imperialis authoritas prohibuerat in princ. Enarrat, quod nihilominus reuocatur à quibuſdam in dubium, an in Vrbe, & Orbe ipſa Eccleſia primi loci prærogatiuam obtineat, ibidem. Declarat ergo, eam primum locum tenere, ſuper omnes Vrbis, & Orbis Eccleſias, & etiam ſuper Eccleſiam B. Petri de Vrbe, §. 1. Contrarium attentari prohibet d. §. 1. Sanctionem pœnalem apponit, §. 2.

Schol. primum.

Quaro. Eſt nè verum, quod de hac præeminentia extant in periſtilio exterioris Porticus d. Eccleſiæ Lateranenſis elegantes verſus?

R E S P. Extant, & huius ſunt argumenti, egregium quippe antiquitatis monumentum.

Dogmate Papali datur ac ſimul Imperiali,
Quod ſit cunctarum Mater Eccleſiarum
Hinc Saluatoris cœleſtia Regna datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt, &c.

Quinimo, & in abſida d. Eccleſiæ, alij leguntur verſus,

Hæc eſt Papalis Sedes, & Pontificalis,
Præſidet & Chriſti iure Vicarius iſti, &c.

Audi inſuper alios (licet barbaros) qui per Eccleſiam inciſi leguntur.

Agnoſcant cuncti ſacro Baptiſmate functi
Quod domus hæc munda, nulli ſit in Orbe ſecunda
Nam cum Papalis locus hic ſit, & Cathedralis
Primatum Mundi meruit ſine lite rotundi
Contendat nemo ſecum de iure ſupremo,
Omnis ei cedit locus, & reuerenter obedit.

Schol. ſecundum.

Quaro. Iſti verſus in lapidibus antiquitus ſculpti, faciunt nè ſpeciem probationis huiuſmodi præeminentiæ?

R E S P. Si non probant de per ſe, alias tamen probationes coadiuuant. Bart. in l. Monumentorum 6. ff. de Relig. & ſumpt. Fun. nu. 2. Bald. ibid. nu. 1. Angel. de Peruſ. n. 1. Zabar. in cap. Cum cauſam 13. de probat. n. 2. Bellam. n. 3. Ioan. And. n. 10. gl. in cap. Sanè 6. in verb. dapthycis, 24. quæſt. 1. Specul. de Probat. §. 3. n. 12. & relatis alijs Maſcar. qui nonnullos cumulat. de Probat. lib. 1. concl. 105. nu. 10.

II.

Edita Anno 1372.

ADmodum dolenter audiuimus, & inf. pag. 220. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert, audiuiſſe quoſdã Sarracenos ad fidem Chriſtianam conuerſos, ad eãdem impietatẽ reuerſos eſſe, & quoſdam Chriſtianos ad Agarenorum perfidiam ſe tranſtuliſſe in princ. Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis ideo iubet, vt contra eos procedant, tamquam contra hæreticos, & etiam contra eorum fautores, §. 1. & Sarracenos, qui Chriſtianos trahunt ad eorum ritum, debita pœna plectantur, §. 2.

Schol. primum.

Quaro. Hi Chriſtiani qui ad Sarracenorum ſectam ſe trasferunt, quomodo puniendi?

R E S P. Si vere pœniteat, & conuertantur, condonatur eis vita, & ſecundum eorum lapſum puniuntur, vt poſt Eymeric. ſic ad hanc Bullam tradit Pegna in Director. Inquiſ. par. 2. Comm. 70. verſ. ſed iure, & latius Commen. 74.

Schol. ſecundum.

Quaro. Ritus Sarracenorum cur non tolerantur inter Chriſtianos, ſicut Iudæorum?

R E S P. Optima ratione id factum oſtendit Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. q. 46. & Pegna ibi in ſuo Comment. 71. Quia ſcilicet in ritibus Iudæorum habetur teſtimonium fidei Chriſtianæ, quod ipſi ibi latius explicant, vt ſuperius etiam dixi.

III.

Edita Anno 1373.

DVm ſalubria laborum noſtrorum ſtudia, & infra pag. 221. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert merita, & onera Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in princ. Et fructus beneficiorum, & domorum Ordinis vna cum eleemoſynis in redimendis Chriſtianis captiuis, §. 1. Et tamen exactores decimarum Principibus, vel alijs à Sede Apoſtolica conceſſarum ipſos Fratres cogere ad ſolutionem earum ibidem. Ideò Papa eos eximit ab huiuſmodi decimis conceſſis, & concedendis, §. 2. Sanctionem pœnalem apponit, §. 3.

Schol. primum.

Quaro. Hoc Priuilegium fuit nè vnquam ab alio Summo Pontifice approbatum?

R E S P. Omnia Ordinis priuilegia à multis Pontificibus præcedentibus, inter quos iſte Gregorius enumeratur elargita, ad petitionem Philippi III. Hiſpaniarum Regis comprobauit, & innouauit Paulus V. in eius diplomate die 23. Auguſti ſignato, à Genitor meo, in cuius Bibliotheca illud perlegi de more prætermiſſo; ſui enim inſtituti nõ fuit Bullas confirmatorias colligere, & typis dare, cum earum numerus in infinitum excreuerit.

Schol. ſecundum.

Quaro. Oblitus fui in conſt. 9. Greg. IX. de qua ſupra pag. 15. vbi legitur confirmatio huius Ordinis, abs te petere, cur illa bulla Gregorij in bullis multorum ſucceſſorum Pontificum, non fuit enunciata, vt ex earum lectione habere potui?

RESP. Quia Fratres Ordinis authenticum eius bullæ, temporum iniuria, vel Officialium incuria, amiſerant, & diù poſtea in regiſtro ipſius Gregor. IX. repertum fuit in Vaticano & exinde iuſſu huius Gregor. XI. eidem Ordini aliud authenticum ſumptum datum ſub die 6. Ianuarij anno 1274. cuius exemplar in Genitoris mei Bibliotheca reperitur.

IV.

Edita Anno 1373.

CVnctos Chriſti fideles, & infra pagina 221. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Regula S. Franciſci cauetur, quod Miniſtri Ordinis petant

Digitized by Google

petant à Papa vnum de S.R.E.Cardinalibus, qui ſit Ordinis Franciſcani Protector,& Corrector, §.3.Quidam Protectores fines ſuæ poteſtatis exceſſerunt, §.4. Quam ideo hic Pont.limitat,& facultatem immutãdi Statuta Ordinis denegat, §. 5. Et Pręlatorum,Officialiumq;priuationem, §. 6. Ac facultatem promouendi ad gradus denegat, §. 7. Mutandiq;Fratres,§. 8. Eoſdem grauandi,& puniendi,§. 9. Res Ordinis concedendi, §. 10. Iuſſus Pręlatorum mutandi,§.11.Fratrumq;recurſum §. 12. Prohibet Fratribus impetrati contraria,§.13.Hortatur Protectorem ad prouidam Ordinis protectionem,§.14.

Schol. primum.

Quæro. An Miniſtri teneantur petere vnum Cardinalem in ſpeciali, vel in generali, vt ſatisfaciant Regulæ de qua in §.1.?

R E S P.Hugo in expoſitione 3.Regulę,cap vlt.ſatis eſſe inquit, vno, vel altero modo Protectorem petere, & ibi ſubdit aliqua de munere optimi Protecturis.

Schol ſecundum.

Quæro. Scis nè aliquem ex protectoribus, hoc protectionis munus laudabiliter exercuiſſe, dum dicitur aliquos ſuæ authoritatis fines exceſſiſſe in §.4.

R E S P. Hugo proximè citatus inquit, hunc Pontificem iſtius Ordinis protectionem optimè adminiſtraſſe, molta de eius laudibus recenſendo, & eaſdẽ repetit Eman. Rod.de Quæſt.Regul.Tom.3.quæſt 42.art.1.

V.

Edita Anno 1373.

RElèuationi iniuſtorum grauaminum, & infra pag.222.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prohibet Officialibus omnium Terrarum,Romanę Eccleſiæ immediatè ſubiectarum,Ciues, & incolas earum cogere ad granum,ligna,& ſimilia, abſq; iuſto pretio ſibi deferendo,§.1.Statuta, & conſuetudines contrarias reuocat, §.2. In contrarium attendenda declarat irrita, & contrauenientibus pœnas imponit, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Conſtitutio iſta pœnalis ligat, ſi non conſtat de publicatione?

R E S P. Non ligat ad pœnam, quamuis regulariter liget ante publicationem, vt actus ſit nullus, Rota coram Put. deciſ.281.lib.1.nu.1.& ſeqq.in vltimo impreſſis. Theſaur.deciſ.249.nu. 6. & ſeq. Rota coram Blanchet. 10 vna Calaguritana Beneficij,17. Maij 1593.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ergo iſta conſtitutio quæ non videtur publicata,remanet vſq;modo ocioſa?

R E S P.Imo ligat,& afficit,quia legitur impreſſa in volumine conſtitutionum Marchiæ cap. 38. lib. 1. quæ paſſim ſunt in communi obſeruantia apud omnes, & ita limitatur regula ſupradicta Gabr.de Clauſul.concluſ.4. nu.64. Rota coram Ottẽbergh. 10 vna Valentina Baroniæ 4. Iulij 1603. & coram Marcomont. in vna Hurtana Locationis 14. Aprilis eodem anno.

V I.

Edita Anno 1373.

PEr Romani Pontificis prouidentiam,& infra pag. 222. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit,quod Religioſi etiam Mendicantes in Capellanos Sedis Apoſtolicæ electi,& eligendi, eorum Superiorum, & Correctorum iuriſdictioni in omnibus, & per omnia remaneant ſubiecti,§.1.& 2.Priuilegijs omnibus dictis Capellanis, ſub quacumq; forma conceſſis, & concedendis,derogat,§.3.Sanctionem pœnalem addit ibid.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi ſint Capellani Regij?

R E S P. Seruanda videtur diſpoſitio Innoc.III.in cap. Cum Capella 16.de Priuileg.quam innouauit Sacrũ Cõcil. Trid.ſeſſ.24.cap.11. ſecundum Roder. de Quæſt. Regul. tom.1.q.64.art.4. A cuius ſententia libenter diſcedo, quia Concil.Trid. vt patet ex lectura, non loquitur de perſonis regularibus, & ideo Capellanos Regios regulariter hac prohibitione ligari, non dubium videtur.

Schol.ſecundum.

Quæro. Hæc indulta Religioſorum, ſunt odioſa,& ſtrictè interpretanda?

R E S P. Strictè quidem; quia laxioris vitæ occaſionem præbere cognoſcũtur,vt colligitur ex d.cap. Cum Capella, & ibi omnes notant,& ad verbum dicitur in d.Conc.Trid. & faciunt ſcripta à D.Bernardo de Pręcept.& diſpenſ.

V I I.

Edita Anno 1374.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis profeſſores,& infra pag.223. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit, Magiſtrum generalem Fratrum Prædicatorum Ordinis S.Dominici,ſtatim electum liberè totius Ordinis regimen habere, §. 1.& 2. Diffinitorumq; authorem præſcribit,§.3 Et lectorum, §. 4. Decernit etiam, Epiſcopos de inſtitutione Priorum nõ ſe intromittere,§.5.Quiduè agendum ſit de Priorum non confirmatorum ſtatu, §. 6. Et quod vocalibus longè abſentibus,tempus non currat, §.7. Fratreſq; vt promouendi, §. 8. Oratorijſq;& Altare portatili vtantur §. 9. Vt celebrent tempore interdicti, §. 10. Prelati, vt abſoluant Fratres, & è contra, §. 11. & 12. Venienteſq,ad ordinem,§.13.Decernit, non cogi ad Officium extra ordinem, vel cognitionem cauſarum, curam Monialium, citationes, & denunciationes ſententiarum, niſi à Papa, §. 14. Fratres extra clauſtra vagantes reuocentur, §. 15. Miſſi à Sede Apoſtolica ad prędicandum Crucem,vel inquirendum, &c à Mag Generali reuocari poſſint,§.16.Profeſſi recedentes ab Ordine coerceantur, §.17. Licentiatiq;ſi ad arctiorem Ordinem non tranſierint,§.18. Apoſtatæ etiam,§.19. Electi, vel egreſſi non prędicent, §. 20.Habitus conſimilis alijs Ordinibus interdicitur, §. 21. Exempti ſunt à decimis de hortis,& virgultis,§.22. Incerta reſtituenda ab intrantibus Ordinem, illi poſſunt applicari, §. 23. Sepultura in locis Ordinis cuique detur,§.24. Sed nemini eam dare cogantur, §. 25. Neque ad audiendum confeſſiones,vel Synodos.& proceſſiones, §. 26. Fratres,vt confiteantur extra Ordinem,§. 27. Eximuntur à canonica portione, §. 28. Bona locorum, quæ dimittunt,ad alia loca poſſint transferre, §. 29. Eximuntur à contributionibus,§.30.Et à Iuriſdictione Ordinariorum, §. 31.

Schol. primum.

Quæro. Vagantes extra Clauſtra,de quibus in §.15.poterunt de licentia Epiſcoporum prædicare?

R E S P. Non poterunt,niſi cum licentia Sedis Apoſtolicæ,quia ſic ſtatuit Concil.Trid.ſeſſ.5. cap. 2. §. præterea.

Schol. ſecundum.

Quæro. Dicuntur extra clauſtra vagare, qui extra Monaſteria de licentia ſuorum Prælatorum, pro aliquibus agendis negocijs viuunt?

R E S P. Non, vt in terminis non abſimilis bullæ,tradit Roder.de Quæſt.regular.tom.3.quæſt. 32.art. 9.

V I I I.

Edita Anno 1374.

ETſi à Sacris Canonibus, & infra pagina 226. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Illegitimi de iure Canonum,abſq;canonica diſpenſatione non admittantur ad beneficia eccleſiaſtica, in princ. Et quia Eccleſiæ Patriarchales Vrbis,nempe Lateranenſis, & B.Petri,& B. Mariæ Maioris,cæteris maiori dignitate pręcellunt,decernit hic Pontifex, illegitimos ad earum Canonicatus pręœbendas, dignitates perſonatus, vel Officia non admitti,niſi præuia legitima, & ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, §. 1. Contraria decernit irrita, §.2. Declarat hanc ſanctionem non obſtare his, qui iam dicta beneficia canonicè obtinent, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Quid de legitimatis à Papa?

R E S P. Simpliciter legitimatus, dicitur reſtitutus ad honores,& ad minores Ordines tantum,non autem ad Sacros aſcendere valet,abſq; pura diſpenſatione, niſi aliunde ex verbis mens Papæ colligatur, quod eum voluerit ad Sacros Ordines poſſe promoueri, Summa Tabiena in verbo Clericus,primo,§.3. & plenè Maiol. in ſuo Tractat. de Irre-

Digitized by Google

regul.lib. 1.cap.8.num.4.& ſeqq.vbi ampliat,num. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Papa diſpenſet cum Petro illegitimo ad Canonicatum iſtarum Eccleſiarum, an intelligatur diſpenſatus ad Canonicatum, quem Pater obtinet in vna ex dictis Eccleſijs?

R E S P. Non, vt docet Summa Tabiena in verbo Beneficium. 2.nu. 13.& Marol.in loco allegato, nu. 9.

IX.

Edita Anno 1376.

CVpientibus à ſæculi vanitatibus elongari, & infra pag. 226.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Archiepiſcopus Mediolaneñ ſupplicat Papæ, vt Fratres in Eccleſia S.Ambroſij ad Nemus Mediolani, ob deuotionum erga d.Sanctũ, qui ad ſolitudinem ibi accedebat, religioſam vitam ducere poſſint ſine ſcrupulo, ſtantibus Sacris conſtitutionibus in contrarium, §.1. Qui Pont. indulget, ſic eos ibi viuere poſſe ſub regula S. Auguſtini §.2. Fratreſque S. Ambroſij vocentur, §.3. Eorum Prior vnus ſit, & ab Epiſcopo confirmetur, §.4. & 5. Habitu panni berettini cum cappa, & ſcapulari vtantur, §.6. Prędicare poſſunt de licentia Diœceſani, §.7. Mortuos ſepelire poſſint, §.8. Trãſitum ad alium Ordinem non ſtrictiorem, & beneficium Eccleſiaſticum prohibet, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt ſacræ conſtitutiones, quæ nouam Religionem prohibebant abſq; Sedis Apoſtolicæ licentia, de quibus in §. 1.?

R E S P. Prima eſt Gregorij X. in cap. 1. de Religioſ. domib. lib. 6. & ſecunda eſt Bonifatij VIII. in cap. 1. de Exceſſib. prælatorum eod. lib.

Schol. ſecundum.

Quæro. Sufficiebat licentia Sedis Apoſtolicæ, abſq; conſenſu illius Archiepiſcopi?

R E S P. De iure communi ſufficere arbitror; ſed hodie non ſic, quia Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reformat. requirit etiam licentiam Epiſcopi eius diœceſis, in qua noua loca erigẽda ſunt, Quod ampliauit poſtea Clem. VIII. in conſt. 99. Vbi de hoc etiam agemus.

X.

Edita Anno 1370.

SAcra, & immaculata veſtra Religio, & infra pagina 227. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Benedictus XI. in ſua conſt. 1. quæ erit hic in Appendice exemit Monaſterium S. Spiritus de Sulmona, eiuſq; membra Ordinis Monachorum Cœleſtinorum à ſolutione decimarum de fructibus ſuarum terrarum, tunc acquiſitarum §. 1. Ioannes XXII. voluit quæcumque loca poſtea acquiſita, & acquirenda gaudere iiſdem omnibus priuilegijs, §. 2. Hic Pont. decernit de poſſeſſionibus iam acquiſitis, de quibus Ordo decimas ſoluere non conſueuit, nec non de noualibus poſſeſſionum acquirendarum, quas Monachi eorum manibus, vel expenſis excolunt, & de hortis, nutrimentiſq; animalium, decimas ſoluere non debere, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Cur de Abbate S. Spiritus ſpecialiter meminit?

RESP. Quia ipſa Abbatia S. Spiritus eſt caput omnium Monaſteriorum, & locorum huius Congregationis, & ipſe Abbas totius Congregationis eſt moderator, & Rector, vt expreſsè diffinitum eſt, ſpeciali Congregationis Statuto, quod eſt in cap. 2. ſuarum conſtit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba *de nutrimentis animalium*, de quibus in §. 3. quid ſignificant?

R E S P O N D E O. Ideſt de animalibus, quæ Monachi nutriunt gloſ. in clem. 1. de Decim. in verbo Animalibus, quam poſt alios ſequitur Roder. de Quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 44. artic. 4.

V R B A N V S VI. Italus, creatus Anno 1378.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1379.

APoſtolicæ Cameræ per quam S. R. E. & infra pag. 227. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Camera Apoſtolica oneribus, & neceſſitatibus S.R.E. ſubuenit, intendens hic Pontifex eius diſpendijs obuenire, dat Camerario facultatem per ſe, vel alium cognoſceñ quaſcumq; cauſas, intereſſe d. Camerã quomodolibet tangentes, tam cum perſonis ſæcularibus, quam quibuſcunque Eccleſiaſticis, §. 1. & 2. Summarièque, & manu regia proceden. §. 3. Cameræ huiuſmodi ab alijs Iudicibus reaſſumendi, eiſque inhibendi, §. 4. Quibuſcunque contrarijs non obſtantibus, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Præeſt ergo Camerarius hodie ærario Papæ, dum cauſas intereſſe Cameræ, quæ neceſſitatibus Sedis Apoſtolicæ ſubuenit, cognoſcit?

R E S P. Præeſt, & præfuit etiam vſq; de tempore Innocentij Primi ad Pontificatum euecti, circa annum 417. Ipſe etenim de libro Cameræ, vt credo Introitum eius exiſtente apud Camerarium reperto, meminit in cap. Ad audientiam 13. de Præſumptionib.

Schol. ſecundum.

Quæro. Erogat nè etiam eleemoſynas pauperibus hodie, vt alias erogaſſe, inquit gl. in Clem. 2. §. Eo tamen, in ver. Camerarium?

R E S P. Papamet hodie erogat eleemoſynas per manus Prælati, ad hoc ſpecialiter per eum electi, Eleemoſynarij, nuncupati; ſed pecunias ab ærario ille recipit, vigore mandati per Camerarium ſubſcripti, & etiam Theſaurarij alterius Papæ primarij Officialis, vt omnes ſciunt.

I I.

Edita Anno 1379.

SAcroſancta Romana Eccleſia, & inf. pag. 228. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Collaudat Ordinem Fratrum Seruorum B. M. Virg. in procem. Cui propterea exemptionem tribuit à iuriſdictione ordinariorum, & quacumque exactione, & ſub B. Petri protectione ſuſcipit, §. 1. Contrarijs non obſtan. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Stante hac generali exemptione tenentur iſti Fratres ad quartam, funeralium occaſione eis legatorum pro ſepultura apud eos electa per Parochianos aliarum Eccleſiarum?

R E S P. Non teneri probat Bald. in conſ. 270. lib. 4. Vbi in ſpecie de hac Bulla loquitur. Sed hodie priuilegio eiuſmodi exemptionis, vbi quadragenaria non extat præſcriptio Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 13. de Reform. derogauit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi receptio ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, de qua in §. 1. ſola de per ſe, quid operatur?

R E S P. Quod Papa Fratribus ſedulo ſuccurrit, nè iniuſtè grauentur ad tex. & gloſ. in cap. Recipimus 8. de Priuileg. Gemin. conſ. 81. nu. 3.

III.

Edita Anno 1383.

QVia ſicut diſplicenter accepimus, & infra pagina 229. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Principes, & alios Laicos refert auſos fuiſſe miniſtros Eccleſiæ bannire, relegare, ſeu proſcribere, in princ. Eoſdẽ de cætero hæc facere præſumentes, excommunicationi, & reſpectiuè interdicto ſupponit, §. 1. Abſolutionem, & relaxatio-

Digitized by Google

laxationem ſibi reſeruat, præterquam in articulo mortis, §. 2. Contrarijs derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Aliquiſnè Princeps ſæcularis hoc antea ſtatuerit?

R E S P. Federicus I X. Imperator I I. generaliter hoc edixit in eius l. 3. confirmata ab Honor. I I I. fol. 43. in Bullar. Et ſpecialiter à Carol. IIII. Imperatore in ſua conſtitutione approbata per Bonif. I X. in eius conſtitut. 4. in Bullar. fol. 233. §. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Perſonæ Eccleſiaſticæ, de quibus hic, quæ ſunt?

R E S P O N D E O. Quæ per Ordinis ſuſceptionem, aut per approbatę Religionis habitum, vel ingreſſum, Deo ſe dicarunt etiamſi Nouitij ſint, aut Conuerſi, imò etiam, qui per Ordinarium alicui Eccleſiæ, aut Monaſterio deputati ſont, per text. in cap. Duo ſunt. 7. cauſ. 12. quæſt. 1. gloſ. 1. in cap. 5. de Sentent. excommunicat. Nauarr. de Spol. Clericor. §. 1. ſub num. 2. & de Reddit. Eccleſ. quæſt. 55. nu. 3. & ſeqq. Et in terminis Bullæ in die Cœnæ Domini ad Clem. VIII. editæ, tradit Vgolin. de Cenſur. Pontific. reſeruat. par. 2. cap. 15.

B O N I F A C I V S IX. Italus, creatus Anno 1389.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1390.

SVperni benignitas Conditoris, & infra pag. 229. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Beatæ Mariæ Virginis laudes enarrat, ex cuius vtero carnem Verbum ſuſcepit, vt redemptionis opus impleret, in princ. B. Virgo, in cuius ſe clauſit viſcera Dei Filius factus homo, tamquam humilis ancilla viſitauit Cognatam ſuam ſterilem, nuncupatam Eliſabeth, quæ repleta Spiritu ſancto exclamauit dicens: *Benedicta tu inter Mulieres*, &c. §. 1. Cui illa reſpondens, illud mirabile Canticum decantauit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. §. 2. Vnde meritò de ea facta canunt elogia, *Sole amicta* &c. ibid. Hinc Vrbanus V I. feſtum huius Viſitationis celebrari iuſſit die 2. Iulij, & Vigiliam fieri conſuluit, §. 3. Et Indulgentias intereſſentibus officijs huius feſti verè pœnitentibus, & confeſſis conceſſit, §. 4. Eius tamen bulla, ipſius ſuperueniente obitu non fuit expedita, §. 5. Hic ideo Pontifex prædicta decernit, ſiue approbat, §. 6. Sanctionemque pœnalem apponit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Qua occaſione feſtum huius Beatiſſimæ Virginis inſtitutum fuit?

R E S P O N D E O. Vt eius ope ad extinguendum dirum Schiſma ex electione Clementis VII. Antipapæ anno 1378 exortum, Dei Eccleſia propenſius imploraret. Baron. in Martyrolog. ſub die 2 Iulij: Eiuſmodi verò Schiſmatis occaſionem, peſſimoſque inde ſucceſſus, poſt alios, ſcribit Ciacon. de Vit. Pont. poſt vitam Vrbani VI.

Schol. ſecundum.

Quæro. Schiſmatis tempore fortaſſe aliquis hanc ſolemnitatem oppugnauit?

R E S P. Adalbertus oppugnauit, contra quem Ioannes Pragenſis tractatum edidit, in quo eruditè quam plura differit, & texit etiam nonnulla miracula, ac reuelationes, quibus Deus hanc ſacratiſſimam ſolemnitatem maniſeſtiſſimè comprobauit, vt aſſerit Baron. in Martyrolog. vbi ſupra.

II.

Edita Anno 1391.

IN ſupremæ dignitatis Apoſtolicæ, & inf. pag. 231. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad ſupplicationem Marchionis Eſtenſis in Ciuitate Ferrariæ, Papæ Vicarij generalis, & Communis eiuſdem Ciuitatis erigit hic Papa Studium generale in ea, cum priuilegijs Studij Bononienſis, & Pariſienſis, §. 1. & ſeqq. Qui Scholares, & à quibus promouendi ſint decernit, § 5. Promotoſque in d. Studio, vbique legere, & docere poſſe indulget, §. 6. Sanctionem pęnalem apponit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Ille Marchio Eſtenſis, Papæ Vicarius, ſi quid omiſiſſet agere de contentis in capitulis initis inter Ferrarienſes, & Venetos, à Clem. V. firmatis, præiudicaſſetnè Sedi Apoſtolicæ?

R E S P. Non præiudicaſſe probat, Florian. de S. Petro in conſ. 10. impreſſo poſt eius lecturam, ſuper Infortiato, ſub num. 19.

Schol. ſecundum.

Quæro. Angelus Aretinus nonnè fuit Lector in hoc Gymnaſio?

RESP. Lectorem ibi fuiſſe ipſemet ſcribit in princip. Inſtitut. & ante eum primo ibidem legiſſe Bartholomeum Salycetum, anno 1316. ſcribit Horat. Lur. de priuileg. Scholar. cap. fin. ſub num. 23. Sed hoc vltimum mihi perſuadere non poſſum, cum longè poſt hoc Studium vt hic vides) inſtitutum ſit a Sede Apoſtolica, quæ etiam ante eum annum. 1316. erat Domina d. Ciuitatis Ferrariæ, vt patet ex eo, quod Clemens V. vti illius Dominus capitula cum Venetis approbauit, vt refert Florian. mox cit. Qui tamen Clemens iam Pontificatu, & vita exceſſerat anno ſcilicet 1314. vt annotauit Genitor meus in fine eius conſtit. 4. in Bullario, pag. 151. tom. 1.

III.

SAcroſancta Romana Eccleſia, & infra pagina 231. Bullar. *Edita* Anno 1391.

C O M P E N D I V M.

Narrat merita, & laudes Ordinis Carthuſieñſis, in princ. Eximit ideò ab omni ſuperioritate, & viſitatione Epiſcoporum, & aliorum quorumcunque Iudicum, §. 1. & ſeq. Sanctionem pœnalem apponit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Fuitnè vnquam poſtea hæc ſanctiſſimi Ordinis exemptio controuerſa?

R E S P. Fuit pluries, & ſignanter tempore Nicolai V. qui die 15. Decembris anni 1452. eam comprobauit, & declarauit, vt legitur in libro Priuilegiorum d. Ordinis impreſſo, pag. 41. cuius exemplar in Bibliotheca Genitoris mei extat. Et poſtremò Sixtus V. die 3. Nouembris 1588. ampliſſimam confirmationem omnium gratiarum d. Ordinis dedit, vt in Bulla eius legitur, quæ eſt omnibus notiſſima, & à Genitore meo de more prætermiſſa, tamquàm confirmatoria dumtaxat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur iſte Ordo, Carthuſienſis nomen ſortitus eſt?

R E S P. Quia in ſolitudine Carthuſia, quæ eſt Eremus in altiſſimis Montibus, iuxta Gratianopolim, ſecundum Sur. in vita Sancti Brunonis, inſtitutus fuit, teſte Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 595 & Roderic. de Quæſtion. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic 8. Licet ille anno 1086. & iſte anno 1084. inſtitutionem cœptam aſſeueret, & cum Roder. concordat Sur. vbi ſupra.

IIII.

IVſtis, & honeſtis ſupplicum votis, & infra pag. 232. Bullarij. *Edita* Anno 1391.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Fridericum I I. q. Imperatorem quaſdam edidiſſe leges pro immunitate Eccleſiaſtica, §. 1. Eaſque confirmaſſe Honor. III. §. 1. Alias inſuper leges huiuſmodi Carolum IIII. Imperatorem edidiſſe, §. 3. Quas omnes hic Pontifex obſeruari iubet, §. 4. leges Friderici II. indicat eſſe in Bullar. fol. 43. Leges vero Caroli IIII. ſubnectit.

Schol. primum.

Quæro. De his Legibus Imperatorijs, quid actum fuit in generali Concilio Conſtantienſi?

RE.

Digitized by Google

R E S P. Illa Synodus in 19. ſeſſ. eas approbauit, & obſeruari præcepit, cum multis adiectionibus, quibus libertati Eccleſiaſticæ plurimum fauetur, perlege ergo, quia extant in actis d. Concilij.

Schol. ſecundum.

Quæro. De d. Friderico multa à te ſuperius percepi, nunc de præfato Carolo IV. dicas quæſo, an ipsè Imperator creatus fuerit in Schiſmate contra Lodouicum Bauarum?

R E S P. Eo tempore creatus fuit, nempe die 9. Iulij 1346. cum à Summo Pont. Clem. V I. Ludouicus denuo eſſet eodem anno anathematizatus, qui anno ſubſequenti die 11. Octobris ab equo præcipiti caſu labente oppreſſus extinctuſque fuit, vt nouiſſime refert Ciacon. in vita dicti Clemen. VI.

V.

Edita Anno 1391. ABorigine Mundi, & infra pagina 233. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. Brigitta, vel Brigida, de regia ſtirpe Catholicorum Suetiæ Regum orta, orationibus, ieiunijs, & alijs virtutibus illuſtris fuit. §. 11. & 15. Vna cum eius marito limina B. Iacobi Apoſtoli in Compoſtella viſitauit. §. 20. Mortuo viro Romam petijt, & Hieroloſymam, ac alia in quibus Chriſtus conuerſatus eſt loca conſpexit. §. 22. Aſperis veſtibus vſa eſt §. 23. Ieiunijs, & corporis macerationi ſtuduit. §. 24. Multis alijs virtutibus refulſit. §. 25. & ſeqq. Multiſq; miraculis claruit §. 33. & ſeqq. Proinde inter Sanctas refertur. §. 41. Feſtum eius pro die 23. Iulij inſtituitur. §. 42. Indulgentiæ eius corpus viſitantibus conceduntur. §. 43. Publicatio huius conſtitutionis præcipitur. §. 44.

Schol. primum.

Quæro. Eſt nè verum, hanc Sanctam multas in vita à Chriſto reuelationes habuiſſe?

R E S P. Veriſſimum, & eas habes conſcriptas in parte, à Surio de Hiſtor. Sanctor. ſub die 23. Iulij, ſingulas autem perlege ordinatim cōgeſtas, olim à Cardinale Turrectemata recognitas, & nouiſſimè à Conſaluo Durante Theologo notis illuſtratas.

Schol. ſecundum.

Quæro. Miracula pro Canonizatione alicuius Sancti num per teſtes directè probari poſſunt?

R E S P. Non, quia directa probatio eſt per rerum principia: Miraculum verò ex ſubiecto, in quo fit, non habet principium? Probatur ergo indirectè per teſtes, ſi deponunt aliquid, quod vires naturæ excederet, vel quoad factum, vel quoad modum facti, quemadmodum docet Archidiacon. in cap. Nec mirum. 14. cauſ. 26. quæſt. 6. num. 6. in fine, & ſequitur Maſcard. de Probat. lib. 2. concluſ. 1063. num. 12.

INNOCENTIVS VII. Italus, creatus anno 1404.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1405. SEdis Apoſtolicæ prouidentia, & infra pag. 273. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat nouas conſtitutiones, capitula, & ſtatuta Fratrum, & Sororum Ordinis Prædicatorum de Pœnitentia S. Dominici nuncupatorum, qui quādam regulam, ſeu viuendi normam, vſq; modo ſeruarunt. §. 1. & ſeqq. Quorum caput 1. eſt, de Recipiendis ad Ordinem Cap. 2. Habitu. cap. 3. Modo recipiendi ad Ordinem cap. 4. Modo profitendi cap. 5. Permanentia in Ordine, cap. 6. Horis canonicis recitandis cap. 7. Surgendo ad Matutinum cap. 8. Confeſſione, & Communione cap. 9. Silentio cap. 10. Reuerentia exhibenda Prælatis, & Eccleſijs eorum cap. 11. Ieiunijs. cap. 12. Cibis cap. 13. Diſcurſu extra Clauſtra cap. 14. Armis non ferendis cap. 15. Infirmis viſitandis cap. 16. Suffragijs pro Defunctis cap. 17. inſtitutione Prioris, ac Priorissæ cap. 18. Officio eorum cap. 19. Correctione Fratrum cap. 20. Quando ad Eccleſias Fratrum Prædicatorum conuenire debeant, & corrigi cap. 21. Vt diſpenſari poſſint ſuper iſtis conſtitutionibus cap. 22. Quod hæc viuendi formula, non obliget ad culpam cap. 23. Sanctio pœnalis.

Schol. primum.

Quæro. Iſte Ordo Fratrum, & Sororum de Pœnitentia S. Dominici, aliàs Tertiariorum, fuit à S. Dominico inſtitutus?

R E S P. Inſtituit tamen imitando S. Franciſcum, cuius contemporaneus fuit, vt ſcribit Ant. Florent. par. 3. tit. 23. cap. 18. §. 2. quem ſequitur Roderic. de Quæſtion. Regul. Tom. 3. q. 72. artic. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Mulier Tertiaria collegialiter viuens, poſt emiſſa tria vota ſubſtantialia in manibus Miniſtræ Tertiariarū poteſt contrahere matrimonium?

RESP. Non poſſe contrahere, extat expreſſa Pauli III. declaratio, quam primo impreſſam vidi in libro Priuilegiorū Ordinis S. Dominici, & deinde apud. Roderic. Tom. 3. Quæſt. Regul. q. 72. poſt artic. 2.

GREGORIVS XII. Italus, creatus Anno 1406.

CONSTIT. I.

ILlis, quæ pro diuini cultus augmento, & infra pag. 239. Bullarij. *Edita* Anno 1406.

COMPENDIVM.

Refert Epiſcopū Kiſſameñ iuſſu Bonifatij IX. Eccleſiā S. Georgij in Alga, Caſtellaneñ diœceſ. de Venetijs, quæ tunc Monaſterium S. Auguſtini erat, in Collegiatam erexiſſe, & in ea Priorem, & Canonicos ſæculares Capitulum facientes, & quoſdam Beneficiatos inſtituiſſe, & quædam alia ſtatuiſſe, quæ in inſtrumento deſuper confecto continentur. §. 1. Confirmat hæc omnia ad petitionem d. Prioris, & Capituli. §. 2. & 3. Inſerit tenorem inſtrumenti, in quo habetur Bulla Bonifatij IX. §. 5. & 6. In qua Bonifatius die 15. Martij anno ſui Pontificatus decimo, & quinto d. Epiſcopo, vt d. Monaſterium reformet ſtatumq; eius mutet, & quæ vtilia videbit, ſtatuat, & diſponat. §. 7. Qui Epiſcopus regularem obſeruantiam penitus deſtitutā inuenit. §. 8. Ideòq; Collegiatam Eccleſiam Canonicorum, & Clericorum ſæcularium in communi viuentium ibi inſtituit. §. 9. Collegium, & Capitulum erigit, & ad illud trāſfert omnia iura d. Eccleſiæ. §. 10. Poſſeſſionemq; eiſdem concedit. §. 11. Et vacante d. Prioratu Eccleſiæ, vnum ex Sacerdotibus Collegij, Rectorem eligi mandat. §. 12. & 13. Cuius officium anno expleatur. §. 14. & 15. Et inſtitutio Canonicorum. atque deſtitutio ad eum pertineat. §. 16 Eorū qualitates præſcribit. §. 17. Præbendas communes eſſe declarat §. 18. Et dormitorij. §. 19. Eoſdem quando abeſſe poſſint declarat. §. 20. Veſtiumq; qualitates. §. 25. Numerum eorumdem taxatum, eſſe nolit. §. 22. Proprietatem eis interdicit. §. 23. Diuina officia collegialiter recitari mandat. §. 24. Laicos in communi viuentes à Rectore recipi permittit. §. 25. Rectoris poteſtas ſit inobedientes coercere. §. 29. Alia Statuta d. Eccleſiæ irritat. §. 27. Rector autem noua conſtituere Statuta valeat; ſed non obligent ad reatum peccati mortalis. §. 28. & ſeq. Subiungitur rogatus dicti inſtrumenti, de anno 1404. die 20. Octobris, Venetijs anno I. Pontificatus Innocen. VII. §. 30. Subditur tandem data huius bullæ Greg. die 27. Iunij ſui Pontificatus anno primo. §. 31. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Quo primum tempore eiuſmodi Congregatio promota fuit?

R E S P. Roderic. de quæſtion. Regul. tom. 1. quæſt. 3. artic. 17. ſcribit, quod Venetijs anno 1404. Licet errore

D impreſ-

impreſſoris legatur, vt credo 1040. fuit incœpta à quodam Gabriele Condulmetio filio eiuſdem ſororis huius Gregorij Papæ XII. Et in Regno Luſitano à Ioanne Vliſipponenſis Ciuitatis Medico, & poſtea Epiſcopo Lamonenſi: Sed Ciacon. in vita d. Bonifatij IX. anno 1404. à B. Laurentio Iuſtiniano inſtitutum affirmat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ prædictorum opinio verior videtur?

RESP. Vtramque veriſſimam puto, ſiquidem non ſolum Gabriel prædictus; ſed & Antonius Coranus nobiles Veneti, eam Congregationẽ promouerunt, non longè ante tempora huius Greg. XII. eiſq; per multi alij Veneti ſe adiunxerunt, quos enumerat, & inter alios recenſet Laurentium Iuſtinianum, vt nouiſſimè Syluester Mauronicus enarrat in ſuo opere inſcripto. *Hiſtoria Sacra di tutte le Religioni del Mondo*, pag. mihi 341. Vade eum merito fundatorem enunciauit Clem. VIII. in ſuis quas edidit litteris de eiuſdem B. Laurentij Miſſa, & diuino Officio peragendis, quarum authenticum in Bibliotheca Genitoris mei perlegi.

II.

Edita Anno 1407.

EXcitat noſtræ mentis arcanum, & infra pag. 242. Bullar.

COMPENDIVM.

Quendam Conuentum S. Saluatoris de Sylua Lacus, Senenſis diœceſis, qui hactenus erat Fratrum Eremitarum S. Auguſtini erigit in Prioratum Conuentualem pro Canonicis Regularibus S. Saluatoris. §. 1. & ſeq. Eximit à Superioritate Epiſcopi, & aliorum. § 3. Dat facultatem eligendi Priorem. §. 4. & 5. Cuius Officium anno expleatur. §. 6. & ſeq. Priuilegia Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & Canonicorum Regularium concedit. § 7. Conſtitutiones pro eorum regimine faciendas, quibuſdam Prælatis committit. § 8.

Schol. primum.

Quæro. Nomen ergo S. Saluatoris ab anno iſto 1407. iſti Canonici acceperunt?

RESP. Id veriſſimum liquet, ex lectura huius Bullæ; vnde corrigendus videtur Roderic. de Quæſtion. Regul. Tom. 1. q. 3. artic. 1. dum anno 1418. hoc nomen ſortitos eſſe affirmat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſſet Canonicus regularis aliquem leuare Baptizatum de fonte, & eſſe patrinus, quod heri à me id poſtulatum fuit?

RESP. Multa pro vtraq; parte dici poſſent; ſed verior eſt opinio negatiua, quam probat Nauar. in conſ. 5. aliàs 10. de Statu Monachorũ lib. 3. cum quo, ſtat Roder. de quæſt. Regul. tom. 1. q. 31. artic. 2.

III.

Edita Anno 1415.

SAcrum nonnullorum Fratrum Eremitarum, & infra pagina 243. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Carolum Comitem Montis Granelli, licentiam impetraſſe ab Innoc. VII vna cum ſocijs eius, Eremiticam vitã degẽdi, Sub regula S. Hieronymi §. 1. & 2. Impetrationemq; ab ipſo Greg. approbatam fuiſſe. §. 3. Eam quoq; ipſum, ampliaſſe pro alijs locis, & Socijs. §. 4. Et modo iterum ampliat, vt quæcumq; loca, & quoſcumq; ad Ordinem venientes recipiat. §. 4. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Cur nomen Congregationis Fratrum S. Hieronymi nuncupatur, quiuè fuerunt ſocij Caroli eius Inſtitutoris?

RESP. Colligitur ex hac Bulla, quod hi Fratres ſecundum Regulã, & conſtitutiones à S. Hieronymo pro Monachis hactenus editas, vitam ducunt. Quod expreſſius explicauit Martinus V. in quadam eius Bulla, quam impreſſam legi in libro Priuilegiorum huius Ordinis pag. 15. Socij autem d. Caroli fuerunt Rodon. Montigranellus, & Gualterus, homines Florentini, teſte Azorio de Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1663.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cogor extra limites mei inſtituti egreſſus, abs te quærere, ob quam cauſam hic Pont. Papatui renunciarit vt Genitor tuus poſt finem huius conſtit. ſubnectit?

RESP. Iſte Greg. hac lege iureiurando firmata, ad Pontificatum poſt obitum Innoc. VII. Prædeceſſoris aſſumptus fuit, vt nouos Cardd. non crearet, & Pontificatum deponeret, quoties Bened. XIII. antipapa illi renunciaret; Sed contra eiuſmodi iuratam legem quatuor Cardinales creauit Lucæ in Hetturia, de menſe Iunij anni 1408. & abdicationi Pontificatus ſe difficilem reddidit, prout etiam Benedictus Cardinalis, ergo vtroq; eorũ derelicto, vnanimi conſenſu generali Piſis Concilio conuocato, Gregorium, & Benedictum ad illud vocatos, & accedere contemnentes die 5. Iunij 1409. Pontificia dignitate priuarunt, & die 15. eiuſdem menſis Alex. V. verum Pontificem pronũciarunt, Qui parum ſedit in Pontificatu, morte præuentus Bononiæ die 3. Maij 1410. & eius loco Bononię pariter ſuffectus eſt Ioannes XXIII. die 17. Maij 1410. Qui bono pacis, & extirpandi Schiſmatis gratia, Concilium generale Conſtantienſe indixit, die 9. Decembris 1413. vt habetur in conſtitutione ſeq. Illic præſentialiter interfuit, & Papatum ſponte depoſuit die 2. Martij 1415. vt Concilium quem vellet, pronunciaret Pontificem. Hoc idem Gregor. XII. timens depoſitionem Concilij Piſani, futurumq; iudicium Concilij Conſtantienſis effecit cũ mediante Carolo Malateſta, ad id ſpecialiter procuratore cõſtituto, Papatui ceſſit die 4. Menſis Iulij d. anni. Cuius poſteà Concilij decreto, Benedict. XIII. Pſeudo Papa damnatus, Ioannes XXIII. à Mart. V. die 23. Iunij 1419. Florentiæ in Cardinalem, & Epiſcopum Tuſculanum, & Collegij Cardinalium Decanum creatus, & Gregor. iſte aliter prouiſus fuit, vt ad hanc Bullam Genitor meus adnotauit. Hæc omnia colliguntur ex actis huius Concilij, & notis Seuerini Binij eleganter ad illud appoſitis, necnon à Ciacon. in vita prædictorum Pontificum.

IOANNES XXIII. Italus, creatus anno 1410.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1413.

AD pacem, & exaltationem Eccleſiæ, & infra pagina 243. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat, Alexand. V. eius Prædeceſſorem in Concilio Piſano conſtituiſſe, iterum generale Concilium conuocandum fore, in loco, & termino Papæ benè viſo. §. 1. Eo autem vita functo, ipſum Romæ d. Concilium conuocaſſe. §. 2. Sed non adueniente numero ſufficienti Prælatorum aliud, & alibi cogere putaſſe. §. 3. Precibus tamen Sigiſmundi in Imperatorem electi, locum declarare diſtuliſſe. §. 4. Legatoſque ad eum ideò miſiſſe, cum poteſtate declarandi d. locum, & tempus, & eos Ciuitatem Conſtantienſem elegiſſe pro Concilio ibi celebrando die prima Nouembris 1414. §. 5. Quæ hic Pontifex approbat. §. 6. Principeſq; & Prælatos ad d. Concilium conuocat. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quare hoc fuit indictum Concilium?

RESP. Ex proximè dictis patet, ob tollendum Schiſma, & pacẽ Eccleſiæ reddendã, proptereaq; hic Pont. perſonaliter acceſſit, ibiq; his verbis quæ in actis Concilij habentur, Papatui cedere promiſit. *Ego Ioannes Papa* XXIII. *propter quietem totius Populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo, promitto, iuro voueo Deo, & Eccleſiæ, & huic Sacro Concilio ſponte, & liberè dare pacem Chriſtianæ Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere, & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præſentis Concilij, & ſi quando Petrus de Luna Benedictus* XIII. *& Angelus Corarius Gregor.* XII. *in ſuis obedientijs nuncupati, Papatum, quem prætendunt per ſe, vel per procuratores*

tores ſuos legitimos ſimpliciter ceſſauit, & etiam in quocumque caſu ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari vnio Eccleſiæ Dei, ad extirpationem præſentis Schiſmatis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Renunciauit nè poſtea cum effectu, quemadmodum promiſit Pont. iſte?

RESP. Mutato propoſito a Concilio receſſit, ſed ab eo coactus, in Oppido Sellis diœceſis Conſtantienſis, vbi ſe receperat, Papatum depoſuit, & abrogationem a Concilio poſt ſuum inde receſſum de ſe factam approbauit, die 31. Maij 1415. Ciacon. ſic poſt alios ſcripſit, in Vita huius Pontificis.

MARTINVS V. Romanus, creatus Anno 1417.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1418.

INter cunctas paſtoralis curæ ſolicitudines, & infra pag. 244. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, in Regno Boemię, & Marchionatu Morauię, & locis circumſtantibus, Ioannem Vuicleff, Ioannē Huſz, & Hieronymū de Praga inſurrexiſſe hæreſiarchas, diuerſaq; dogmata, contra Catholicam fidem diſſeminaſſe. §. 1. Synodus Conſtantienſis eos, eorumq; ſcripta, libroſq; damnauit. §. 2. Sed nonnulli eorum ſectatores libros eorundem à d. Synodo damnatos retinebant. §. 3. Hic ideò Pont. eoſdem libros tenentes, doctrinas laudantes, eorumque fautores mandat, vti hæreticos, Curiæ ſeculari relinqui. §. 4. Receptatores verò eorumdem, cauſa, ſolum amoris, vel ſimili grauiter coerceri iubet, §. 5. Non reſipiſcentes ſeuerè puniri mandat. §. 6. Principibus iubet, vt de eorum locis ipſos eijciant. §. 7. Hæreticis publicis, quamuis non condemnatis, pœnas infligit. §. 8. Et etiam ſuſpectis, qui ſe non purgauerint. §. 9. Principibus mandat, vt Inquiſitoribus obediant. §. 10. Suſpectos iubet interrogari ſuper articulis Ioannis Vuicleff, & Ioannis Husz, quos poſtea ſubiungit, cum interrogatorijs. §. 11. Et ad hoc citari. §. 12. Mandat hanc bullam publicari, & etiam hæreticos omnes, eorumq; fautores, publicè denunciari, §. 13. Errores prędictorum tenentes, & fautores, &c. puniri. §. 14. Quibuſcunque contrarijs derogat. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Synodus ſententiam, de qua in §. 2. tulit nè, his hæreticis inauditis.

RESP. Obierat Ioannes Vuicleff, ideò à Concilio anno 1415. citati fuerunt omnes volentes damnatam memoriam eius, & hæreſim, peruerſaq; dogmata defenſare, & nemine comparente, Synodus declarauit, illum notorium eſſe hæreticum, & pertinacem, & in hæreſi deceſſiſſe, anathematizando ipſum pariter, & ſuam memoriam condemnando, decreuitq; eius oſſa exhumari, & procul ab Eccleſia proijci, atque comburi, vt patet ex actis Concilij, poſtremò Romæ cuſi pag. 153. & ſeq. At Ioannes Husz, & Hieronymus de Praga acceſſerunt ad Concilium, eorumque cauſa doctiſſimis, peritiſſimiſq; Pręlatis delegata fuit. Et tandem ille, ſuos, & Ioannis Vuicleff errores, coram Patribus pertinaciter defendere volens, damnatus, & viuus exuſtus fuit, eiuſque condemnatio habetur in ijſdem actis pag. 201. Iſte verò, hæreſes illius die 23. Septembris 1415. publicè deteſtatus, Catholicam fidem confeſſus eſt, vt legitur ibidem pag. 224. Sed paulò poſt, ad priſtinos reuerſus errores, die 30. Maij ſubſequentis anni condemnatus fuit, debitaſque luit pœnas, vt ibidem, pag. 239.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hieronymus iſte, nonnè ſub ſaluoconductu veniendi ad Concilium illuc acceſſit? cur ergo non debuit ſaluus poſſe redire?

RESP. De ſaluoconductu non eſt dubitandum, illud namque legitur in actis d. Concilij pag. 146. Et ſaluus profecto rediſſet, ſi ibidem nouum delictum non commiſiſſet, io hæreſes iam tunc fere abiuratas reincidendo: Omnis etenim ſaluusconductus intelligitur de delictis commiſſis, non autem de futuris ad notat. per Angel. de Maleſic. in §. Quod fama publica, ſub nu. 60. & alios quaſi innumeros DD. congeſtos à Farinac. queſt. 29. num. 58. 59. & 60. vbi poſt alios teſtatur de communi. Quod eo verius eſt cum in d. ſaluoconductu adeſſet clauſula, *Iuſtitia ſemper ſalua*, Et Hieronymus in ſua abiuratione Canonum ſeueritati ſe ſubiecit, ſi in abiuratas hæreſes reincideret, vt in eiſdem actis pag. 225. verſ. inſuper turo.

II.

Edita Anno 1418.

QVod antidota morbis hoc prestare ſolent, & infra pagina 250. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Vrbanum VI. quibuſdam Prælatis Schiſmatis tempore conceſſiſſe, quod in eorum diœceſibus, literæ Apoſtolicę ab eis antea non approbatæ non exequerentur. §. 1. Refert etiā ex hoc eiuſmodi literarum executionē nimium retardari, in iniuriam Sedis Apoſt. & præiudiciū illas obtinēnū. §. 2. Hic ergo Pont. ceſſante iā d. cauſa Schiſmatis, prædictam conceſſionem, ſacro approbante Concilio Conſtantienſe, reuocat. §. 3. Iubetque per executores, in ipſis literis deputatos, & cæteros omnes, liberè eas exequi debère d. §. 3. In contrarium attentanda, irrita decernit §. 4. Contrauentoreſque ab exercitio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ad tres menſes ſuſpenſos declarat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè abſq; aliquo Priuilegio, eiuſmodi prohibitionem potuiſſent facere Prælati, ad euitanda ſcandala, quæ inter colligitantes euenire ſolent, in hiſce executionibus per ea, quæ conſulendo ſcripſit in ſimili ferè Statuto Florentiæ. Angel. in conſ. 23. incipiente, Nulla perſona, ſub num. 1.

RESP. Contrarium indubitanter verum eſſe probat, & Angeli conſil. prædictum reprobat Panorm. conſ. 83. lib. 2. per totum, & Felyn. in cap. Eccleſiæ S. Mariæ 10. de Conſt. nu. 96. & Dec. num. 185. vbi pluribus oſtendunt rationibus, eiuſmodi Statutum omni iure antiquo inſpecto, contrarium eſſe libertati Eccleſiaſticæ, & ad hoc leges ciuiles, & canonicas allegant, & Dec. aliqua exempla adducit. Et hoc omnino tenendum quicquid Sylu. Aldobran. ibi in apoſt. ad Dec. aliter ſuper d. Statuto Florentię ſcripſiſſe dicat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quare Pontifex vtitur illis verbis, *Sacro approbante Concilio Conſtantien.* in §. 3.? Nonnè ſolus Papa illud Vrbani VI. priuilegium reuocare poterat?

RESP. Poterat proculdubio ad euitandam Sedis Apoſtolicæ iniuriam, vt inquit, in §. 2. prout ſcribit Alexand. in conſ. 155. lib. 6. num. 13. & ſeqq. Vbi latè ampliat, id facere poſſe Papam etiam ſine cauſa, & multo magis cum cauſa expreſſa, quæ præſumitur vera; Pręſertim quando cauſa priuilegij ceſſat tempore reuocationis. Afflict. deciſ. 392. num. 26. Et hinc intelliges, quod illa verba *Sacro*, &c. conſenſum Concilij non neceſſarium indicant.

III.

Edita Anno 1418.

IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, & infra pagina 250. Bullar.

COMPENDIVM.

Abbreuiatores, & Notarij Apoſtolici ſeruent eorum taxas. §. 2. literæ Apoſtolicæ reſcribātur ab eo, qui errauit in ſcribendo. §. 3. Scriptores exerceant officium per ſe ipſos. §. 4. Officium Scriptoriæ, & Abbreuiatoriæ non retinetur cum Officio Pęnitentiariæ; §. 5. Abbreuiatores ante admiſſionem examinentur. §. 6. Cuſtodis Cancellariæ Officium, & munus præſcribitur. §. 8. Conſtitutio Cancellariæ, vt probat in iudicio. §. 9. Literæ Apoſtolicæ, iuſtitiam concernentes, expediātur in Signatura Iuſtitiæ. §. 10. Examinatum

Digitized by Google

rum munus, & qualitates enunciantur. §. 11. Bullatores quid recipiant pro bullandis literis. §. 12. Regiſtratorum Officium quod. §. 13. Auditorum Rotæ quæ requirantur qualitates, & inquiſitio. §. 14. & 15. Auditores diſputationem teneant. §. 16. Admiſſio eorum, quando. §. 17. Munus eorumdem quod. § 18. Præuentio attendenda inter Auditores, in concurſu comminiſſionum pluribus directarum. §. 19. Notarij Rotæ non habitent cum Auditoribus. §. 20. Eorumdem qualitates quæ. §. 21. Officium per ſubſtitutum abſq; licentia non exerceant. §. 22. Habitus eorum qui. §. 23. Obtento aliquo beneficio, dimittant Officium. §. 24. Delinquentes in officio coerceantur. §. 25. Taxam obſeruent. §. 26. & ſeq. Aduocatorum Conſiſtorialium, quæ requirantur qualitates. §. 28. Eorumdem malè ſe gerentium in Conſiſtorio pœna. §. 29. Procuratorum Rotæ qualitates. §. 30. Eorumdem munus. §. 31. Habituſq; & vita. §. 32. Sacerdotes non ſint. §. 33. Salaria Aduocatorum, & Procuratorum, quæ. §. 34.

Schol. primum.

Quæro. Cancellariæ Papæ, de qua hic agitur, quis præeſt?

RESP. His temporibus præeſt vnus ex S.R.E. Cardinalibus, qui Vicecancellarius appellatur, vt omnibus notum eſt, & practicus Veſtrius ſcribit in ſua Prax. Rom. Curiæ. lib. 1. cap. 4. in princ. Quamuis vſque ad tempora Bonif. VIII. priuatæ perſonæ munus iſtud conferretur, vt inquit Grauat. in t. addit. ad Veſtr. vbi ſupra, idq; probat per text. & gloſ. in procem. 6. in verbo Vicecancellarium, & ſentit hoc idem Gomeſ. in procem. tract. de Regul. Cancell.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid Vicecancellarius, antea appellatus eſſet Procancellarius?

RESP. Ciacon. in Vita Innocentij III. pag. mihi 529. Ioannem Cardinalem S.R.E. Cancellarium appellat, deinde pag. 537. Procancellarium nuncupat. Poſtremò in vita Honorij III. pag. 546. inquit, quod quidam Raynerius commodiori appellationi Procancellarij vicem agens, omnium primus, Vicecancellarius dictus eſt.

IIII.

Edita Anno 1420.

FOns paruulus, qui creuit in fluuium, & infra pag. 254. Bullarij.

COMPENDIVM.

Laudes Ordinis Fratrum Carthuſianorum enarrat in princ. Et propterea dat exemptionem à ſolutione primitiarum, & decimarum ex fructibus eorum pratorum, paſcuorum, prędiorumq, vbiq; conſiſtentium, quandocumque acquiſitorum, quæ Fratres proprijs manibus excolunt, aut excoli faciunt, necnon fœtuum animalium eorumdem. §. 1. Contrarijs omnibus derogat. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Primitiæ de quibus in §. 1. quid ſunt?

RESP. Sunt primi cuiuslibet rei fructus cap. 1. & ibi Canon. omnes de Decim. & tradunt Rebuff. de Decim. quæſt. 1. num. 22. & And. Hiſp. de Regul. Decim. interrogat. 7. num. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo tempore hæ primitiæ inuentæ fuerunt?

RESP. Cœperunt tempore Abel, vt ſcribitur Gen. cap. 4. cuius verba hæc ſunt: *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Abel de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*, & ſcribit Rebuff. d. quæſt. 1. num. 18.

V.

Edita Anno 1422.

ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, & infra pag. 255. Bullarij.

COMPENDIVM.

Auditor antiquior procedat in cauſa, vbi non conſtat de præuentione. §. 4. Notarij Rotæ perſonæ qualificatæ eſſe debent §. 5. Officiumq; non locent, neque vendant, neque abſint a Curia ſine licentia. §. 6. Decentem habitum deferant, concubinas, & tabernas vitent. §. 7. Officium fideliter exerceant. §. 8. Taxam obſeruent. §. 9. Ipſi ac Procuratores, & alij nihil recipiant à pauperibus. §. 10. Aduocati. & Procuratores, examinent cauſas, antequam eas moueant. §. 11. Modeſti vbique ſint. §. 12. Patrocinium vni parti tantummodo preſtent. §. 13. Procuratores ante admiſſionem examinentur. §. 14. Modeſtiq; ſint. §. 15. Quando Clericatus impediat officium Procuræ. §. 16. Ipſi, & Notarij concubinas non teneant. §. 17. Ordo ſeruandus in cauſis ſummarijs in 1. 2. & 3. inſtantia. §. 18. & ſeqq. Ordo ſeruandus in cauſis non ſummarijs in eiſdem tribus inſtantijs. §. 23. & ſeqq. Procuratores, quid aduertere debeant, in obſeruatione terminorum §. 26. Notarij quid ſeruare teneantur in conficiendis regiſtris. §. 27. Auditores Rotæ quid obſeruare debeant pro expeditione cauſarum. §. 28. Cardinalibus quæ cauſæ committendæ non ſint. §. 29. Quæ agenda ſint pro habenda executione ſententiarum. §. 30. Quando Rota die Iouis, vel Sabbathi tenenda ſit. §. 31.

Schol. primum.

Quæro. Auditores Rotæ cur hoc nomen ſortiti ſunt?

RESP. Quia antiquitus Romani Pontifices cauſas ex vniuerſo ferè Orbe terrarum ad eos delatas, quæ non eſſent in Conſiſtorio cognoſcendæ, per ſe ipſos decidebant, vt patet ex innumeris decretis Pontificijs in libro Decretalium, auditas prius, & examinatas, eiſq; relatas ab eorum Cappellanis, qui non niſi iuris periti adſcribebantur. Et hinc Auditores cauſarum Sacri Palatij vocati ſunt, ita recenſet Veſtr. in ſua Pract. Rom. Curiæ, lib. 2. cap. 17. vbi ſubdit, quod retinent adhuc antiquum nomen Capellani, & in publicis Capellis Papæ inſeruiunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Rotæ autem nomen, quid ſignificat?

RESP. Auctis rebus Sedis Apoſtolicæ, & cauſarum vndiq; confluentium numero, Romani Pont. totalem ipſis Auditoribus cognitionem, & deciſionem tribuere cœperunt, examinata prius inter eos omnes, in orbem, vulgo Rotam, ſedentes, vnaquaq; cauſa, & hinc Rotæ nomen præualuit, vt ſentit Veſtr. in loco cit. & euidentius ſcribit Grauat. ibi in ſua addit.

VI.

Edita Anno 1421.

CVm inter cæteras alias artes, & infra pagina 258. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat mercantiam pannorum, vtilem, & ad vitam humani generis neceſſariam, in procem. Hic ideò Pontif. Conſulibus d. Artis tribuit iuriſdictionem, cognoſcendi cauſas mouendas à Mercatoribus d. Artis, contra quoſcũq; Laicos, de creditis vigore eiuſdem Artis. §. 1. Et libris eorumdem Mercatorum bonæ qualitatis mercantiliter tentis, & omni ſuſpitione carentibus, vſque ad quantitatem ducatorum auri viginti incluſiuè, præuio iuramento, credeñ eſſe indulget. §. 2. Et his, qui contra veritatem aliquid ſcripſerint pœnas imponit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi ſunt plures partitæ in eiſdem libris contentæ, quarum vnaquæq; eſt ducatorum viginti auri?

RESP. Credeñ eſt libris, quoad omnes partitas, quamuis ſimul iunctæ magnam conſtituant ſummam crediti, nam ſingulæ partitæ, ſingula conſtituunt credita, ad ſcripta per Alexan. in conſ. 135. lib. 4. num. 1. & ſeqq. ac Dec. conſ. 344. in fine, poſt Bart. in l. Aurelius 19. §. Item quæſiuit. ff. de liber. leg. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si vna ex partitis ſuſpicione non careat, vt hic requiritur in §. 2. tollitur nè fides libris, quoad alias partitas?

RESP. Affirmatiuè, quia cum hoc non declaret Bulla, diffiniendus eſt articulus, ſecundum terminos iuris communis, ſecundum quos non eſt credeñ. Deciſ. Genuen. 2. num. 32. latè Menoch. caſu 91. num. 21. Præterea hæc bulla requirit bonam qualitatem Mercatoris, quæ non extat ſi in aliqua partita ſuſpitio dijudicatur.

Sollici-

Digitized by Google

Edita Anno 1421. VII.

SOlicitudinis paſtoralis officium, & infra pag. 258. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſtituit, ſiue reducit Canonicos Regulares in vnam Congregationem, & Regulæ obſeruantiam. §. 1. Per quos ſtatis temporibus Capitulum generale agi iubet. §. 2. Benedicti XII. & aliorum ordinationes abrogat. §. 3. Statuta Capituli ſeruari iubet. §. 4. Rectoris generalis, & Diffinitorum munus explicat. §. 5. Prælatorum Congregationis facultatem enarrat. §. 6. Eorum officia certo tempore expleri declarat. §. 7. Rectorē generalem confirmari prohibet. §. 8. Cæteri autem Prælati confirmari poſſint. §. 9. Et interim per Vicarios officia exerceantur. §. 10. Canonici tranſlati habeantur, vt ibi profeſſi. §. 11. Obedientia quo ordine præſtāda ſit. §. 12. Noua Monaſteria acceptari poſſint. §. 13. Locorum Ordinis priuilegia, alijs locis communia ſint §. 14. Contraria quæuis non obſtent. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Si quis Canonicus fuerit eiectus à Congregatione, tenetur amplius ad obſeruantiam ſtatutorum, vt in §. 4.

RESP. Eiectus non tenetur amplius ſeruare regulares Ordinis obſeruantias, circa ieiunium, diſciplinas, habitum, & eiuſmodi; ſed bene remanet regularis, & tenetur obſeruare tria vota ſubſtantialia, remanens ſub obedientia ſui Epiſcopi, Nauar. ſic declarat, & ſic votaſſe affirmat de Regular. Comm. 3. nu. 46.

Schol. ſecundum.

Quæro. In §. 11. ſupponitur, quod hic non deciditur, nempe Rectorem generalem poſſe Canonicum in vno loco profeſſum, ad alium inuitum transferre, & tamen contrarium cauetur in cap. 1. cauſ. 13. quæſt. 1. cum alijs allegar. per Nauarr. vbi ſup. Comment. 3. num. 22. Vnde hoc igitur?

RESP. Idem Nauarr. declarat paulò inferius, Rectorem virtute huius conſtitutionis, habere liberum regimen, & authoritatem transferendi, quia omnia loca hodie videntur facere vnum corpus totaliter: ei ſubiectum, & ſpecificè loquitur de Canonicis Regularibus huius Congregationis Lateranenſis?

Edita Anno 1424. VIII.

MIlitanti Eccleſiæ licet immeriti, & infra pagina 260. Bullar.

COMPENDIVM.

Ordo Monachorum Ciſtercienſium ſoluebat decimas de poſſeſſionibus acquiſitis, poſt Concilium generale. §. 1. Hic Pont. eximit d. Ordinem ab omnibus decimis tam de poſſeſſionibus ante, quàm poſt d. Concilium acquiſitis, & acquirendis, omnibuſq; eius bonis. §. 2. Contrarijs omnibus derogat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quod eſt Concilium, quod hic appellatur generale?

RESP. Eſt Concilium Lateranenſe 4. ſub Innoc. III. Romæ celebratum, & ab eodem indictum, vt ſupra in eius conſt. 11. pag. 11.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Ciſtercienſes alienarent eorum prædia, tranſibunt ad emptorem, cum priuilegio non ſoluendi decimas?

RESP. Non ita tranſibunt, quia priuilegium datum eſt Ordini, eiuſq; perſonis, & non rebus, & ideò debebuntur decimæ, niſi forſan emptor quoque eſſet eodem priuilegio munitus, vt dicunt Io. And. & Zabar. in cap. penult. de Decim. in princ. cum quibus etiam cæteri Canoniſtæ pertranſeunt.

Edita Anno 1425. IX.

ETſi in cunctarum Vrbis prouinciarum, & infra pag. 260. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, quod antiquitus in Vrbe erat officiū Magiſtrorum Viarum, quod circa conſtruenda ædificia, & alia ad ornatum Vrbis verſabatur, quo officio neglecto Vrbs valde deformata fuit. §. 1. Illud ergo ipſe Pont. renouat. §. 2. Magiſtros creat. §. 3. Iuriſdictionem amplam reintegrat. §. 4. Notarios eis deputat. §. 5. Sindicari non debere decernit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Magiſtri Viarum, vnde ſic appellantur?

RESP. A Magiſtratus dignitate hoc nomen ſortiti ſunt, & ſic à Papa cognominati: Digniſſimus namq; Magiſtratus eorum eſt, & ob eius dignitatem, dum Papa equitat nudato capite ipſi præire ſolent, aureſq; Pontificis frequenter habent, Patritijſq; Romanis ab eo hoc officiū confertur, cum facultate procedendi manu regia, & indulto, quod ſindicari non poſſint, vt hic habetur. Hæc poſt alios recenſet Anton. Bard. qui Tractatum conſcripſit de Iur. congr. initium ſumens ab explicatione huius Bullæ Martini Quinti.

Schol. ſecundum.

Quæro. Suppleas quæſo, cur potius Viarum, quam domorum, pontium, & ſimilium appellantur?

RESP. Viarum potius, quia, vel frequentius de eis dirigendis, ſternendiſuè agunt, Vel quia domos quoq; pōtes, & omnia ædificia vijs cōgruunt, Vel quia non omnia, quæ ad ipſorum officium, ſpectabant voico verbo explicari poterunt; Prout etiam Ædiles curules antiquitus vocabātur, qui ex eorum officio non ædium ornamenta tantum, aut conſtructiones, ſed alia plurima curabant, ad tex. in l. 1. vbi gl. & ſcribb. ff. de Ædilit. Edict. & latè Aymer. Riuall. de Hiſtor. Iur. ciuil. lib. 2. num. 69. & ſeqq.

Edita Anno 1428. X.

AD reprimendas inſolentias tranſgreſſorum, & infra pag. 261. Bullarij.

COMPENDIVM.

Officiales, Iudiceſuè Laici, trahebant ad forum Laicale perſonas Eccleſiaſticas. §. 1. Multifariamq; eas deſuper vexabant. §. 2. Et perſonæ Eccleſiaſticæ quandoque ad eos recurrebant. d. §. 2. Hic ideò Pont. vtrumque prohibet, & pœnam excommunicationis, & reſpectiuè interdicti imponit, abſolutione ſibi reſeruata. §. 3. & 4. Et ad inſtantiam Fiſci, contra culpabiles agi mandat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Index trahens perſonam Eccleſiaſticam ad eius forum non ſit Laicus, ſed perſona Eccleſiaſtica foro Laico præſidens?

RESP. Incurrit procuIdubio in hanc pœnam; quia id facit vti perſona Laica, & vigore iuriſdictionis Laicæ ita tenet Caietan. in ſua Summa in verb. Excōmunicatio. §. 29. in fine, quem ſequitur Vgolin. de Cenſur. part. 2. in explicatione. cap. 15. Bullæ Cœnæ Domini Clem. VIII. §. 1. ac Io. Franc. Leon. in ſuo Theſau. Eccleſ. part. 3. cap. 38. num. 74.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Index Eccleſiaſticus trahit perſonam Eccleſiaſticam non ei ſubditam ad forum ſuum?

RESP. Non incidit in hanc Bullam, quia ipſa reſtricta eſt ad Iudices, qui trahunt authoritate Laica, vt perpendit Caietan. & ſequitur Vgolin. mox citat.

Edita Anno 1428. XI.

PIæ poſtulatio voluntatis, & infra pagina 262. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam, qui poſtea Ieſuati appellati ſunt, dediti ſtudio piæ vitæ in diuerſis locis Italiæ, voluntariam paupertatem ſeruantes, Domino famulari cœperunt in princ. Eos ergo Pontifex ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & Ordinariorum ſuſcipit, vt ſic rectam vitam ducere valeant. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Sunt nè propriè religioſi, & perſonæ Eccleſiaſticæ iſti Ieſuati, ſecundum tempus huius conſtitutionis?

RESP. Non ſunt, cum non profiteantur tria vota ſub-

ſtantialis, & arbitrio ſuo poſſunt ex Ordine exire, & matrimonium contrahere, ita latè de hoc loquens, concludit in puncto, poſt alios Aret. in cap. 2. de Foro compet. num. 11. Et ita communiter teneri dicit Summa Ang. in §. Excommunicatio. verſ. 7. caſu 5. verſ. Sed quæ ſunt perſonæ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis hunc Ordinem inſtituit?

R E S P. B. Ioannes Columbinus nobilis Ciuis Senenſis, de quo in Martyrolog. ſub die 31. Iulij, vbi Baron. notat huius Viri, ſanctitate, & miraculis clari, ac Sociorum eius, res geſtas ſcripſiſſe Phæum Belcharium, magnamque redolere pietatem. Aliqua de eo recenſet Azor. de Inſtit. moralib. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1662. At quæ de Vrbano V. & exordio horum religioſorum ſcribit, minus vera deteguntur, ex textu huius Conſtitutionis.

Edita Anno 1429.

XII.

INeffabile Sacramentum, quod Sacerdos, & infra pag. 262. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad augmentum Venerationis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ampliat Indulgentias ab Vrbano IIII. elargitas, concedens verè pœnitentibus, & confeſſis, ieiunantibus, aut aliud pium opus facientibus pro d. Feſtiuitate, dies centum de iniunctis pœnitentijs; intereſſentibus autem, aut Prælatis intereſſe volentibus; ſed impeditis, Officio matutinali, vel Miſſæ, aut Veſperarum in Eccleſijs celebrando, ducentum, alijs verò horis Canonicis octuaginta. §. 1. In Octaua autem, pro Miſſis Matutinis, aut Veſperis centum; alijs verò horis intereſſentibus, quadraginta dierum Indulgentiam concedit. §. 2. Accedentibus ad proceſſiones, aut Sacramentum ſumentibus in die d. feſtiuitatis, celebrantibuſq; Miſſam in illa, vel eius octaua prò pace, & tranquillitate Eccleſiæ, dierum centum. Aſſociantibus Sacramentum, dum infirmis defertur cum luminari, pariter centum. Alijs autem aliàs tunc deuotè illud ſequentibus, quinquaginta dies de iniunctis pœnitentijs Indulgẽtias tribuit d. §. 2. In dicto Feſto, & octaua, etiam tempore interdicti, diuina celebrari permittit. §. 3. Prelatis iubet vt ſalutaribus monitis ad venerationem huius Sacramenti adhortentur, & hanc eius conſtitutionem publicent. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Indulgentia conceſſa intereſſentibus diuinis in Eccleſia celebrandis, dicitur nè conceſſa his, qui præ nimia turba Eccleſiam non poſſunt, licet velint, ingredi, ſed ſtant in ſemitibus eius, licet extra ambitum inurntum?

R E S P. Affirmatiua ſententia placet Anchar. in clem. 1. de Reliq. & Vener. SS. nu. 6.

Schol. ſecundum.

Quæro. Et quid ſi hæc diuina in aliquo Oratorio, aut Capella Cardinalis celebrantur?

R E S P. In Oratorio priuato, negatiuam ſententiã puto veriorem, & pariter in Capella Cardinalis, præterquam pro eius familiaribus, qui debent intereſſe diuinis ibi celebrandis. Bonifac. Vitalin. in clem. 1. §. Ideòq; de Reliq. & ven. SS. nu. 3. Imol in ead. clem. nu. 35. & Panormit. nu. 30.

Edita Anno 1430.

XIII.

CVm generale Capitulum Fratrum Minorum, & infra pag. 263. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Deſtinauit Cardinalem S. Petri ad Vincula ad Capitulum Fratrum Minorum in Ciuitate Aſſiſij coactum, in princ. Conceſſit eidem illos reformandi poteſtatem. §. 1. Omnemq; in Fratres ſuperioritatem. §. 2. Is acceſſit ad Capitulum, vbi reformationem ſuaſit in verſ. Ioannes. Cuius caput Primum eſt, Circa obſeruantiam Euangeliorum, Conciliorum, Tunicas, Teſtamentum B. Franciſci, Obedientiam erga Sedem Apoſtolicam, Prælatorumque, ac votum Paupertatis, & Caſtitatis. Secundum eſt, circa receptionem venientium ad Ordinem, & habitum. Tertium, circa recitationem diuinorum Officiorum. Cantum, Ieiunium, & equitationes. Quartum, circa pecuniam non recipiendam, & infirmorum curam. Quintum, circa mercedem laborum, Prælatis Ordinis dandam. Sextum, circa mittendos pro eleemoſyna. Septimum, circa pœnitentiam Fratrum. Octauum, circa tempus electionis, & qualitates eligendi Generalem, & circa eius ſocios, retentionemq; Sigilli, & facultatem Generalis circa diſpoſita in Capitulo, & exactionem prohibitam ei, & circa Vicariorum deputationem. Nonum, quod Prædicatores venerentur Prælatos Eccleſiæ, examinenturq; & approbentur, & bonæ ſint qualitatis, obſeruentq; ordinationes eis præſcriptas, non prædicent abſque licentia, & nouitates reticeant. Decimum, circa ſocios Miniſtrorum Prouincialium, prohibitionem, contributionum, reformationem ſtudiorum, ceremoniaſq; & debitorum extinctionem, ac Fratrum punitionem, reformatoſq; benè tractandos, noua loca conſtruenda, & recurſum ad Miniſtros. Vndecimum, Ingreſſum prohibitum ad Moniales, obſeruantiam Clauſuræ à Miniſtris diligenter obſeruandæ Compatreſque. Duodecimum, circa regimen locorum Terræ Sanctæ, exactionem Procuratori Curiæ prohibitam, & quoad Fratres inquiſitioni incumbentes, Graduſq; gratis tribuendos. Supradictus Card. Legatus ſucceſſiuè præcepit Fratribus obſeruantiam prædictorum.

Schol. primum.

Quæro. Eſt nè hæc bulla, quæ apud Minoritas appellatur Martiniana?

R E S P. Illa eſt Martiniana, quæ poſt huius Bullæ curſionem, ad manus Genitoris mei peruenit, quam perlege in Appendice Bullarij fol. 17. quia inde multa, quæ habentur hic, declarantur, & modificantur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Authoritas data Miniſtris in §. 11. eſt nè ordinaria, vel delegata, ita vt per alios exerceri poſſit?

R E S P. Eſt ordinaria, quamuis ex hoc ſpeciali diplomate tributa ſit, vnde Miniſtri poſſunt deputare Commiſſarios, ita ſcripſit Eman. Roder. tom. 1. Quæſt. Regular. In quæſt. 18. artic. 10.

Edita Anno 1431.

XIV.

DVm onus vniuerſalis gregis, & infra pag. 268. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Conſtantienſe decreuit, aliud Concilium generale in quinquennium proximè futurum celebrari, & aliud deinde in ſeptennium, & poſtea de decennio in decennium, in loco per menſem ante finem cuiuslibet Concilij à Summo Pontifice, & in defectum illius ab ipſo Concilio declarando. §. 1. In Senenſi ergo Concilio primum poſt d. Concilium Conſtantienſe acto, pro futuro Concilio in ſeptennium celebrando, Ciuitas Baſileenſis deputata fuit. §. 2. Ad dictum ergo Concilium Baſileenſe Pontifex delegat Iulianum Cardinalem, qui ſuo nomine ei præſit. §. 3. Amplamq; ei auctoritatem tribuit. §. 4. & 5. Hortatur eumdem ad eiuſmodi miniſterium laudabiliter exequendum. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Senis cur d. Concilium, vt dicitur in §. 2. actum fuit, ſi in præcedenti Concilio Conſtantienſi, Martinus V. Papienſem Ciuitatem, non autem Senenſem deputauit, vt proximis diebus à te met audiuiſſe certus ſum?

R E S P. Verè ibi Concilium indixit Mart. V. die 19. Aprilis 1418. Sed cum peſtilentia ibi inualuiſſet, Senas illud tranſtulit, vt ex actis Concilij Baſileenſis, eiuſq; notis, omnibus planum eſt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si facultas eligendi locum futuri Concilij Romano Pontifici reſeruata eſt, vt hic habetur in §. 1. Cur hæc deputatio Ciuitatis Baſileæ, fuit deputata à Concilio Senenſi vt dicitur in §. 2.?

R E S P. Dicta deputatio Senis acta, dicitur actio Papæ, quia illi Synodo præerat pro Papa Cardinalis, cui Martin. Põtifex inter alias facultates præcipuam dederat, ante diſſolutionem illius Concilij, authoritatem, locum pro alio futuro Concilio deputãdi, ſpeciali eius diplomate, die 22. Februarij 1422. quod impreſſum in Concilijs Coloniæ Agrippinæ nouiſſimè editis, habetur.

E V.

Digitized by Google

EVGENIVS IV. Italus, creatus Anno 1431.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1431.

IN eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pag. 269. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quod Cardinales in ſecreto Conſiſtorio pronunciati, non dicantur creati Cardinales, quouſq; Cardinalatus inſignia non ſuſceperint. §. 2. Neque vocem habeant in electione Papæ, vel alio actu, antequam ſit eis licentia votandi data §. 3. Et qui ſe antea Cardinalem nominauerit, omni iure priuatus ſit, & inhabilis perpetuò ad Cardinalatum. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Cardinali electo Papa claudat os, inhibendo, nè quid audeat loqui, tam in Conſiſtorijs, & Congregationibus, quam in Conclaui ?

RESP. Adhuc votum habebit in Conclaui, in eligendo Rom. Pont. tantum, ſed non in alijs ibi tractandis. Et ita attento Conſiſtoriali decreto Pij V. hic in rubr. à Genitore meo indicato, Sacrum Cardinalium Collegium decreuit die 4. Martij 1605, Sede vacante per obitum Clementis VIII. ad fauorem Cardinalis de Comitibus Romani, cui idem Clemens die 7. Februarij eiuſdem anni os clauſerat, verbis antedictis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cuius tenoris eſt, eiuſmodi decretum Pij V. ?

RESP. N tam illius, huiuſmodi tenoris accipe: Et inde corrige errorē impreſſoris in Bullario, qui in adnotatione Genitoris mei poſuit Iunij pro Ianuarij, & Pij V. pro Pium V.

Die 26. Ianuarij 1571.

Quia aliquando dubitandum eſt, vtrum Cardinales quibus os clauſum fuiſſet, ſi antequam illud eis aperiretur, Sedis vacatio eueniret, vtrum nequam, in Summi Pontificis electione votum haberent, Sanctitas ſua requiſitis Reuerendiſſimorum DD. ſententijs, de eorum conſenſu, & aſſenſu, decreuit, quod cum potiſſima Cardinalis facultas in Rom. Pont. eligendo conſiſtat, quæ ſanè ipſis propter inſignium, & cerimoniarum defectum auferri non debet, ob eam cauſam Sanctitatem ſuam ſtatuere, vt poſtquam aliquis S. R. Eccleſiæ Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & conſenſum ſuum dederit, is ſtatim vocem, & ius eligēdi Rom. Pontificem habeat, & conſequatur, etiam ſi Cardinalitius galerus nondum illi traditus ſit, neq; os clauſum, aut ſi clauſum fuerit, nondum tamē apertum ſit: videtur enim huiuſmodi oris claudendi ritus ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem verſatur, non pertinere; ſed cerimoniam quandam eſſe, ea de cauſa introductā, vt Cardinales antequam in Cōſiſtorijs, & Congregationibus ſuffragium ferant de modeſtia quæ ab ipſis in his, & alijs actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, &c.

II.

Edita Anno 1431

DIſpoſitione diuina gregi Dominico, & infra pag. 270. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ſingulares perſonæ Congregationis Monachorum de Obſeruātia S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti non ſunt capaces proprietatis, dubitatū fuit, an relicta locis d. Congregationis exigi poſſunt §. 1. Decreuit ideo Papa quod Congregatio ſit capax donationū & legatorum, quæ fiunt eius locis, quamuis non expreſſis, & quod ipſa, vel eius Viſitatores ad ea conſequenda procuratores cōſtituere poſſint. §. 2. Et quod eorū fiat diſtributio, iuxta determinationē Capituli, aut Viſitatorum d. §. 2. Non obſtan. quibuſcumque. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Dum Monachi non ſunt proprietatis capaces, vt in §. 1. quo pacto poterit eis fieri legatum, vt eo licitè ipſi perfruantur, donec vixerint ?

RESP. Poterit legari aliqua annua præſtatio ea conditione, ſi ei perpetua adminiſtratio d. legati à ſuo Abbate, vt in pios vſus illud conuertat, vel in alimenta, veſtes, & libros proprij vſus gratia, Panorm. in cap. 2. de Statu Monachor. num. 4. & melius Io. Dilect. de Art. Teſtan. in tit. de Legat. cap. 63. num. 3. verſ. Tertium, vbi alias duas tradit cautelas, quæ mihi non ſatisfaciunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Legatum eiuſmodi Monacho factum, dicitur pium ?

RESP. Si amore naturali, aut vinculo ſanguinis tantum fit, non eſt pium; ſecus verò ſi intuitu, tituloq; pietatis, vel propter Deum, & gaudet priuilegijs piæ cauſæ Panormit. in rubr. de Teſtament. num. 9. Bald. & alij in l. illud 16. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.

III.

Edita Anno 1431.

ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, & infra pagina 271. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo ſupplicat Papæ pro mitigatione regulæ Honor. III. de qua ſupra pag. 13. in tribus Capitibus, videlicet Super Eſu carnium, Ieiunio, & Manſione in Cellulis §. 1. & 2. Papa ergo diſpenſat, vt carnibus veſci poſſint ſingulis diebus, præterquam tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ, & Aduentu, Quadrageſima, & alijs diebus, carnes edere prohibet. §. 3. Et vt in Eccleſijs, & Clauſtris, ac eorum ambitu horis congruis ſtare poſſint. §. 4. Declarat tamen hunc Ordinem eius priuilegijs adhuc gaudere. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. In hac bulla continetur diſpenſatio à ieiunio indicto in regula, à feſto Exaltationis S. Crucis, vſque ad feſtiuitatem Reſurrectionis Domini, cum explicitè non legatur.

RESP. Huic dubio rationabiliter excitato, obuiantes Pius II. & Sixtus IIII. decreuerunt, hanc Ieiunij diſpenſationem arbitrio Prioris Generalis iuxta perſonarum, locorum, & temporum qualitatem, delegatum fore, vt habetur infra in conſtit. 11. §. 3. & 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui erunt illi tres dies cuiuslibet hebdomadæ de quibus in § 3. ?

RESP. Erunt dies Mercurij, Veneris, & Sabathi, Quia in illis regulariter S. R. E. indicit ieiunare, vt eſt notiſſimum; ſed non inſiſto, quia Sixtus IIII. vbi ſupra qualitatem, & numerum horum dierum, arbitrio Prioris generalis Ordinis remiſit.

IIII.

Edita Anno 1432.

DIuina in eminenti Sedis Apoſtolicæ, & infra pag. 272. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt Officiales Sedis Apoſtolicæ eius obſequijs promptiores reddantur, extra Romanam Curiam litibus vexari prohibet, idemque decernit de venientibus ad eamdem Curiam pro eorum cauſis, & negotijs: ac negocijs aut litibus durantibus, in ea commorantibus, & recedentibus. §. 1. Pœnam nullitatis actorum imponit, ibidem. Et excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti. §. 2. Contrarijs omnibus derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Qui veniunt appellatione Officialium, de quibus hic ?

RESP. Veniunt omnes Curiales etiam non Officiales ex præſcripto Curiæ ſtylo teſte Mandoſ. de Reg. Cancell. in reg. 5. quæſt. 3. num. 2. & consonat deciſ. Rotæ 149. par. 3. lib. 2. Diuerſ. nu. 2. Intellige tamen ſi per annum in Vrbe commorati fuerint, vt declarauit Pius IIII. à Genitore meo citatus in hac Bulla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Curialis eſt actor, gaudet nè hoc priuilegio fori ?

Digitized by Google

R E S P. Non, quia hoc priuilegium de Curiali reo expreſsè loquitur, & ideò non extendendum eſſe cenſuit. Rota coram Millino, in vna Mediolaneñ Bonorum, 28. Martij, & iterum die 15. Decembris 1594. & refert Marcheſan. de Commiſſ. par. 2. num. 28. pag. mihi 460. in nouiſſimis.

Edita Anno 1432.

V.

ETſi ex ſolicitudinis debito, & infra pag. 272. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Martinus V. nonnulla priuilegia dedit Monachis Congregationis S. Iuſtinæ de Obſeruãtia, Ordinis S. Benedicti, quæ ad eius plenam ſoliditatem minus ſufficientia videntur, §. 1. Ideò hic Pont. ſtatuit, Capitulum generale ſingulis annis congregari, & ante eius diſſolutionem alium futuri Capituli locum deputari, §. 2. In eo nouem mandat eligi Diffinitores, ad condeñ. ſtatuta pro bono regimine Congregationis, §. 3. Necnon ad diſponendum de eius Monaſterijs, & bonis, §. 4. Abbateſque inſtituendum, & deſtituendum, §. 5. Diſſoluto autem Capitulo, deputentur in eo Viſitatores, quorum vnus pręſidentis locum teneat, & ad eum negotia Congregationis referantur, §. 6. Locus futuri Capituli electus, abſque rationabili cauſa nõ mutetur, §. 7. Prælatorum obedientiæ, omnes ſubſint, §. 8. Forma ſeruanda in receptione venientium ad Ordinem, §. 9. Translatio Monachorum, vt fienda, §. 10. Monaſteria omnia ſuis iuribus vtantur, §. 11. Reformationes fiendæ à Sede Apoſtolica, roboratæ cenſeantur, §. 12. Electiones Abbatum, & Priorum, ad Capitulum generale, aut Pręſidẽtem, & Viſitatores, iuxta decreta Congregationis, ſpectare decernit, §. 14. Quibuſcunque non obſtañ. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Deſtitutio Abbatum, de qua in §. 5. poteſt de iure communi fieri, pro crimine minus graui, quam fieret priuatio Clerici de beneficio?

R E S P. Affirmatiua ſententia videtur verior, quia Pręlationes Regularium non ſunt perpetuæ, ſicut beneficia Clericorum adſcripta per Roder. de Quæſtion. Regul. tom. 1. quæſt. 26. art. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Prælatis eſt nè obediendum à Monacho, vt in §. 8 quando dubitat ille, ſe peccare obediendo, & peccare non obediendo?

R E S P. Stante æqua probabilitate vtrinque ſimul, & æqua, vel quaſi æqualitate periculi, vel peccati, in cuius alterum incidendum ſit, Monachus tenetur obedire, vt poſt S. Bonauent. & S. Thom. & alios, ſcribit Roder. vbi ſup. quæſt. 20. art. 6. tom. 3.

Edita Anno 1433.

VI.

EXcellentiſſimum Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & infra pagina 273. Bullar.

COMPENDIVM.

Ad augendam venerationem Sãctiſſimi Corporis Chriſti, ad duplum auget Indulgentias elargitas à Martino V. ſup. in eius conſtit. poſt Vrb. IIII. inte eſſentibus diuinis officijs, in die illius feſtiuitatis, & in octaua, illudq; venerantibus & aſſociantibus, vt in d. conſtitut. continetur. §. 1. & 2. Prælatis mandat, quatenus in Dominica d. Feſtum præcedente, omnes adhortentur ad huius Sacramenti venerationem, §. 3. Et huius conſtitutionis tenorem inter Matutinales lectiones dierum d. feſtiuitatis, & octauæ recitari præcipit, §. 3. Et hanc eandem conſtitutionem per ſingulas Eccleſias publicari mandat, d. §. 3. Tranſumptis huius Bullæ credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Indulgentiæ de quibus hic, intelliguntur de pęnis quibuſcumque diluendis?

R E S P. Ita. Conſtitutio eſt intelligenda ſecundum terminos primæuæ harum Indulgentiarum conceſſionis, emanatæ ab Vrb. IIII. in eius conſtitut. 1. ſup. in Bullar. pag. 94. quæ eſt reſtricta ad pœnitentias iniunctas, quas ab alijs differre, oſtendunt, Syluester, & cæteri Summiſtæ, in verbo Indulgentiæ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Tu, qui Aduocationis munus nuper exercere cœpiſti, ſi in hoc, vel alio feſto, de S. R. E. præcepto venerando, ob pecuniam ſtudes, & iuris allegationes voce, vel in ſcriptis, apud Iudicem deducis, violas ne feſtum?

R E S P. Non deſunt, qui affirmatiuè reſponderent; ſed negatiua ſententia verior videtur, quia in huiuſmodi feſtis opera ſeruilia, non alia ſunt prohibita: ſtudere autem, & ſimilia, ob propoſitum lucrandi, talia nõ ſiunt formaliter, & materialiter, vt poſt Caietan. ſcribit Nauar. in Manuali Confeſſor. cap. 13. num. 5. Quamuis contrarium communiter DD. tenere affirmet Ala, in ſuo tract. de Aduocato Chriſtiano, cap. 98. primæ part. Sed nec ipſe, nec ab eo citati, ſupradictæ rationi reſpondent.

VII.

Edita Anno 1434.

CVm deteſtabile ſcelus ſimoniacæ prauitatis, & infra pagina 274. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat quaſcunque pęnas contra Simoniacos hactenus impoſitas, & addit pęnam ſuſpenſionis ab Ordinibus, & decernit, per Simoniacas prouiſiones ordinatis, nullum ius acquiri, illoſq; ad fructuum perceptorum reſtitutionẽ teneri, §. 1. Addit inſuper pęnam excommunicationis, contra eoſdem ſimoniam committentes, & mediatores, à qua ſolum à Romano Pont. pręterquam in mortis articulo abſolui poſſe ſtatuit, §. 2. Scientes ad reuelationem teneri, decernit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. In quibus conuenit hæc Bulla, cum Bulla Pauli II. in tit. de Simonia?

R E S P. In omnibus, præterquam in § 1. Vbi hęc habet, verbum, *& quas*, quod defuit in illa & illius ſenſum mancum reddit. Item in §. 2. hæc poſt illa verba *Pontifici prædicto* habet, *vel eius Camerario*, quæ in illa deficiunt. Item in hoc §. deſunt aliqua ad fauorem reuelantium ſimoniacos, & complices, & etiam contra eoſdem non reuelantes, quæ ex illa ſuppleri poſſunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc, vel illa Pauli II. conſtitutio, quæ inducit pęnam ipſo facto, habet nè locum in ſimonia conuentionali?

R E S P. Pro vtraque parte extant rationes, & pugnant DD. opiniones, quas fusè recenſet Guttier. lib. 1. Canon. q. cap. 9. per totum; ſed negatiuam ſententiam ſecuta eſt Rota vt probat Caſſad. deciſ. 5. de Conſtitut. nu. 1. & ſeqq. Vbi atteſtatur de hoc ſtylo Romanæ Curiæ, de qua meminit etiam Additionator ad Diaz in Pract. Canon. Crim. cap. 95. in vltimo impreſſis, in littera D. & poſtremo, Guttier. vbi ſup. vbi multos congerit authores, & vltimo loco ſic iudicatum fuiſſe teſtatur, prout de communi opinione teſtatur Pariſ. de Confident. quæſt. 58. num. 9.

VIII.

Edita Anno 1435.

ILla, quæ pro tranquillo perſonarum ſub Religionis, & inf. pag. 274. Bullar.

COMPENDIVM.

Gregorius IX. in eius conſt. 1. ſup. pag. 13. decreuit, quoſcumque, & cuiuſcunque Ordinis religioſos, ad Ordinem Eremitarum Camaldulenſium pertranſire poſſe, §. 1. Hic Pontifex approbat, & ad Mendicantes, & non Mendicantes, & etiam Carthuſianos extendit, §. 3. Contrarijſq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè tam Carthuſiani, quam Eremitæ Camaldulenſes ſolitariam vitam ducunt?

R E S P. Illi in Cellis intra clauſtra Monaſteriorum, Iſti autem extra clauſtra in cacumine Montium, Nicol. Boer. in ſuo tract. de Statu, & vita Eremit. num. 17. & ſeq. Ioan. Andr. in cap. Sanè 10. de Regular. num. 11.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ iſtarum maior dicitur eſſe ſolitudo?

R E S P. Camaldulenſes Eremitæ dicuntur eſſe in maiori

iori

Digitized by Google

ioti ſolitudine, in qua eſt vera contemplatio, Ioan. Andr. vbi ſup.& Nicol.Boer. in loco cit. num. 18. & ideò ad eos Carthuſianos tranſire poſſe, hic definitur, cum ſicut vita contemplatiua præeminet actiuæ cap. penult. Vbi Archid. & alij, de verb.ſignif. in 6.ſic magis contemplatiua, minus contemplatiuæ præeſſe videtur, vt ſentiunt Doctores præcitat.

Edita Anno 14.6.

IX.

REgularem vitam agentibus, & infra pagina 275. *Item* ad Eccleſiarum, & infra pag. 277. Bullarij.

COMPENDIVM.

Appellationem prohibet à correctione Prelatorum Cõgregationis Monachorum S.Iuſtinæ Ordinis S.Benedicti, §.1. Eorum cauſas cognoſci mandat reiectis apicibus iuris, §.2.Extra clauſtra vagari prohibet,§. 3. Tempore interdicti celebrare, & Sacramenta recipere poſſe indulget, §. 4. Ordineſque à quocunque Antiſtite, §. 5. Eximit Congregationem ab omnibus oneribus,& extractionibus,& iuriſdictione ordinariorũ, §.6.& in ſubſeq. Bulla, §.2. Neminẽ innitis Monachis in eorũ Eccleſijs,& Monaſterijs celebrare, iudicare, vel ordinare decernit,§.7.Ad eorum Monaſteria ingreſſus Mulieribus omnibus interdicit, §.8. Prelatis diſpẽſandi cum Monachis facultatem tribuit,§.9.Ad aliorum ſeruitia ſtare Interdicit,§ 10.Benefactores Congregationis quando ab Ordinarijs non moleſtandi,§. 11. Inobedientes vt coercendi,§.12. Monachi ad executionem mandatorum Prelati extra Congregationem non cogendi,§.13. Nec iurare, aut teſtificari coguntur extra Congregationẽ, §.14.Succedantque,& acquirant, vti ſi in ſæculo permanerent,§.15.Confeſſiones audire. & abſoluere poſſint à caſibus non reſeruatis,§.16.Illegitimi ad dignitates, vt admittendi §.17.Prelati abſque benedictione adminiſtrent,§.18. Actus contrarij his conſtitutionibus non præiudicent, §. 19.Contrarijs derogat, in fine.

Schol. primum.

Quæro. Coguntur teſtificari,ſi aliter veritas haberi non poteſt?

RESP. Cogi poſſe eiuſmodi priuilegiatos, cum veritas aliunde haberi non valet. Panormit.in cap.1.de Teſtib. cogen.n.4.& ſequitur in terminis noſtris Rode.de Quæſt. Regul.tom.2.quæſt. 10. art. 2. Vbi tamen hoc limitat in cauſis, vbi pœna ſanguinis veniat imponenda.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi ſpontè teſtificetur, & abſque licentia ſui Abbatis, eius teſtimonium tenet?

RESP. Tenere voluerunt gloſ. & ſcribb. in auth. de Monachis,§.cogitandum,& Roder.vbi ſup.artic.4.

Edita Anno 1436.

X.

MIlitanti Eccleſiæ licet immeriti, & infra pagina 277. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia multi in bonis, & iuribus Congregationis Monachorum S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti præiudicium inferebãt,& bona, redditus, ac cenſus occupabant,& ſuper illis multas iacturas Monachi patiebãtur, ſupplicatur Papæ pro opportuno remedio.§.1.& 2.Qui ideò in Conſeruatores,& Iudices deputat, Archiepiſcopum Mediolanẽ, Epiſcopum Ariminẽ, & Abbatem Montis Caſini, aduerſus violatores,& perturbatores, aut ſuper prędictis damna inferentes, in litibus d.Congregationis.§.3. Amplaſq; eis facultates largitur.§.3.& 5.Contrarijs omnibus derogat.§.4.

Schol. primum.

Quæro. An coram iſtis Conſeruatoribus poſſet Congregatio aliquem conuenire pro ſolutione alicuius domus, vel affictus,& huiuſmodi?

RESP. Videtur non poſſe attendendo deciſ. Rotæ 174. par.3. lib. 3. Diuerſorum, & ſcripta à Guttierez. de Pract. Quæſt. in 9.quæſt. Sed ſi attendimus generalitatem verborum, huius priuilegij cõceſſi, ne ſuper ſuis redditibus Congregatio iacturam patiatur, verior eſt ſententia affirmatiua, per ea, quæ egregiè deducit Roder.de Quæſt.Regular.tom.1.quæſt.65.art.12. Vbi latè. Nec obſtat ſupracitata Rotæ.deciſ.quia loquitur de Conſeruatoria reſtricta, circa quædam beneficia huius Congregationis per Sedem Apoſt.alijs commendata, inter quos non erat ille Congregationis debitor, coram Conſeruatoribus ab ea conuentus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hi Conſeruatores, iudices Ordinarij, vel potius delegati cenſentur?

RESP.Delegati ſunt, ideòq; de illis tractatur in cap.1. & vlt.de Offic.deleg. in 6. Et hoc pro certo tradit Nauar. in conſ. 1. aliàs 3. lib. 1. de Offic. deleg.num.1. Et Petrus Greg.in Syntagm.Iur. lib. 47. cap. 22. num. 23. poſt Syluestr.in Summa.§.Conſeruator.nu.3.verſ.Decimoquinto, & Summa Armil.in d.§. Conſeruator num. 4.

Edita Anno 1437

XI.

MAgnas Omnipotenti Deo gratias, & infra pag.278. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Populi Orientales, & Occidentales conuenerunt, vt Concilium alibi, quam Baſileæ, cogeretur. §. 1. & 2. Idemq; Imperator Conſtantinopolitanus, & Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac alij poſtulabant. d.§. 2. Illud ergo hic Pontifex à Ciuitate Baſileæ, ad Ciuitatem Ferrariæ transfert. Vnde poſtea Florentiam translatum fuit. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Eſt nè verum, Ioſephum Patriarcham prænominatum, ante abſolutionem Concilij obijſſe?

RESP. Obijt quidem, quaſi ſubitanea morte præuentus, religionis ſtudioſiſſimus, & vnionis; vnde Seuerinus Binius ſcribit in notis huius Concilij, & Ciacon. in vita huius Pont. confeſſionem fidei Catholicæ, in obitu tenuiſſe, in qua etiam Papam verum in Terris Chriſti Vicarium profitebatur,& purgatorium fatebatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid euenit Marco illi Epheſino Epiſcopo acerrimo diſputatori in illo Concilio?

RESP. Triſtiſſimus fuit finis eius; Perſiſtens namque in perfidia ſua, quamuis ab Epiſcopo Coronenſi fuiſſet victus poſtremò in publica concertatione, ad fidem tamen reuerti noluit, Et tanta inde abſorptus eſt triſtitia, vt intra paucos dies, cum ſua perfidia expirauerit, vt ex Antonino, qui d.Concilio interfuit, recenſet Seuerinus Binius, in notis ad iſtud Concilium.

Edita Anno 1437.

XII.

PRouenit ex veſtræ deuotionis affectu, & infra pag. 279. Bullar.

COMPENDIVM.

Concedit Fratribus Eremitis de Societate q. Fratris Petri de Piſis, facultatem eligendi Confeſſorem, qui eos ſemel in vita poſtquam in Societate remanere deliberauerint, ab omnibus caſibus, de quibus Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, abſoluat.§.1. Et plenariam Indulgentiam in articulo mortis concedat. d. §. 1. Necnon facultatem habeat eligendi Sacerdotes, qui in eorum Eccleſijs Sacra miniſtrent. §. 2. Diſpenſentq; cum Fratribus ſuper irregularitate, vt diuinis Officijs intereſſe poſſint. §. 3. Indulget eiſdem Fratribus cum excommunicatis verſari, pro quærendis eleemoſynis. §. 4. Et Altare portatile in eorum locis habere. §. 5. Cæmiteriaq; §. 6. Sacros Ordines à quocumque Epiſcopo recipere. §. 7. Loca retinere, & acquirere, & omnibus gratijs aliorum Eremitarum perfrui.§.8.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Societas fuerat à Sede Apoſtolica approbata?

RESP. Martinus V. eam approbauerat anno ſalutis 1421. & ſui Pontific. 4. die 5. Iunij, vt in quadam eius Bulla legitur, quæ eſt prima impreſſa, in lib. Priuileg. huius Societatis, dum ſub B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ protectione eam ſuſcepit.

Schol.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis d. Societatis promotor fuit, & de quo tempore?

R E S P. B. Petrus patria Piſanus, ex nobili proſapia de Gambacurta, circa annum 1380. ſolitariam vitam elegit, & prope Vrbinum domicilium extruxit, vt ſcribit poſt alios Roder. de Quæſtionibus Regular. tom. 1. q. 3. art. 9. Et plenius Azorius de Inſtit. Moralib. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1663.

XIII.

Edita Anno 1438 & 1444.

INter cætera grauia pulſantia, & infra pag. 279. pag. *Item* In eminenti Apoſtolicæ, & infra pagina 280.

COMPENDIVM.

Reducit numerum Clericorum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ad ſeptẽ, vt ea prouẽtibus eorum decentius viuant, auctiſq; ſtipendijs, promptius Cameræ ſeruitijs incumbant §. 1. & ſeqq. Approbat ordinationes à Clericis præfinitas, in ſubſequenti conſtit. 1. annexæ. §. 1. & 2. Earum prima eſt, Quod reductio Clericorum ad ſeptem firma conſiſtat, & alij à voce ſe abſtineant, & ſolo nomine Clericorum contenti remaneant. §. 3. Secunda eſt, circa munus Decani. §. 4. Tertia eſt, circa loca Cameralium omnium in Camera, & ordinem rerum ibi agendarum. §. 5. Quarta eſt, circa munus Clerici Menſarij. §. 6. Quinta eſt, circa diuiſionem minutorum ſeruitiorũ. §. 7. Sexta eſt, circa admiſſionem Clericorum ſupranumerariorum. §. 8. Septima eſt, circa exemptionem Clericorum ad ampliorem dignitatem trãslatorum. §. 9. Octaua eſt, circa infirmos, & abſentes. §. 10. Nona eſt, circa exequias decedentium. §. 11. Decima, circa celebrationẽ feſti S. Laurẽtij Martyris. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Hæc numeri Clericorum reductio, eſt nè alio reſpectu laudabilis?

R E S P. Eo reſpectu etiam laudanda, quia numeroſitas detrahit authoritati. cap. 2. diſt. 59. cap. 22 diſt. 93. Simile habetur de numeroſitate Referendariorum in auth. de Referendar. ad finem Necnõ de Cardinalibus, Iacob. de Concil. lib. 1. art. 1. nu. 215.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur feſtum S. Laurentij Martyris, præcipuè colitur ab iſto Sacro Collegio Cameræ?

R E S P. Iſtud Collegium reditus Romanæ Eccleſiæ colligere, & in pauperum ſubuentionem, aliaſq; eius neceſſitates erogare diligenter curat, vt notiſſimum eſt, & ideò illius B. Laurentij feſtum præcipuè agit, qui olim Eccleſiæ theſauros in pauperes erogabat. Chaſſan. de Glor. Mundi part. 4. conſid. 14. Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. in 2. additione.

XIV.

Edita Anno 1438.

AD vniuerſalis Eccleſiæ regimen, & infra pag. 281. Bullarij.

COMPENDIVM.

Abbates quicumque, & quacumque auctoritate, etiam Apoſtolica, ad Abbatias Ordinis Ciſterciẽſis promoti, Abbati d. Ordinis, Viſitatori, uſque, & Reformatoribus eiuſdem, prout antea ſubiecti ſint. §. 1. & 2. Inobedientes excommunicationis ſententię ſupponuntur, ita vt obedire eis debeant. §. 1. iuncto. §. 3. Conſtitutiones, & alia contraria tolluntur. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Obedientia, de qua in 1. & 3. §. aſtringet nè Abbatem inferiorem, Abbati generali obedire, ſi ei præcipit, vt acceptet aliquem Epiſcopatum?

R E S P. Non quia Prælatus non poteſt ad altioris perfectionis obligationẽ, eius ſubditum arctare, vt poſt D. Bernardum, tradit Roder. de Quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 20. artic. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſſet fortaſſe ſubditum cogere ad tranſmeandũ inter gentes barbaras, è Regno natiuo ipſius ſubditi, ad prædicandum verbum Dei?

R E S P. Non, quia hoc Ciſtercienſes non vouent, neque eorum Conſtitutiones id præcipiunt, & ideò Clerici Societatis Ieſu ſpecificè vouent, has longinquas, valdèq; difficiles peregrinationes, ad Rod. vbi ſupra artic. 7.

XV.

Edita Anno 1439.

NOn mediocri dolore afficimur, & infra pag. 282. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Archiepiſcopus Cantuarienſis mouit controuerſiam Ioanni tit. S. Balbinæ Presbytero Cardinali, ſuper præcedentia, hic Pont. inquit Cardinalatus dignitatem cæteris in Romana Eccleſia eſſe ſublimiorem de conſuetudine, tam apud Sedem Apoſtolicam, quam generalia Concilia obſeruata. §. 3. Cardinaliumq; officium, nempe, quod ſummi Pontificis fiat coadiutores, iuſſu Dei à B. Petro, eiuſque ſucceſſoribus, inſtitutum fuiſſe. §. 4. Cardinaleſq; fuiſſe à B. Syluestro nuncupatos, in Concilio Nicæno. §. 5. Horum Papæ aſſiſtentium adinſtar cæleſtis Hierarchiæ, tres ſunt Ordines: Diaconi Cardinales, Presbyteri Cardinales, & Epiſcopi Cardinales. d. §. 5. Cardinales aſſiſtentes Papæ, repræſentant Apoſtolos aſſiſtentes Chriſto conuerſanti in terris, Epiſcopi autem repræſentant Apoſtolos ad prædicandum miſſos. d. §. 5. Cardinales membra Papæ dicuntur, & qui eos offendunt, læſæ Maieſtatis rei ſunt. §. 6. Legatiq; de latere Papæ dicuntur, cum ab eo mittantur. §. 7. Conſtantinus Imperator, loco Patrum à ſe honorari affirmauit. §. 8. Cardinalium cœtum Romana Eccleſia cæteris illuſtriorem conſtituere potuit, quæ omnes dignitatum gradus præfiniuit. §. 9. Conſuetudo S. R. E. ac vniuerſales, hanc Cardinalium præeminentiam approbauit. §. 10. Et Concilia etiam generalia id obſeruarunt. §. 11. Cardinalatus dignitas à S. R. E. ante alios Prælatos nominari conſueuit. §. 12. In Prælationibus præponenda eſt dignitas Cardinalatus, etiam vbi non vti Cardinales, ſed vti ſuarum Eccleſiarum Prælati interſunt. §. 13. Cardinales, quia vna cum Papa regunt omnes Eccleſias, & à ſolo Papa iudicantur, præcedunt Archiepiſcopos, quia vnam eorũ quiſq; Eccleſiam regit, & à Papa, & Cardinalibus iudicantur. §. 14. Contraria conſuetudo Eccleſiæ Cantuarienſis, non ſuffragatur §. 15. Hortatur ea his, Archiepiſcopum Cantuarienſem, vt huic determinationi acquieſcat. §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Vbi legimus, B. Syluestrum nomine Cardinalium vſum fuiſſe, vt dicitur in §. 5.?

R E S P. Legimus in cap. Præſul. cauſ. 2. quæſt. 4. aliàs 5. quod citat, corruptè tamen, poſt Oldrad. in conſ. 63. Cardin. Thuſc. in verbo Cardinales, concluſ. 95. nu. 1. & Petrus Gregorio Syntagm. Iur. lib. 15. par. 2. cap. 4. ſub nu. 9.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cauetur nè aliqua imperiali lege, Cardinales eſſe membra Papæ, vt hic dicitur in §. 6.?

R E S P. Henricus VII. Imperator à Clem. V. in Vrbe coronatus, hanc ſubſequentem edidit legem anno 1313. multa ſcitu digna pro fidei Chriſtianæ firmitate, & Papæ Cardinaliumq; quos præclaram Papæ corporis partem appellat, præminentias continentem, quam propterea ex Alberic. in rubrica. Cod. de Summa Trinit. deſumptam, hic intexere opportunum duxi. Cuius legis tenor, talis eſt.

Henricus VII. diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus ad æternam rei memoriam. Reddentes honorem, & debitam reuerentiam ſummæ, & indiuiduæ Trinitati, cuius prouidentia, & miſeratione benigna, Romani Imperij *diadema ſuſcepimus, & gubernamus Imperium, in qua ſpem noſtram præcipuè ponimus credentes firmiter, ſimpliciter profitemur, Patrem, vnigenitum Filium ex Patre genitum & Spiritum ſanctum ex vtroque procedẽtem, vnam Deitatem ſub pari maieſtate, & pia Trinitate, ſecundum Apoſtolicam diſciplinam Euangelicamq; doctrinam eſſe colendam. Hæc eſt fides recta quæ contra omnes premit errores quam diuinum Petrum Principem Apoſtolorum, & Paulum Doctorem gentium, nouimus tradidiſſe. Qua diuinæ memoriæ Conſtantinus noſter inclytus prædeceſſor*

deceſſor Romanum muniuit, & auxit Imperium. Cunctoſq; Populos noſtro ſubiectos Imperio, in iſta volumus religione verſari, & præſenti in perpetuum valitura lege ſancimus. Omnes hæreticos vtriuſque ſexus quocumque nomine cenſeantur diffidamus, atque bannimus, confirmantes Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, & pœnas, quæ aduerſus hæreticos, fautores, & receptores eorum, ſine quibus diutius manere non poſſunt, hactenus ſunt ſtatutæ. Mandantes inſuper cunctis ſæcularibus Poteſtatibus, vt conſtitutiones Romanorum Pontificum contra prædictos, vel in cauſa fidei editas obſeruent, & faciant ab alijs obſeruari. Sanctam Romanam Eccleſiam, ſicut matrem, & ipſius Sedis Antiſtitem, ſicut Chriſti Vicarium, & B. Petri ſucceſſorem veneramur & præcipimus ab alijs ex debito venerari. Ipſã enim Romanam Eccleſiam, in ſpiritualibus, Diuina prouidentia altitudo, vniuerſis diſpoſitione incommutabili prætulit Eccleſijs, & totius Orbis præcipua inſigniuit, & ideò eſſe omnium Eccleſiarum caput, vt Patrum regula, & Principum Statuta declarant, ac ſereniſſimi noſtri teſtantur affatus; Quapropter Romanum Pontificem, & ipſius Eccleſiæ Cardinales, qui ſunt eius corporis pars præclara, ab omni iniuria eſſe præcipimus alienos. Mandantes noſtra conſtitutione vt ſæculares quicumque Poteſtates conſtitutiones tam Pontificum quam Principum Romanorum, contra tales Sacrilegos editas obſeruent, & faciant ab alijs obſeruari. Hanc itaque noſtræ Serenitatis conſtitutionem in corpore iuris ſub debita rubrica inſeri volumus, & mandamus. Datum Piſis 1313. Menſe Aprilis, imperij noſtri anno Primo, Regni vero quinto.

XVI.

Edita Anno 1439.

REgularem vitam profeſſis, & inf. pag. 284. Bullar.

COMPENDIVM.

Monachis profeſſis Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti ad alium præter Carthuſianorum Ordinem, tranſire prohibet. §. 1. Contrafacientes, nec non Abbates, alijs licentiam concedentes excommunicationis ſententiæ ſubmittit, §. 3, Contrarijſque derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cur ad Carthuſianos tantum permittitur tranſitus?

RESP. Quia eorum Religio, nunquam permittit eſum carnium, etiam tempore maximæ ægritudinis, ſilentiumq; ſtrictiſſimum eſt, & clauſura quaſi perpetua, latè Nauar, conſ. 10. de Regularib. num. 2. iuxta impreſs. Brixiæ, & in Comment. 4. de Regularib. ſub num. 31.

Schol. ſecundum.

Quæro. Monachus tranſiens ad Carthuſianos, an ſuas veſtes ſecum poſſit deferre?

RESP. Poteſt, cum nudus tranſire non poſſit, & conceſſo vno, cenſetur conceſſum neceſſariũ ad illud l. penultima cum ibi not. ff. de Vſufr. Sed non ſibi alia neceſſaria, quia licentia tranſeundi eſt intelligẽda, ſine præiudicio tertij, & ſic Religionis à qua trãſit c. Super in fine 27. de Off. deleg. & l. 2. §. Si quis a Principe. ff. Ne quid in loco publico fiat.

XVII.

Edita Anno 1439.

LAetentur Cœli, & exultet terra, & infra pag. 284. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat lætitiam conceptam, laudeſq; Deo refert de concordia ſecuta inter Latinam Eccleſiam, & Græcam, in Cõcilio Florentino, conſentiẽ Ioanne Palæologo Romanorum Imperatore, & alijs vniuerſalem Eccleſiam repræſentantibus, circa nonnullos articulos, in eodem Concilio hac de cauſa acto. §. 1. Explicat etiam diffinitiones circa quinque articulos. §. 2. Primum, circa proceſſionem Spiritus Sancti. §. 3. Secundum, circa confectionem corporis Chriſti in Azimo; vel fermentato pane. §. 4. Tertium, circa pœnas Purgatorij, & pia opera pro defunctis. §. 5. Quartũ, circa ſalutem animarum. §. 6. Quintũ, circa earumdem damnationem. §. 7. Diffinit etiam Primatum Petri. §. 8. Renouat quatuor Patriarchatus, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Renouatio horum Patriarchatuum, nonnè indicat, iam aliàs ſic eos fuiſſe conſtitutos?

RESP. Hoc indicat, nam conſtitutio firmata fuit, in Concilio Conſtantinopolitano, vt in cap. 6. diſt. 22. & in Concilio Lateranenſi, vt in cap. 23. de Priuileg.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ante d. Concilium Conſtantinopolitanum, eratnè hic idem ſtatus Patriarchatuum?

RESP. Non, vt videre eſt apud Petr. Greg. in Syntagm. iuris lib. 15. par. 2. cap. 5. num. 4. & ſeq. vbi antiquiores ad hoc authores allegat. Addo vnum, quod non poſtulas, nempè alios præter prædictos quatuor eſſe Patriarchatus, vt patet Aquilejenſis, & alij de quibus meminit Lancell. Conrad. in ſuo opere de Templo iudicum. lib. 1. cap. 2. ſub nu. 4 & Chaſſan. in Cathalog. Glor. Mund. par. 4. conſid. 9. verſ. An autem.

XVIII.

Edita Anno 1439.

LIcet Romanus Pontifex omnes Religiones, & infra pagina 285. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Moniales Ordinis S. Claræ Fratrũ Minorũ S. Frãciſci curæ ſubiectæ, aſſerebant ſe grauari oneribus impoſitionum, & gabellarum, ſupplicarunt Papæ pro opportuna prouiſione. §. 1. Qui propterea eas eximit à iuriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum. §. 2. Et ab omnibus oneribus eiuſmodi. §. 3. Legatis, Patriarchis, & alijs Prælatis, ità præcipit. §. 4. Contraria tollit. §. 5. Ordinis Fratrum Minorum ſuperioritatem præſeruat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Hæc exemptio à iuriſdictione Ordinariorum, eſt nè ſublata à Concilio Tridentino?

RESP. Non puto ſublatam, ſed confirmatam in cap. 9. ſeſſ. 24. verſ. Quæ verò, & tradit Roder. de Quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 63. artic. 5. vbi in ſpecie meminit de hac bulla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Appellatione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, de quibus hic mentio habetur, continentur etiam Legati à latere?

RESP. Non continentur, ſed ſpecialis expreſſio de eis facienda eſt, ad tex. in cap. 6. Abbatum 36. de Elect. lib. 5. cum ibi not. & in cap. 1. de Verbor. ſignificat. in 6. & in terminis noſtris Roder. vbi ſupra artic. 4.

XIX.

Edita Anno 1439.

EXultate Deo adiutori noſtro, & infra pagina 286. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refertur exultatio cum gratiarum actione Omnipotenti Deo, in princ. Eo quòd vltra vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, vnio ſecuta eſt etiam Armenorum. §. 1. Pro cuius ſtabilimento, cõpendium vnitatis Fidei Armenis datur ſacro id approbante Concilio Florentino. §. 4. Primo, de Symbolo fidei. §. 5. Secundo, de duabus naturis Chriſti. §. 6. Tertio de duabus voluntatibus, & duabus operationibus Chriſti. §. 7. Quarto, de Cõcilijs vniuerſalibus, & de B. Leonis veneratione. §. 8. Quinto, de Septem Sacramentis nouæ legis. §. 9. Sexto, de Baptiſmo. §. 10. Septimo, de Confirmatione ſeu Chriſmate. §. 11. Octauo, de Eucharistia. §. 12. Nono, de Pœnitentia. §. 13. Decimo, de Extrema Vnctione, §. 14. Vndecimo, de Ordine, §. 15. Duodecimo, de Matrimonio. §. 16. Decimotertio, de Fidei regula tradita ab Athanaſio §. 17. Decimoquarto, de Decreto vnionis cum Græcis. §. 18. Decimoquinto, de Feſtiuitatibus celebrandis. §. 19. Refertur poſtremò Armenorum approbatio in omnibus prædictis, & in cæteris, quæ S. R. Eccleſia tenet, & docet atque iubet. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quod olim erant Armeni pluribus erroribus infamati, & ab occidentalibus eorum nomen, malè auditum?

RESP. Quia ob diuturnum tempus, quo Manichæi incolentes Armeniam, alijq; hæretici, eam pluribus erroribus

inſe-

Digitized by Google

infecerunt, teſte Baronio in Annalibus Eccleſ. tom. 11. pag. 57. vbi perleges exemplum cuiuſdam Symeonis Armeni, viri ſancti, & iuſti, qui Romam veniens, ob infenſum nomen Armeni, de hæreſi falſo fuit accuſatus, & iuſto Dei iudicio, Accuſator à maligno ſpiritu correptus; ſed ab eodem Symeone ſigno Crucis deinde fuit liberatus. Qui autem eſſent errores Græcorum, vide in Director. Inquiſitor. par. 1. quæſt. 18.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſtnè verum, quod Armeni tempore Gregorij VII. Sacramentum Chriſmatis, de quo in §. 11. non balſamo, ſed butyro conficiebant?

R E S P. Sic legitur in Epiſtola 26. einſdem Greg. VII. & meminit Baron. in Annalib. Eccleſ. Romæ cuſis, tom. 11. pag. 556.

Edita Anno 1440.

X X.

Fide dignæ relatione percepimus, & infra pag. 290. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia dubitatum fuit in Ciuitate Lycij, ſi non communicantes in die Reſurrectionis Dominicæ mortaliter peccarent in princ. Et quamuis Papa aliàs reſcripſiſſet Epiſcopo Lycien, quod ſatis erat ſi paulò ante, vel poſt quis communicaret, nihilominus contigit vt ſupra dubitari. §. 1. Nūc ergo declarat ſufficere, quod communicet in hebdomada ſancta, vel infra Octauam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quod ſi adeſſet conſuetudo legitimè præſcripta, quod alio tempore communicet?

R E S P. Satisfacit præcepto, ſecundum Nauar. in cap. Conſideret. §. Caueat de Pœnit. diſt. 5. num. 1. & in Manuali Confeſſ. cap. 21. num. 1. vbi loquitur de intelligentia huius conſtitutionis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si quis non communicat in Paſchate, & peccat, ſi non communicat poſtea infra annum, nouum peccatum committit?

R E S P. Nauarrus vbi ſupra opinionem ſequitur affirmatiuam, contra ſententiam antiquorum Patrum, quos recenſet, cui tamquam magis communi hærendū videtur.

Edita Anno 1441.

X X I.

Super gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ, & infra pag. 290. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Indulget Congregationi Fratrum S. Hieronymi de Feſulis, vt Regulam S. Auguſtini profiteantur, §. 1. & 2. Et ipſam congregationem, de Feſulis nuncupari. §. 3. Conuentum Feſulanum, caput Congregationis conſtituit, & inibi prima vice Capitulum generale congregari mandat. §. 4. Et ibi vnum præpoſitum generalem, & ſingulos aliarum domorum Rectores eligi iubet. §. 5. & 6. Quorum officia, in primordijs aliorum Capitulorum generalium expirare declarat. §. 7. Statuta in Capitulis facta firmari poſſe concedit. §. 8. Super quibus Prior, Rectores prædicti, cum eorum Fratribus, diſpenſare poſſint. §. 9. Fratreſque vagantes ad clauſtra reducant. §. 10. Perſonas Ordinis abſoluant, & cum eis diſpenſent, prætetquam in reſeruatis à Sede Apoſtolica. §. 11. Sacramenta miniſtrent. §. 12. Profeſſio, vt emittenda. §. 13. Contrariorum derogatio. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Quare Conuentus Feſulanus, caput Ordinis conſtituitur, & Congregatio de Feſulis nuncupatur?

R E S P. Quia in Ciuitate Feſulana, primùm regularis Obſeruantia, ab his Fratribus cœpta fuit, vt habetur ſupra in conſt. 3. Greg. XII.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc Ciuitas fuit deſolata, & nullus in ea inſignis locus remanſit, vt inquit Lapus allegat. 123. retinetur tamen adhuc denominatio de Feſulis?

R E S P. Retinetur, ſicut retinetur etiam nomen Epiſcopatus de Feſulis, licet in Ciuitate Florentiæ Epiſcopus reſideat, ſcribit idem Lapus, & in bullis modernorum Pontificum exiſtentibus in Bibliotheca Genitoris mei, eoſdem Fratres S. Hieronymi de Feſulis nuncupatos vidi.

Edita Anno 1441.

X X I I.

Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pagina 291. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Redigit in vnam Congregationem Fratres S. Ambroſij, §. 1. & 2. Eamq; nuncupari iubet Congregationem Fratrum S. Ambroſij ad Nemus Mediolanen. §. 3. Et in eo Capitulum generale quolibet triennio celebrari iubet. §. 4. Ibique conſtitutiones Regulæ S. Auguſtini non contrarias præfiniri poſſe indulget. §. 5. Prioremq; generalem eligi. §. 6. Eius, & Viſitatorum munus explicat. §. 7. Priorum facultatem in abſoluendis Fratribus promit. §. 8. & ſeq. Et in eiſdem coercendi, §. 11. Nouiſq; locis recipiendis. §. 12. Ambroſianum Officium à Fratribus, vt conſueuerunt, recitari mandat. §. 15. Priuilegia locorum Ordinis inter ſe communicat. §. 16. Contrarijſq; derogat. §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Officium Ambroſianum, retineturnè etiam poſt editum à Pio V. Breuiarium, ex Sacro Concilij Tridentini decreto reſtitutum, alijs Breuiarijs interdictis?

R E S P. Pius V. anno 1568. interdixit Breuiaria, quæ ab ipſa prima inſtitutione per Sedem Apoſt. vel conſuetudinem ducentos annos antecedentem approbata non erant, vt videre eſt, in eius conſt. 64. §. 5. Ideò non ſe extendit ad iſtud Officium à conſuetudine approbatū quod ſeruari hic Pont. præcipit in hoc. §. 14. Quod optimè nouit B. Carolus dum in 5. decreto Synod. Mediol. 2. hoc Officium Ambroſianum expreſsè præſeruauit; Quinimmò in decreto 7. Synod. 3. eius ritum ſeruari voluit etiam à Confratribus, quorum Sodalitates inſtitutæ erant in Eccleſijs, in quibus idem ritus more Ambroſiano adhibetur.

Schol. ſecundum.

Quæro. In Eccleſijs, vbi ſolum more Ambroſiano celebrandum eſt, poterit nè etiam more Romano Miſſæ Sacrum fieri, vel è contra?

R E S P. Carolus vbi ritu Romano celebrandum eſt, ibi Miſſæ Sacrificium Ambroſiano more fieri vetuit, & è contra in Synod. 3. decret. 19.

Edita Anno 1441.

X X I I I.

Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, & infra pagina 293. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Exultat de vnione Iacobinorum cum S.R.E. vltra vnionem Græcorum, & Armenorum in princ. Agitq; gratias D. N. Ieſu Chriſto. §. 1. Commendat Patriarcham Iacobinorum d. vnionis cupidiſſimum. §. 2. Expoſitionem Fidei ſubnectit. §. 3. Circa Trinitatem. §. 4. Circa rerum creationem, nouiq; & veteris teſtamenti dationem. §. 6. Circa diuinitatem Chriſti. § 8. Circa eius Natiuitatem, Paſſionem, Reſurrectionem, & Aduentum. §. 9. Circa humani generis redemptionem. §. 11. Circa legalia veteris teſtamenti. §. 12. Circa eſum ciborum. §. 14. Circa ſalutem Catholicorum. §. 15. Approbat concilium Nicænum. §. 16. Conſtantinopolitanum. §. 17. Epheſinumq; §. 18. Damnat ſecundam Synodum Epheſinam. §. 19. Approbat Concilium Chalcedonenſe. § 20. Conſtantinopolitanumq; ſecundum. §. 21. Et etiam tertium. §. 22. Florentinum, & alia à Sede Apoſtolica acta, vel approbata §. 23. Explicat formam qua vtitur S.R.E. in conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti. §. 24. & qualitate panis. §. 25. Nuptiarumq; multiplicationem. §. 26. Refert poſtremo acceptationem Iacobinorum de omnibus prædictis. §. 27.

Schol. primum.

Quæro. Vnde appellantur Iacobitæ?

RESP. A Iacobo hæretico diſcipulo Patriarchæ Alexandrini, hoc nomen ſortiti ſunt, vt ſcribit Arnald. Albertin. in repetit. rubr. de Hæret. in 6. de 7. Error. Iudæor. num. 12.

vbi

vbi ſubdit, quod iſti Populi in partibus Orientis occupant magnam partem Aſiæ terrã, Mambræ, quæ eſt propinqua Aegypto, & terram Aethiopiæ, vſque ad Indiam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si dixero Aethiopes, intelligenturnè expreſſi ſub hoc nomine Iacobitæ?

RESP. Sic puto, ex præclaro, quod extat teſtimonio Epitaphij in marmoreo monumento huius Pontificis apud Baſilicam S. Petri de Vrbe, in quo hi verſus inciſi legũtur.

Eugenius iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu
Alter ab Occaſu, Cæſar vterque pedes.
Alter, vt accipiat fidei documenta latinæ.
Alter, vt aurato cingat honore caput
Quo duce, & Armenij, Græcorum exempla ſecuti
Romanam agnorunt. Aethiopeſq; fidem
Inde Syri, ac Arabes mundiq; à finibus Indi
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Teucros iam Claſſe petebat
Cum petit illum ſuſtulit aſtra dies, &c.

Edita Anno 1442.

XXIV.

QVamquam ex debito ſummi Pontificatus, & infra pag. 296. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia congregatio Canonicorum ſæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum multum proficit. & populorum deuotio augmentum recipit. §. 1. Eam eximit Cõgregationem, eiuſque perſonas, bona, & loca omnia, necnon colonos, & laboratores, afictuarios, procuratores, & negotiorum geſtores, ab omni decimæ contributione, & onere Ordinariorum, & Sedis Apoſtolicæ, aut aliàs quomodolibet imponen. §. 2. Clauſulas huius Priuilegij præſeruatiuas apponit. §. 3. Exactoribus inhibet. §. 4. Contraria quæcumque remouet. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid ab aliquo Ordinario Congregatio vexata poſtea fuit?

RESP. Ab Epiſcopo Patauino circa annum 1446. Cui, & alijs hic Pont. celeriter inhibuit, vt vidi in eius Bulla ſub die 25. Ianuarij dicti anni edita, apud Canonicos huius Congregationis in Monaſterio S. Saluatoris in Lauro de Vrbe nuncupato, aſſeruata.

Schol. ſecundum.

Quæro. Paulus III. vt percepi, exemptiones omnes, & alia priuilegia Monachorum Congregationis Caſſinenſis huic Cõgregationi elargitus fuit, cur ergò Genitor tuus inter dicti Pauli conſtitutiones non edidit?

RESP. Quia (vt arbitror) Pius V. in ſua conſtit. 92. ampliorem dictæ Congregationi gratiarum elargitionem dedit, vt videri poteſt, meique Genitoris inſtitutum fuit neceſſarias Religionum conſtitutiones edere, prętermiſſis alijs, quarum infinitus eſt numerus.

Edita Anno 1443.

XXV.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & inf. pagina 297. *Item*, Ad hoc circa, & infra pagina 298. Bullar.

COMPENDIVM.

Generales Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Congregationem eorumdem Fratrum de Obſeruantia eximerunt ab Obedientia Prælatorum d. Ordinis. §. 1. Dederuntq; licentiam eligendi Præſidentem Capituli, tunc celebrandi. §. 2. Nec non Vicarium pro regimine d. Congregationis. §. 3. Priuilegiaq; multa, Ordinis eidem Congregationi conceſſerunt. §. 4. Vnde Congregatio aucta eſt, & in regulari obſeruãtia multum profecit. §. 5. Hic ideò Pont. prædicta approbat. §. 6. Regimenq; d. Congregationis eius Vicario delegat. §. 7. Necnon Capitulum congregandi facultatem tribuit. §. 8. Vicario in Congregatione tribuit poteſtatem, quam Prior habet in Ordine. §. 9. Statutaq; condendi. §. 10. Et deſuper diſpenſandi. §. 11. Aliumque ſibi ſubrogandi in caſu abſentiæ. §. 12. Authoritatem Prioris generalis Ordinis Congregationem viſitandi, & corrigẽdi præſeruat. §. 13. Eleemoſynas quæri Congregationi permittit. §. 14. Indulta communicat omnibus locis, & perſonis de Obſeruantia. §. 15. Declarat tria dubia exorta ſuper hac Bulla. §. 1. & ſeqq. Bullæ ſubſeqq. Prohibet vti gratijs, & conſequendi dignitates extra Ordinem abſque licẽtia. §. 5. Communicat gratias cuiuſcumque Congregationis vniendæ, §. 6. Bona venientium ad Religionem, decernit eſſe Congregationis, §. 7. Contrarijs omnibus derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Stante communicatione priuilegiorum inter loca, & Societates Fratrum de Obſeruantia, de qua in §. 15. ſi vna Societas præſcriptione perderet priuilegium, poſſet iuuari priuilegio alterius Societatis non præſcripto?

RESP. Non poteſt, quia communicatum dicitur ius priuilegij, non autem eius vſus, vt ſummè notandum eſſe tradit Roder. de Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 55. artic. 19. in fin.

Schol. ſecundum.

Quæro. Fratres iſti de Obſeruantia, poſſentnè vti priuilegijs Ordini elargitis, & ipſis ſimpliciter communicatis, quæ eſſent eorum Obſeruantiæ contraria?

RESP. Non, quia talis communicatio ſemper intelligitur conceſſa in his, quæ Obſeruantiæ nõ aduerſantur, alias tenderet in deſtructionem Religionis, quod non eſt dicendum, vt tenet Roder. vbi ſupra art. 22. ad finem.

Edita Anno 1446.

XXVI.

INter curas multiplices, quibus, & infra pagina 299. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quoniam Monachi S. Baſilij in Prouincijs Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ indigebant reformatione, hic Pont. eorum Capitulum Romæ celebrari iuſſit. §. 1. In quo firmatum fuit, deſtinari in dictis Prouincijs Viſitatores, qui perſonas, & loca viſitent, & corripiant. §. 2. Qui taxam pro ſalarijs Magiſtrorum, & expenſis Studentium exigunt. §. 3. Quæ ſtatuta hic comprobat. §. 4. Viſitatoribus omnes parere iubet. §. 5. Eiſdem facultatem contra quaſcumque Ordinis perſonas, etiamſi Archimandritæ fuerint, tribuit. §. 6. Stipendia eiſdem deſignat. §. 7. Contrarijs omnibus derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Regula S. Baſilij eſt antiquor, regula S. Benedicti.

RESP. Hoc eſt certiſſimum, & poſt alios tu Iuriſta vide conſ. 2. Collegij Paduani impreſſi poſt Conſ. Card. Zabar. num. 39. & ſeq. & num. 62. Et plenius in conſ. 4. Caccialupi ibidem impreſſo nu. 39. & ſeq. vbi inquit quod Baſilius apud Græcos primo inſtituit Monachos ante B. Auguſtinum, poſtea B. Benedictus regulam accommodauit, in qua cum Gregorius primus fuiſſet Monachus dedit licentiam, quod omnes Latini profiterentur regulam S. Benedicti, & ampliata eſt apud Latinos, Baſilij vero apud Græcos, vt poſtremo ſcribit Card. Thuſcus in V. Religio. Concluſ. 138.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur vtitur illis verbis, *etiamſi Archimandritæ* fuerint?

RESP. Quia eſt nomen ampliſſimæ dignitatis, ita vt appellentur à Iuſtiniano in l. 4. §. Manifeſtum Codice de Summ. Trinit. Reuerendiſſimi. Et ſic non veniebant appellatione Monachorum, cum Archimandritæ ſuperiores ſint quam Monachorum Abbates, vt gloſ. ibi, & communiter DD. affirmant.

Edita Anno 1447.

XXVII.

LIcet militans in Terris Eccleſia, & infra pag. 301. Bullar.

COMPENDIVM.

Cum Nicolaus de Tolentino miraculis, virtutibuſque clarus extitiſſet. §. 1. Ioannes XXII. de eius canonizatione egit. §. 2. Præclara etenim opera B. Nicolaus fecit. §. 3. Vigilijs, Ieiunijs, Orationibuſque vacauit. §. 4. Obitus tempore audite meruit *Euge ſerue bone, & fidelis*, &c. §. 5. Miraculis clarui tam ante, quam poſtea. §. 6. Virum latere pre-

Digitized by Google

re perditum, & oculi cæcitate laborantem, ſigno Crucis liberauit. §. 7. Mulierem ſanguinis fluxu ſanauit. §. 8. Puerum ſubmerſum vitæ reſtituit, §. 9. Virum ſuſpenſum, mortuumquè ſuſcitauit. §. 10. Miracula trecenta, & vnum fecit. §. 11. Hic ideò Pontifex B. Nicolaum SS. Cathalogo adſcribit. §. 12. Eiuſque feſtum pro die 10. Menſis Septembris inſtituit, §. 13, Indulgentias eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Eſt nè verum, quod nomen huius S. Nicolai, fuit ſuis parentibus diuinitus prænunciatum?

R E S P. B. Nicolaus Barenſis, cuius feſtum celebrat Eccleſia die 6. Decembris huius S. Nicolai parentibus, ſuſcipiendæ prolis deſiderio, Barum voti cauſa profectis, ipſe B. Nicolaus prędixit, quod maſculus eis filius naſceretur, ipſiq; ſuum Nicolai nomen imponeret, vt ſcribit præter D. Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 10. Sur. in vita huius Sancti tom. 5. die 10. Septembris.

Schol. ſecundum.

Quæro. Miracula indicata tantum in §. 12. quis recenſet, & explicat?

R E S P. Nonnulla ſcribit Antonin. & Mombrit. & Sur. vt meminit Baron. in Martyrolog. Sed ſubdit Sur. in fine, quod tanta eſt illius miraculorum copia, vt referri omnia vix poſſint, opuſq; ſit calamo illius ſcribæ velociter ſcribentis, qui virtutis ſuæ digito, in menſe, tabulas lapideas exarauit.

Edita Annó 1447.

XXVIII.

ORdinis tui preſertim familiarum, & infra pag. 302. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicarij Fratrum Minorum de Obſeruantia, in partibus Ciſmontanis regimini ſubijcit Moniales S. Claræ, tam primi, quam ſecundi, & tertij Ordinis. §. 1. & 2. Declarat eas Moniales eſſe vocales in electione Abbatiſſæ; quæ per annos tres, vel circa in Monaſterijs degerint. §. 2. Numerumq; vocalium pro maiori parte eſſe debere. §. 3. Ieiunium perpetuum modificat. §. 4. Zoccos ligneos, & Sandalia, & ſi opus ſit etiã calceamenta deferre indulget. §. 5. Dicto Vicario dat facultatem diſpenſandi circa cibum, & ſilentium, à Regula perpetuò indictum. §. 6. Declarat non peccare mortaliter tranſgredientes præcepta Regulæ, præter ea, quæ concernunt principalia vota Obedientię, Paupertatis, & Caſtitatis, & Clauſuræ, aut ſuper electione, & depoſitione Abbatiſſæ §. 7. indulget etiam Sagina, & lardo vti poſſe in cibis. §. 8. Contrarijſq; derogat. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Dictio illa, *vel circa* in §. 2. circa tempus, quo vocales ſteterunt in Monaſtrijs, quem ſenſum recipit?

R E S P. Modicum tempus importat l. 2 §. Exactis ff. de Orig. iur. Alex. conſ. 120. lib. 2 & Gemin. conſ. 24. num. 9. vbi exemplificat, eſſe decem dierum: Sed verius puto Superiorum recto arbitrio hoc modicum dijudicari debere, ad Menoch. caſu. 46. num. 4. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. In d. §. 2. non dicitur, an poſſit eligi in Abbatiſſam, quæ ſtetit in Monaſterio per annos tres, vel circa, vt dicitur de vocalibus, quid ergò erit?

R E S P. Dubium ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſion. 25. cap. 7. Quod requirit, quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixiſſe, quæ in Abbatiſſam eligenda eſt.

Edita Anno 1447.

XXIX.

INnter cætera deſideria cordis noſtri, & infra pag. 303. Bullarij,

COMPENDIVM.

Quidam Prælati, & Principes Germani, ob diſſenſionem ſecutam tempore Concilij Baſileæ, neutrales fuerunt, & modò huic Summo Pontifici obedientiam pręſtiterunt. §. 1. Quo tempore cum multa acta fuerint in d. Natione circa beneficiorum collationes, quæ Pontificis auctoritatē requirunt, ideò collationes auctoritate Ordinariorũ factas Pontificia authoritate roborat. §. 2. Eorumq; poſſeſſores, non moleſtari iubet. §. 3. Lites deſuper vertentes extinguit. §. 4. Eaq; beneficia, & Eccleſias denuò confert. §. 5. Ius contendentibus ſuper Eccleſijs Fiſnigeñ, & Oſilieñ præſeruat. §. 6. Acta tempore ſuſpenſionis, in præiudicium iuriſdictionis Metropolitañ, & Diœceſañ: Principatuum, Dominiorum, Terrarum, Regis, & Electorum, & Archiepiſcoporum prædictorum, &c. irritat. §. 7. Obligationes circa annatas Cameræ Apoſtolicæ debitas relaxat. §. 8. Diſpenſationes, & indulta (præter hic expreſſa) confirmat. §. 9. Circa ſententias Romæ, vel Baſileæ promulgatas prouidet. §. 10. Adhærentes Concilio Baſileæ, poſt eius diſſolutionem abſoluit, ſi ad Pontificis obedientiam redierunt, vel redierint infra ſex menſes. §. 11. Contrarijs derogat in fi.

Schol. primum.

Quæro. Concilium Baſileæ, de quo in §. 1. Quando fuit indictum, diſſolutum, & finitum?

R E S P. Indixit Martinus V. anno 1431. vt ſupra in eius conſtit. 14. pag. 54. Hic autem Eugenius diſſoluit, & ad Ciuitatem Ferrariæ primum tranſtulit anno 1437. vt ſup. in eius conſtit. 11. pag. 57. Anno autem 1443. illi Concilio finis impoſitus fuit, vt ex eius actis liquet, & refert Ciacon. in Vita Felicis V. eo tempore Antipapæ pag. mihi 914. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poſt diſſolutionem ergò, durauit Concilium Baſileæ?

R E S P. Durauit, ſed Conciliabulum à die d. diſſolutionis, & tranſlationis, dicitur, vt omnium copioſius, & magis eruditè demonſtrat Cathald. de Boncomp. in ſuo tractat. de Poteſt. Papæ in 1. tit. de Tranſlatione Concilij Baſileæ.

NICOLAVS V. Italus, creatus anno 1447.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1447.

AD ſacram Sedem Petri, & infra pagina 305. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Federicus Imperator III. Principeſq; Germaniæ ex vna, & Legatus Papæ partibus ex altera, concordata, ſeu ordinationes aliquas ſuper reſeruatione, & collatione Eccleſiarum, & beneficiorum firmarunt. §. 1. Pontifex illa approbat, modificando extrauag. Execrabilis Ad regimen de Præbend. §. 2. Reſeruando beneficia Vicecancellarij, Camerarij. Auditorum Rotæ, Abbreuiatorum &c. Declarat cap. 16. Nicolai III. de elect. in 6. §. 3. Vacationeſque futuras in menſibus ſex pro Ordinarijs, & alijs ſex, pro Papa reſeruatis. §. 4. Et quoad annatas. §. 5. Conſtitutionem vltimam Eugenij IIII. hanc immediatè præcedentem comprobat. §. 6. Tranſumptis Bullæ credi iubet. §. 7. Sanctionem pœnalem adijcit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. In ſex menſibus, in quibus Papa non confert beneficia, vt in §. 4. poteſt ſaltem Coadiutorias cum futura ſucceſſione concedere?

R E S P. Non vt cenſuit Rota in decis. vnica. Caſſad. in tit. de Pact. quæ canonizata poſtmodum fuit in deciſ. Pur. 225. lib. 3. in nouis, per totam in vna Germana Concordatorum. Idemq; placuit eidem Rotæ 10 deciſ. 10. lib. 3. par. 3. Diuerſ. num. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Appellatione Abbreuiatorum, veniunt Abbreuiatores de Parte minori in iſta reſeruatione?

R E S P. Veniunt, quia Abbreuiatores de Parco maiori, & minori, vnum, & idem Collegium faciunt, & non differunt, niſi in perceptione portionum. Et plus, & minus non faciunt differre ſpecie. l. 1. n. ff. de Fund. inſt. & ita determinauit Rota coram Puteo, lib. 1. deciſ. 234. in vltimo impreſſis, loquens de intelligentia extrauag. Benedict. XII. cuius verba in hanc Bullam tranſlata ſunt.

Miſe.

Digitized by Google

I I.

Edita Anno 1450. MIſericordias Domini in æternum cantabo, & infra pag. 306. Bullarij.

COMPENDIVM.

Mirabilia fecit Dominus, vt hominem in viam ſalutis reduceret, in princip. Angelos quandoque deſtinando. §. 1. Patriarchas mittendo. §. 2. Prophetaſque. §. 3. Et tandem Filium morti tradendo. §. 4. Qui, poſt eius ad cœlum aſcenſionem, dimiſit Apoſtolos, quorum opera, vltra alia multi ſe Dei ſeruitio dedicarunt, §. 5. Et continuè in ſua Eccleſia renouat viros electos, vt quaſi noui Apoſtoli alios ad Dei ſeruitium trahant. §. 6. Inter quos eſt S. Bernardinus de Senis, qui vitæ exemplo, & prędicationis opere, in tota Italia Euangelium renouauit. §. 7. Miracula quamplura fecit, ita vt ad Eugenium IIII. pro eius Canonizatione inſtatum fuerit. §. 8. Qui negocium Canonizationis tribus Cardd. delegauit, & tandem, veritate comperta, illum canonizare cogitauit, ſed interim obijt. §. 9. Hic Pontifex requiſitus, idem negocium tribus alijs Cardd. commiſit, & abundantius veritas habita fuit. §. 10. Inſuper alios deputauit tres Epiſcopos, qui maiora miracula verificarunt. §. 11. Poſtremò Epiſcopum Senas, & Aquilam miſit, qui retulit miraculorum perſeuerantiam in dies eſſe maiorem. §. 12. Hic Pontifex omnia in Conſiſtorio ſecreto referri voluit, & examinari. §. 13. Et in alio ſimili Conſiſtorio, vnanimiter Cardinales canonizationem fieri votarunt. §. 14. Pontifex Prælatorum eadem vota eſſe reperijt in Capella maiori. §. 15. In Conſiſtorio publico canonizationem fieri decreuit. §. 16. Nonnullas eius virtutes refert. §. 17. Et de conſenſu Cardinalium S. Bernardinum, Cathalogo ſanctorum Confeſſorum adſcribit. §. 18. Indulgentiam eius Eccleſiam viſitantibus elargitur. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Miracula hic ſolum indicata quis recenſet?

RESP. Vnum, vel duo refert Sur. in eius vita, ſubdens alia multa non fuiſſe deſcripta, & Cronicon. Franciſcanorum mox editum, locupletius eius preclara facta continet.

Schol. ſecundum.

Quæro. Tempus ſui obitus, & locum ſepulturæ, quis me edocebit?

RESP. Apud eoſdem, ac Baron. in Martyrolog. & Ciacon in vita huius Pont. perleges, die 20. Maij 1444. in Ciuitate Aquilæ obijſſe, & Ciacon. in vita huius Pontif. & eius corpus primum in Eccleſia S. Franciſci ſepultum, & poſt eius Canonizationem, hoc eodem anno 1450. ſecutam, dedicatum eius templum, & illuc translatum fuiſſe die 22. Septembris, anno ſequenti.

I I I.

Edita Anno 1450. OLim tam in generali, quam in Lugdunenſi, & infra pag. 308. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, tam in Generali, quam Lugdunenſi, Concilijs, promulgatam fuiſſe excommunicationem, vltra pœnam confiſcationis bonorum, & perpetuæ ſeruitutis, in eos, qui arma, & ſimilia Sarracenis deferunt, vel eis quoquo modo fauent. §. 1. Hic modo Pont. eamdem prohibitionem repetit contra eos, qui victualia inſta decennium, alia verò quandocunque detulerint, aut deferri permiſerint, in Alexandriam, & partes Aegypti, & Terras Soldano ſubiectas.

Schol. primum.

Quæro. Quod eſt illud Concilium, quod venit appellatione Concilij generalis, de quo hic in princ.?

RESP. Eſt Concilium Lateranenſe 4. ſub Innoc. III. congregatum anno 1215. quod concurſu Patrum, & celebritate, anteriora Concilia ſuperauit; vt poſt alios ſcribit Ciacon. in vita ipſius Innocen. Et poſt illud, actum fuit Concilium Lugdunenſe primum, de quo etiam loquitur iſta conſtitutio anno 1245. Et hoc indicat etiam Genitor meus hic in prima eius apoſtilla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Qui dicuntur Sarraceni?

RESP. Turcæ hoc loco intelliguntur, vt ex contextu apparet, & de illis multa ſunt in iure canonico, in tit. de Iud. & Sarrac. Et à Sara vxore Abrahæ nomen ſibi vſurparunt, cum verè ab Agar. ancilla, originem traxerint, & vna voce Turcæ appellantur, & à Mahometo perfidos errores pertraxerunt, de quibus, & Mahometi exortu, & fraudibus vide Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 21. Et Pegnam ibi in Comment. 46. vbi antiquiores allegat, & latius Albert. in repet. rubr. de Hæret. in 6.

I V.

IMperator æternus cuncta cœleſtia, & infra pag. 303. Bullarij. Edita Anno 1452.

COMPENDIVM.

Imperator omnium Deus, Orbem ſub Regnorum ditione conſtituit gubernari, vt omnes ſub iuris, & honeſtatis legibus viuerent pacificè, in proem. Videns poſteà hominem ab ipſius Factoris cultu aberrare, Vnigenitum ſuũ miſit in Mundum, vt eum ad cultum reuocaret, qui rediturus ad Patrem, Vicarium ſibi inſtituit, qui commiſſis populis ſalubriter pręſideat, ibidem. Hic ergo Pont. in d. Vicariatu ſucceſſor, & Eccleſiæ militanti, ſub qua Imperium Romanum, æterno Imperatori famulatur præſidens, libenter ſui officij debitum exequitur, vt ipſius Imperij, & ſingulorum iura Regnorum fęliciter gubernentur. §. 1. Sacrũ autem Imperiũ per obitum Alberti Regis Romanorum Principis, vacauit, & ideo Electores Imperij Fridericum in Imperatorem elegerunt. §. 2. Qui Regni gubernacula annorum duodecim curſu fęliciter rexit. § 3. Poſtea Româ veniens ab iſto Pont. petijt coronari. §. 4. Qui eius electionem approbauit, & diademate Imperiali coronauit. §. 5. Illiq; obedientiam præſtari iubet. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Qua in Eccleſia Coronatio acta fuit?

RESP. In Baſilica S. Petri, in qua fieri Romæ debet apud altare S. Mauritij, non autem B. Petri: In hoc enim ſolus Papa coronatur, in illo vero Imperator, gl. in Clem. vnic. §. porrò in verbo Veſtigijs, de Iureiur. Fuit namque S. Mauritius glorioſus miles, & pro Eccleſia, & fide Chriſti, ſub Maximiano, & Diocletiano paſſus eſt, vt ſcribit Reſtaur. Caſtald. in ſuo Tract. de Imperat. quæſt. 24. ad finem. Sed placet, quod ſit de modo, non autem de ſubſtantia, quia alibi fieri poſſit, vt dicitur ibid. ſub. num. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt nè verum, quod eodem tempore iſte Imperator Leonoram Regis Edoardi Luſitaniæ filiam in vxorem duxit, & idem Papa in eadem Eccleſia S. Petri in nuptijs hos coniuges benedixit?

RESP. Sic affirmat poſt alios Ciac. de Vita, & geſt. huius Pont. in verſ. ſeq. vero anno, vbi ſubdit, Imperatricem, Roſam auream à Pont. donatam, manu tunc geſtaſſe, Et Imperatorem poſtea ad Eccleſiam S. Io. coronatum de more proficiſcentem, in ponte Hadriani 265. Milites aureos creaſſe.

CALLISTVS III. Hiſpanus, creatus Anno 1455.

CONSTIT. I.

QVæ laudabili, & prouida Prædeceſſorum, & infra pag. 309. Bullarij. Edita Anno 1455.

COMPENDIVM.

Eugenius IIII. in ſua conſt. 15. de qua ſupra pag. 58. multa ſtatuit circa Cameram Apoſtolicam, eiuſque Clericos. §. 1. Nicolaus V. Clericos ſupranumerarios à Conſultationibus excluſit, & à Camera clauſa exire decreuit. §. 2. & ſeq. Hic Pontifex prædictas conſtitutiones approbat

Digitized by Google

probat. §.6. Et his conſtitutionibus non niſi certa ſeruata forma, derogari poſſe voluit. §. 7. Clericos Cameræ veros Papæ familiares, eiuſq; , & Sedis Apoſtolicæ Capellanos eſſe declarat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Theſaurius cur ſic appellatur?

R E S P. Quia præeſt ærario Cameræ, congeritq; , & recipit, atque curat pecuniam d. ærarij Veſtr. in Pract. Rom. Cur lib. 2. cap. 3. & melius Grauat. ibi in addit. & poſttemò Thuſc. in verbo Theſaurarius.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt Camera Apoſtolica.

R E S P. Camera eſt locus præcipuus Palatij Papæ, vbi aſſeruari ſolent eius introitus, atque prouentus ad text. in §. 1. de Vſib. fœudor. & gloſ. in l. Sed addes 21. §. ſi Inquilinus in verbo Cameratam. ff. locat. Sed hic accipitur pro Collegio ſelectorum Virorum ad colligendum, diſtribuendumq; dictos introitus, & lites circa eos emergentes dijudicandas. Caſtr. conſ. 106. lib. 1. num. 4. & melius Dec. conſ. 404. num. 1. & ſeqq. & Maodoſ. ſuper reg. 4. Cancell. quæſt. 6. num. 5. & 6.

Edita Anno 1456.

I I.

SAcræ merita Religionis, & infra pagina 310. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Canonici Congregationis S. Saluatoris, ſupplicant Papæ pro declaratione, quod verè ipſi ſunt Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini. §. 1. Qui declarat eos fuiſſe, & eſſe tales. §. 2. Decernitq; pro talibus cenſeri, & reputari debere, & omnibus priuilegijs perfrui, quibus Canonici Regulares dicti Ordinis perfruuntur ibidem Contrarijs non obſtantibus. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si Papa non dixiſſet, eſſe veros Canonicos Regulares, ſed ſolom, vt ſequitur pro talibus cenſeri, eſſent nè veri Canonici Regulares?

R E S P. Eſſent, quia hæc verba Papæ æquipollent illis l. 1. §. fin. vbi Iaſ. num. 14. ff. Quod quiſq; iur. latè Pariſ. conſ. 71. lib. 1. num. 5. vbi num. 11. id maximè procedere affirmat, cum Papa concedit eiſdem, omnia priuilegia, huiuſmodi Canonicorum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Verbum *Canonicus*, & verbum *Regularis* Synonyma ſunt, nonnè ergo ſuperuacaneè hic fuerunt congeminata?

R E S P O N. Ceſſat battalogia, quia verbum *Canonicus* genus eſt continens duas ſpecies Clericorum, videlicet, qui habere poſſunt patrimonia ſæcularia & propria, vocãturq; Sæculares; nec non Clericorum viuentium in cõmuni, nec habere poſſunt patrimonia ſeparata, qui vocantur Regulares, quaſi duplici vinculo canonicali vitæ adſtricti, vt latè deducit Nauar. de Regular. Comment. 1. nu. 3. & 4.

Edita Anno 1457.

I I I.

SVper gregem Dominicum, & infra pag. 311. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, ad Ordines Mendicantium tranſire voluerunt. §. 1. Hic Pontifex hunc tranſitum irritat. §. 2. Declarans, hunc Ordinem reſpectu quarti Voti peregrinationum tranſmarinarum pro redimeñ. Captiuis ab infidelibus, & ſe excambiando pro Captiui redemptione, illis cenſeri ſtrictiorem ibid.

Schol. primum.

Quæro. Cur hoc vltimom huius Pontificis decretum à Clemente VIII. correctum fuit, vt Genitor tuus hic adnotauit in eius rubrica?

R E S P. Quia non ſolum primæua Regula, & Vota tunc emiſſa ſpectanda ſunt, ad adijudicandam regulam ſtrictiorem, ſed etiam aliæ poſt regulam editæ reformationes, & earũ obſeruantia, vt ibi dicam, & tradit Roderic. de Quæſt. Regular. tom. 3. q. 52. artic. 4. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de Religioſis ad Religionem non ſtrictiorem tranſire prohibitis, locum habet etiam quoad Oblatos?

R E S P. Sicut oblati poſſunt ire ad ſtrictiorem, quemadmodum profeſſi, vt poſt alios tradit Roder. vbi ſupra artic. 7. Ita è conuerſo diceñ eſt, non poſſe tranſire ad laxiorem, cum eadem contrariorum ſit diſciplina. l. Et ſi cõtra tabulas 35. ff. de Vulg. & pupill. ſubſt. in ſi Et ſociorum æqua ſors eſſe debet in conſolationibus, & paſſionibus, cap. 1. cum ibi not. de Sepult.

I I I I.

Edita Anno 1457.

VRget nos ſuſcepti cura regiminis, , & infra pag. 312. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Quia Monaſterium S. Saluatoris Meſſaneñ diœceſis, Ordinis S. Baſilij, tenues habet redditus, & Beſſario Epiſcopus Tuſculanus, qui illud obtinet in Commendam, illud reſtaurare, & Monachos, ad ſtatum regularem reducere proponit §. 1. Hic Pontifex dictum Monaſterium, Monachos, & Miniſtros, iuriſdictiones, & bona eximit ab omni ſuperioritate Archiepiſcopi Meſſaneñ, & aliorum, & à collectis, Ac ſub B. Petri protectione recipit. §. 2. Contrarijſq; derogat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Lapſi forſan mores iſtorum Monachorum fuerunt in cauſa, quod hoc Monaſterium eſſet commendatum Epiſcopo, de quo in §. 1.?

R E S P. Veriſimile videtur; nam hactenus Monaſteria cõmendari conſueuerunt a maioribus Eccleſiæ Prelatis, vt ab eis lapſi Religioſorum mores reſtituerentur, Campeg. de Commend. Benef. no. 5. Vnde Rebuff. in pract. benef. in tit. de Commenda, iure conqueritur, de abuſu Commendarum, num. 11. & ſeqq. Prout laudandus eſt Epiſcopus iſte Commendatarius, qui Monachos ad regularem ſtatum reducere curabat, vt dicitur in §. 1

Schol. ſecundum.

Quæro. Vſus commendandi Monaſteria, his temporibus qualis eſt?

R E S P. Commendatur perpetuò ad vitam alicuius, ad ipſius vtilitatem, vt exinde commodius ſe valeant ſuſtentare, & ideò non ſunt reuocabiles. Sarn. in Regol. Cancel. in tit. de Publ. reſignat. quæſt. 4. Campeg. vbi ſupra, num. 6. & Rota deciſ. 791. par. 1. Diuerſ. num. 11.

P I V S II. Italus, creatus anno 1458.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1458.

RAtioni congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 312. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Deum pluries ſoſcitaſſe Viros ſanctos pro hominom ſalute. §. 1. Et proximis retroactis temporibus ſuſcitaſſe S. Vincentium Valentinum, pro confutatione errorum infidelium, quorum copia augebatur. §. 2. Qui ætatis ſuæ anno 18. Habitum Fratrum Prædicatorum ſuſcepit, & deinde magiſterium Theologiæ conſecutus fuit. §. 3. Prædicatione deinde, infidelium errores confutauit, & annum 70. tranſcendens, obdormiuit in Domino. §. 4. Cuius ſancti Viri ſigna, Sedi Apoſtolicæ nunciarunt. §. 5. Duces, & Prelati Britanniæ cum Martino V. Eugenio IV. & Nicolao V. egerunt. §. 6. Reges quoque, & Generalis Ordinis S. Dominici, alijq; teſtificati ſont, præclara merita, & miracula Sancti Vincentij. §. 7. Nicolaus ideò V. informationem prædictorum tribus Cardd. delegauit. §. 8. Coram quibus multa miracula verificata fuerunt. §. 9. Callixtus III. qui illi ſucceſſit, in Conſiſtorijs ſecretis habuit relationem verificationis virtutum eius, & miraculorum, ideòq; ad vlteriora procedi iuſſit. §. 11. Et Canoniza-

Digitized by Google

nizationis diem indixit pro die 19. Iunij huius anni, §. 12. Qua die illum Sanctorum Confeſſorum Cathalogo adſcripſit, §. 14. Eius feſtum die 6. Aprilis agi iuſſit, §. 14. Miraculorum proceſſum in Monaſterio B. Mariæ ſuper Mineruam dicti Ordinis, aſſeruari præcepit. §. 15. Illius Eccleſias viſitantibus Indulgentias conceſſit, §. 16. Bulla autem Canonizationis, præueniente obitu Calixti III. non expedita ab iſto Pont. expeditur, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quod feſtum, quod vigore huius bullæ die 6. Aprilis agendum erat, obſeruatur agi die 5.?

RESP. Quia ni fallor ea die quinta compertum eſt obijſſe, vt ex computo, quem refert, ſic ſcribit Baron. in Martyrolog. hac eadem die 5. & concordat Ciacon. in vita Calixt. III. verſ. Pontifex.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huius Confeſſoris res geſtas, vbi quæram?

RESP. Petrus Ran. Ordinis Prædicatorum, quatuor libris digeſtas conſcripſit, & plura de eodem S. Antonin. in 3. par. tit. 23. cap. 8. vt refert Baron. in loco mox citato.

II.

Edita Anno 1458.

RELigionum exceſſus, quos antiquus hoſtis, & infra pag. 314. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum nonnulli Regulares ad Studia, vbi illa vigent à ſuis Superioribus deſtinati, ab illis exemptos ſe prętendāt, Rectorumque Studiorum, & eorum priuilegiorum priuilegijs vtantur, §. 1. Ideò hic Pont. iuriſdictioni ſuorum Generalium totaliter ſupponit, §. 2. Contrarijs, & Studiorum omnium, ac Ordinationum priuilegijs derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Solus Prælatus poterit ne licentiam dare alicui Regulari, vt ad literarum ſtudia ſe transferat, vt innuere videtur textus hic in §. 1.?

RESP. Non, ſed cum conſilio Conuentus, cap. 2. vbi Canon. communiter, Ne Cler. vel Monac. in 6. bene verum eſt, quod Conuentus conſilium ſequi non tenetur, cap. Cum olim 7. cum ibi not. de Arbitr.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Prælatus licentiam huiuſmodi dare recuſaret, poterit ille Regularis ab Epiſcopo obtinere?

RESP. Non, ſi Regularis ille, vel eius Ordo eſt à iuriſdictione exemptus, Roderic. de Quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 67. artic. 1. in fine.

III.

Edita Anno 1459.

TRiumphans Paſtor æternus, & infra pagina 315. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad Omnipotentis Dei totiuſq; Curiæ ſupercæleſtis laudem, & gloriam, fidei propagationem, vniuerſaliſque Eccleſiæ, & diuini cultus, & animarum ſalutem, Eccleſiam Senenſem, in Metropolit. & Sedem Epiſcopalem, in Archiepiſcopalem erigit. §. 1. & 2. Eccleſias Suan. Cluſin. Groſſetan. & Maſſan. ei ſubijcit d. §. 2. Archiepiſcopis Senen. priuilegia Archiepiſcoporum tribuit. §. 3. Contrarijs derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Archiepiſcopus in diœceſi ſuorum Suffraganeorum poterit ne cognoſcere cauſas ſubditorum illis?

RESP. Non poterit, niſi præcedat ſuffraganei negligentia, vt notat glo. & alij in cap. Paſtoralis 11. de Offic. Iud. Ordin. Quorum ſententiam veram eſſe, non obſtante oppoſitione Panormit. ſcribit Gamb. de Anthor. leg. num. 31. part. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Suffraganeus autem, iudicat ne aliquid de Metropolitano?

RESP. Nihil iudicat; ſed antiquior dumtaxat Suffraganeus abſentiam Metropolitani à ſua Eccleſia vltra ſex menſes debet per literas, vel nuncium Romano Pontifici denunciare infra tres menſes ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, vt decreuit Concilium Trident. Seſſ. 6. cap. 1.

IV.

CVm ſeruare in rebus ordinem, atque modum. & infra pag. 316. Bullar.

Edita Anno 1459.

COMPENDIVM.

Quia pręcedentia cuiq; debetur ſecundum eius dignitatem, ideo Epiſcopos vbique præcedere debere Protonotarijs decernit, in princ. In Capella tamen Pontificia quatuor ex ipſius Protonotarijs, qui de rebus ibi geſtis rogari conſueuerunt, honorabiliorem locum habeant, §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè hæc Bulla indicat, Protonotarios vſque ad hæc tempora præceſiſſe?

RESP. Certè hoc indicat, & firmiter tenet. Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 5. nu. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Epiſcopis hæc pręcedentia debetur?

RESP. Quia Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum, cap. vlt. diſt. 68. Protonotarij autem aſſimilantur Euangeliſtis, cum ſint deputati ad deſcribendum acta Pontificis, vt hic habetur in §. 1. Et tradit Iacobat. in loco præcit. Vel ad deſcriben. geſta Martyrum, vt inquit Rota in deciſ. 1033. par. 3. Diuerſor. lib. 3. num. 1. & Caſſan. in Cathal. Gloriæ Mund. part. 4. Conſid. 29. poſt Gomeſ. in proœm. Regul. Cancell. quæſt. 1.

V.

EXecrabilis, & priſtinis temporibus inauditus, & infra pagina 316. Bullarij.

Edita Anno 1459.

COMPENDIVM.

Scandaloſam, & improbam ait eſſe appellationem ad futurum Concilium, §. 1. Eam ideò prohibet, §. 2. Contrauenientibus, ſi ſingulares perſonæ ſint, excommunicationis, ſi verò vniuerſitates, interdicti, nec non omnibus criminis læſæ Maieſtatis, & hæreſis pœnas infligit, §. 3. Eaſdemque Tabellionibus, & teſtibus, ac cæteris fautoribus, & conſultoribus imponit, ibid.

Schol. primum.

Quæro. Cur Vniuerſitatibus pœnam non edixit excommunicationis, ſicut alijs, ſed interdicti?

RESP. Excommunicatio omnium pœnarum, quas inurit Eccleſia, grauiſſima eſt, cap. Corripiantur, 17. cauſ. 24. quæſt. 5. & ſub Vniuerſitate comprehenduntur diuerſi generis homines, quorum aliquos verè credendum eſt, non deliquiſſe, licet quod à maiori parte fit, ab omnibus factum eſſe cenſeatur toto tit. de His, quæ fiunt à maiori part. Capit. Propterea ad euitan. periculum, hac grauiſſima pœna innocentes plectendi, diffinitum eſt, Vniuerſitates excommunicari non debere, ſed ſupponi Eccleſiaſtico interdicto, cuius pœna minor eſt, cap. Romana. 5. §. In vniuerſitatem de Sentent. excommun. in 6. Et ſic in ſpecie tradit Toled. in ſua Summa lib. 1. cap. 20. num. 2. & Vgolin. de Cenſur. Eccleſiaſt. par. 2. §. 1. pag. mihi 118. num. 1. in Comment. ad Bullam Cœnæ Domini editam à Clement. VIII. Adde etiam Vniuerſitatem non habere animam, cui inhæret excommunicatio Nauarr. in Man. confeſſor. cap. 27. num. 13. Seraphin. de Priuileg. iuram. in priuileg 83. num. 28.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis appellaret ad præſens Concilium, cum in §. 1. denegetur appellatio ad Concilium futurum?

RESP. Pontifex ideò dixit de futuro, quia rarò contingit illud eſſe congregatum, quando quis appellat, ſed non ob id excluditur, quin appellans ad Concilium iam congregatum, huic ſanctioni contraueniat, vt ſingulariter notat Vgolin. de Cenſur. Pontific. reſeruat. part. 2. cap. 2. §. 1. num. 1. prope finem pag. mihi 118.

VI.

MIſericordias Domini, quas in dies, & infra pag. 317. Bullarij.

Edita Anno 1461.

COMPENDIVM.

Narrat elementa omnia, & animalia Creatori obedire, & gratitudinem oſtendere, in princip. Hominem vero ſo

E æqua-

Digitized by Google

æqualem Deo facere voluiſſe. §. 1. Chriſtum tamen Crucis mortem vt naturam humanam ſaluam faceret ſubire, dignatum fuiſſe. §. 2. Subdit nihilominus magis hominem ingratum fuiſſe, & multos à fide deuiaſſe §. 3. Veruntamẽ ſemper aliquot fuiſſe viros Deo acceptos, qui eius iram placarunt. §. 4. Inter quos B. Bernardinus Senenſis extitit, qui Ordinis B. Franciſci profeſſor, virtutibus, & miraculis clarus fuit. & ideò à Nicol. V. Canonizatus, §. 5. Catherina etiam Virgo Senenſis Angelicam in terris vitam egit. §. 6. Vrbanus VI. Innoc. VII. & Greg. XI. ob varia impedimenta derenti, eam non canonizarunt. §. 7. Hic ideò Pontif. precibus Federici III. Imperatoris, ac Ducis Venetiarum motus. §. 8. Inquiſitionem de eius vita, & miraculis fieri inſtit. § 9. Quæ vera comperta fuerunt. §. 10. Quorum aliqua recenſet § 11. & ſeqq. Habitiſq; votis de eius Canonizatione Sanctarum Virginum albo adſcribit, §. 14. & ſeq. Eiuſque feſtum die 1. Maij, agi iubet. §. 16. Et Indulgentias eius ſepulchrum viſitantibus elargitur, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Qui latius preclaras res geſtas huius Virginis deſcripſit?

RESP. Raymundus Capuanus, Ordinis Prędicatorum profeſſor, qui huius piæ Virginis Confeſſarius fuit, necnon In. Tholuſanus, S. Antonin. in 3. par. tit. 23. cap. 14. Surius in vitis Sanctorum die 29 Aprilis, ac Stephanus Senenſis Prior. Chartuſiæ Ticinenſis, qui antequam ſolitarium illud viuendi genus profiteretur, pijs Virginis colloquijs adfuit; necnon Ludouicus Granaten. ac Ioannes Pinus in ſuo libro de Claris Mulieribus, qui aſſerit vitam huius Virginis vernaculo ſermone ſcripſiſſe Nicolaum Burgium Senenſem, poſtquam ſuper impoſito ſibi ciliciolo, quo illa viuens vti ſolebat, & diligenti cultu adhuc aſſeruatur, iam ſemimortuus, repente collectis viribus, aſſurrexit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod Baron. in Martyrolog. ſub hac die, enunciat bullam Canonizationis de die 22. Octobris?

RESP. Vel creden. eſt Codicem manuſcript. de quo meminit, eſſe mendoſum, vel eundem Pontif. de eadem Canonizatione (vt antiquitus aliqui Pont. effecerunt) ad aliquem Principem, vel Vniuerſitatem de eadem Canonizatione particulares literas dediſſe.

VII.

Edita Anno 1461.

CVm ex Sacrorum Ordinum collatione, & infra pagina 319. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quoniam in collatione Sacrorum Ordinum, animarum cura tribuitur, ideò exceſſus in ea commiſſi grauiſſime puniendi ſunt in prin. Et cum nonnulli Clerici extra tempora a iure ſtatuta, quidam ante ætatem legitimam, alijque, abſque dimiſſorijs literis, ſe faciant promoueri. Ideò ſic promotos abſque canonica diſpenſatione, ab Ordinum executione ſuſpendit. §. 1. & 2. Et pręſumentes, durante ſuſpenſione, in Ordinibus miniſtrare, eo ipſo irregularitatem incurrere, & beneficijs priuari poſſe decernit, d. §. 2.

Schol. primum.

Quæro: Ætas legitima, de qua hic, quæ dicitur?

RESP. Secundum canones, ætas legitima ad Subdiaconatum eſt annorum 18. ad Diaconatum 20. & Pręsbyteratum 25. vt habetur in clem. 3. de ætat. & qualitat. Sed hodie attenden. eſt Concilium Trident. ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 12. vt ad Subdiaconatum requiratur ætas ann. 22. Diaconatum 23. & Presbyteratum 25. Intellige autem de anno incœpto, cum ſimus in fauorabilibus, & ita erat ſecundum d. clem. 3. vbi ſic tenet Imol. num. 15. Syluestr. in Sum. in §. ætas, num. 4. &. Nauar. in Manual. Conf. cap. 25. num. 116.

Schol. ſecundum.

Quæro. Habet nè locum iſta conſtitutio in Ordinibus minoribus?

RESP. Non, vt verba illa *cura animarum*, &c. indicant, & in puncto, ita tenet Nauar. in Man. Confeſſor. cap. 25. num. 70. verſ. Dixi, & conſ. 28. de ſentent. excommun. num. 15. in impreſſis Brixiæ. Mandat ſuper Regul. Cancell. 24. quæſt. & Lopez in Pract. Canon. crimin. in verſ. Tertio erit. Sed eſt aduerten. ex decreto Concilij Trident. ſeſſ. 6. de Reformat. cap. 5. ſecus eſſe in promoto ad minores Ordines, abſque dimiſſorijs ſui Pręlati. Siquidem ipſo iure ſuſpenſus eſt, ab executione Ordinum ſuſceptorum. Neque gaudet priuilegio fori, præſertim in criminalibus, ex decreto eiuſdem Concilij, ſeſſ. 7. cap. 10.

VIII.

Edita Anno 1484.

AD retinendas inſolentias tranſgreſſorum, & infra pagina 320. Bullarij.

COMPENDIVM.

Condemnati pro homicidio, ſeu de aliquo loco banniti, & diffamati non poſſint ab aliquo Officiali, abſq; expreſſa licentia Papæ, gratiari, aut ſaluumcondoctum obtinere, aut ibidem morari; ſed capti puniātur. §. 3. Appellare nequeāt. §. 4. Banniti pro homicidio cenſeantur banniti ab omnibus locis eorum vicinis per 40. milliaria ibid. Homicidæ notorij, aut de homicidio infamati, vel condemnati, non poſſunt habere officia, & dignitates. perpetuò ſint infames, teſtimonium ferre, nec Tabellionatus officium exercere, aut iudicare poſſint, ab omnibuſque actis legitimis ſint ſuſpenſi. §. 5. Et admiſſi ad d. officia, eoſque admittentes, pœnam quingentorum ducatorum auri, & alias incurrunt ibidem.

Schol. primum.

Quæro. Illud verbum *diffamati*, de quo in §. 5. Quomodo intelligendum?

RESP. Non eſt intelligendum de infamatione ſimplici, nempè de mala fama, quamuis plenè probata, quæ ſolummodo indicium facit ad inquirendum; ſed eſt intelligendum de diffamatione, quæ æquipollent condemnationi, cum vna pars alternatiuè alteram declaret. leg. 1. ff. de Reb. dub. vt in puncto huius bullæ, ſic cenſuit Rota coram Seraphino in eius deciſ. 576. part. 1. mox impreſ. Condemnationi autem tunc dicitur æquipollere, cum ex ea ad condemnationem deueniri poſſit, vt declarauit Rota in eadem cauſa in deciſ. 393. num. 12. eiuſdem Seraphini.

Schol. ſecundum.

Quæro. An bannitus habeat facultatem teſtandi, eo quod eſt ſuſpenſus ab omni actu legitimo, vt in §. 5.

RESP. Non habet, quia actus legitimus dicitur, qui à iure ciuili eſt inuentus, vel approbatus, l. actus 78. iuncta gl. 1. & ibi Dec. & Cagnol. nu. 2. ff. de reg. iur. Et talis eſt actus teſtandi, qui, vel origine, vel approbatione, dicitur eſſe de iure ciuili, Bart. in l. ex hoc iure 5. ff. de Iuſtit. & Iur. num. 17. Iaſ. nu. 46. Et ita hanc bullam intellexit Hondod. conſ. 59 lib. 1. num. 71. & ſeqq. cum alijs cumulatis à Farinac. quæſt. 101. num. 38. & ſeqq.

IX.

Edita Anno 1462.

LIcet ex debito miniſterij Paſtoralis, & infra pag. 321. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat omnia Priuilegia Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis Sancti Benedicti §. 1. Loca omnia etiam Congregationis concedenda, à Prælatis eius regantur, illiq; à Capitulo, vel Abbate, vel Viſitatoribus eligantur. §. 2. Solutio autem annatæ præſeruatur Cameræ Apoſtolicæ. §. 3. His priuilegijs non cenſeatur derogatum, niſi à Papa ſpecificetur. §. 4. Exemptio à ſolutione Decimarum datur. §. 5. & 6. Ad teſtificandum, & eundum ad proceſſiones, non cogantur. §. 7. Hæreditates Monachorum, & Oblatorum Congregatio conſequitur. §. 8. Sacros Ordines à quocunque Antiſtite ſuſcipere poſſint. §. 9. Et celebrare tempore interdicti. §. 10. Recipere ad Ordines quos poſſint. §. 11. Communicentur Congregationi priuilegia Congregationis Caſſinenſis, in omnibus, & per omnia, ac ſi ipſis ſpecialiter, & expreſſe eſſent conceſſa. §. 12. Declaratur exemptio ſuperius conceſſa. §. 13. Et ius ſepeliendi. §. 14.

Quæro.

Digitized by Google

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi iſta congregatio vellet vti aliquo ex Priuilegijs communicatis, contra dicta Congregationem Caſſioen.?

R E S P. Regula eſt, quod non poſſit priuilegiatus ſuo vti priuilegio contra alium æque priuilegiatum. Marſil. ſingul. 99. Priuilegiatus, & ſing. 681. Tradidi tibi. Roman. conſ. 385. num. 4. verſ. Secunda ratio. Præterquam ſi iſta Congregatio tractaret de damno vitando, l. verum 11. §. vlt. ff. de Minorib. Bartol. & alij in auth. Quas actiones. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & de communi Rimin. conſ. 166. num. 14. & Rimin. Iun. conſ. 285. num. 117.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Oblati huius Congregationis Oliuetanæ, vti vellent aliquo ex Priuilegijs Ordinis, contra ipſos Monachos eiuſdem Congregationis?

R E S P. Non poſſunt, quia priuilegia Ordinis principaliter ſunt Monachis conceſſa, & ad eorum fauorem ſunt conſecutiue communicata Oblatis, non autem ex æquo, vt in caſu præced. & benè deducit Roderic. de Quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 55. artic. 21. verſ. Loquendo autem.

X.

Edita Anno 1463.

IN minoribus agentes, non Sacris Ordinibus, & infra pag. 322. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quæ hic Pontifex egit in minoribus tempore Concilij Baſileenſis, ignoranter contra Eccleſiam Dei feciſſe affirmat. §. 1. Ideò ad imitationem S. Auguſtini, ea reuocat, & retractat. §. 2. Et illis nullam præſtari fidem ſuadet. §. 3. Occurrenſq; obiectioni, quod cum Pontificatu mutauerit propoſitum, eius acta quæ aliter non ſe habere demonſtrant, ipſe recenſet. §. 4. Errorem ſuæ opinionis, Iulianum S. Angeli Cardinalem, & Ioannem Carauagialem, deinde etiam Cardinalem ſibi aſſerit oſtendiſſe, §. 5. & 6. Quo cognito ſtatim Romam veniſſe, & Eccleſiæ ſe renunciaſſe ſubdit. §. 7. Sacros poſtea Ordines ſuſcepiſſe inquit. §. 8. Multumque in hac re, Thomam Theologum, & poſtea in Pontificatum Nicolaum V. nuncupatum, ſibi profuiſſe aſſerit. §. 9. Explicat latè eius ſententiam, quoad authoritatem Papæ etiam ſupra Concilium, §. 10. Vniuerſitati ergo Scholæ Colonien. cui hæc Bulla dirigitur, iſta ſignificat, & contraria, tamquam erronea, reuocat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Hic Pontifex quomodo erga Eccleſiam Dei, quam in hac eius retractatione, inquit offendiſſe, ſe geſſit?

R E S P O N. Ipſum verè ſummum, optimumque fuiſſe Pontificem, præclara eius acta, & perpetuo digna, encomio, quæ apud Platinam, Onuphrium, Nauclerum, & Papyrium Maſſonum, atque Ciaconium, ſumma cum tui animi oblectatione per leges, optimè teſtãtur, retractationiſq; huiuſmodi veritatem omnibus patefaciunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quando, & qua occaſione, cœpta eſt quæſtio, An Papa ſit ſupra Concilium, vt innuitur in §. 10.

R E S P. Cum in Concilio Piſano Cardinales, qui in eam Vrbem conuenerant, de tollendo Schiſmate, quod inter plures Pontifices verſabatur, ſeriò tractarent, in hanc quæſtionem inciderunt, vt ſcripſit S. Antonin. in 3. part. ſuæ Hiſtor. tit. 2. cap. 5. §. 2. & refert Fr. Paulus Fabullot. Congregationis Fratrum Ambroſianorum Theologus, in princ. ſuæ diſput. Theolog. hoc anno 1613. Venetijs impreſſæ, quam vt vides præ manibus habeo.

X I.

Edita Anno 1464.

INeffabilis ſummi prouidentia Patris, & infra pagina 326. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inter Fratres Prędicatores, & Fratres Minores orta fuit ardua diſputatio, dum eorum aliqui affirmabant, hæreticum, vel peccatum eſſe, Sanguinem Chriſti in triduo Paſſionis ab eius diuinitate fuiſſe diuiſum: alij vero contrarium aſſeuerabant. §. 1. Hic Pontifex de hoc articulo prędicari, aut diſputari prohibet, vel ſuaderi. §. 2. Cuiuſcumque Ordinis Fratribus, ſi contrauenerint, pœnam excommunicationis latæ ſententiæ imponit, § 3. Sediq; Apoſtolicæ eos denunciari iubet. §. 4. Eoſdem Fratres Prædicatores, & Minores, mutua ſe charitate tractare pręcipit. §. 5. Sanctionem pœnalem apponit. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Num iſte Pontifex, vel alter eius Succeſſor, hunc articulum definiuit?

R E S P. Nonnulli ab iſto Pontifice, eiuſque Succeſſore Paulo II. ſancitum dicunt, ſanguinem effuſum diuinitati per triduum adiunctum fuiſſe; ſed hoc minime verum puto, eo quod Genitor meus nullum Summi Pontificis diploma deſuper emanatum habere potuit, etiam ſi non mediocriter Pontificias Conſtitutiones exquirere inuigilauerit. Et ita nouiſſimè tradit Franciſcus Collius Theolog. & Collegij Ambroſiani Doctor, in ſuo Tractatu de Sanguine Chriſti lib. 5. diſputat. 4. cap. 2. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quas lueret pœnas, qui huic Pontificiæ ſanctioni contrairet?

R E S P. Vltra excommunicationem latæ ſententiæ, de qua in 3. §. alijs alligaretur pœnis arbitrarijs, ſtante ſanctione pœnali, de qua in §. 6. ita tenet Martin. Laudenſ. de Priuileg. quæſt. 18. Niſi (vt ille inquit) has Papæ literas contemneret, credens aut tenens obediendum ei non eſſe; tunc. etenim hæreticus cenſeretur, idem ſentit Tiber. Decian. in 5. lib. ſui Tract. crimin. cap. 15. verſ. Vigeſimoquinto, & nouiſſimè Farinac. quæſt. 184. num. 10. poſt medium, ex Repertor Inquiſit. in verbo hæreticus.

P A V L V S II. Italus,

creatus Anno 1464.

CONSTIT. I.

LIcet Eccleſiarum omnium vniuerſalis cura; & infra pag. 326. Bullarij. Edita Anno 1464.

COMPENDIVM.

Deputat eius in Vrbe, eiuſque diſtrictu Vicarium, Epiſcopum Torcilanum in ſpiritualibus, vſque ad eius beneplacitum. §. 1. Dat ei facultatem viſitandi omnes Eccleſias, & Monaſteria, tam ſæcularia, quàm regularia, etiam exempta, & eorum perſonas corrigendi, §. 2. Cauſaſque ciuiles, & criminales cognoſcendi, d. § 2. Eccleſiaſtica etiam Sacramenta conferendi, d. §. 2. Eccleſias quoque ædificandi, & reconciliandi, d. §. 2. Et alia faciendi, quæ ad Vicariatus officium de iure, vel conſuetudine pertinent, d. §. 2. Contrarijs derogat, §. 3. Obedientiam ſibi ab omnibus pręſtari iubet. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. In Vrbe extant Eccleſiæ titulares Cardinalium, in quibus quoad ſuos ſubditos habent ius Epiſcopale, quæro ergo, an Vicarius eorumdem cauſas cognoſcet, & perſonas corriget, vt hic in §. 2.?

R E S P. Affirmatiuè, inquit Ioan. Andr. in cap. 5. de Offic. Vicarij, vbi ſpecificè loquitur de Vicario Papæ ſub num 11. Et quamuis Martio. Laudenſ. in tract. de Cardinalib. quæſt. 75. id non ſeruari dicat de conſuetudine, contrarium tamen videtur tenuiſſe. Butr. quem ſequitur Io. Franc. Paui. de Offic. & Poteſt. Capit. part. 2. quæſt. 10. num. 37. & 39. in fine. Et ſeruari etiam videmus quotidie, & millies in die practicari, & ita teneas, prout ſic tenen. dixit Panorm. in d. cap. 5. ſub num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Collatio beneficiorum ſpectat nè ad Vicarium de iure, vel conſuetudine, de quibus in §. 2. in fine?

RESP. Non ſpectare aſſerit Io. Andr. in cap. 5. de Offic. Vicar. ſub nu. 8. Bellam. nu. 7. & Anch. nu. 2. Idemq; tenet Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 16. nu. 1. ac Io. Franc. Paui. de Offic. & Poteſt. Cap. d. nu. 39.

Digitized by Google

Edita
Anno
1465

II.

CVm in omnibus iudicijs ſit rectitudo iuſtitiæ, & infra pagina 327. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum iuſtitiæ rectitudo, & conſcientiæ puritas eſt pręcipuè obſeruanda, ideò mandat Iudicibus earum, vt cauſas in ſupplicationibus expreſſas, earumq; verificationem, diligenter attendãt, & Eccleſiarum indemnitatibus conſulant, §. 1. Contrauenientibus inferioribus Epiſcopo excommunicationis, Superioribus per annum ſuſpenſionis pœnam irrogat. §. 2. Complices eiſdem pœnis ſupponit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Circa cauſam euidentis vtilitatis, quæ ſolet eſſe frequentior in ſupplicationibus, quid Commiſſarius cauſæ attendere debet iuxta, §. 1.?

RESP. Si agitur de alienatione vtili, inquirere debet, an magis expediat vnam, quam aliam rem alienare: Si agitur de permutatione tenetur in bonorum comparatione diligenter ſe gerere, Feder. de Sen. conſ. 249 num. 2. Rota deciſ. 178. par. 2. Diuerſ. nu. 7. & 9. vbi ſubdunt, quod ſi cauſa neceſſitatis eſt in ſupplicatione expreſſa, ſatis eſt de ea tantum conſtare.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quando dicetur probata euidens vtilitas, quæ frequentius in huiuſmodi ſupplicationibus apponitur?

RESP. Quando circa vtilitatem nulla poteſt dubietas conſiderari, vt cauetur ſup. in Conſt. 1. Leon. 1. §. 2. in fin. cuius ſumma eſt, in cap. ſine exceptione 52. cauſ. 12. quæſt. 2. Corn. conſ. 245. lib. 2. num. 3. ac Barbat. conſ. 40. lib. 1. n. 1. Et ideò Rota coram Pamphilio in vna Romana inualiditatis Cenſus 24. Maij 1591. tenuit non conſtare de euidenti vtilitate Eccleſiæ, dum alienat, imponendo aliquem cenſum pro extinctione alterius ſimilis cenſus.

III.

Edita
Anno
1466.

MVnera excæcare oculos ſapientum, & infra pag. 327. Bullar.

COMPENDIVM.

Multa proueniunt mala cum Officiales, & Miniſtri Iuſtitiæ munera recipiunt, in princip. vbi Prophetæ, & Iſidori ſcripturas citat, Et ideò Officialibus Status Eccleſiaſtici munerum receptionem, præter eſculenta, & poculenta, quæ biduo conſumi poſſunt interdicit, ſub pœna excommunicationis tàm ipſis recipientibus, quàm dantibus necnon dupli eius, quod acceperint, §. 1. Idq; eos iurare debere præcipit. §. 2. Collationem Officiorum à Papa conferri ſolitorum alijs prohibet, §. 3. Bannitorumque remiſſionem, §. 4. Pœnarum etiam condonationem. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. An quid modicum, quod non ſit de eſculentis, & poculentis recipiens, incidat in hanc Bullam?

RESP. Textus eſt clarus iuncta gloſ. communiter ibi recepta in cap. Statutum. 11. §. Inſuper de Reſcript. in 6. quod tenet etiam glo. & Canon. in cap. Et ſi 18. de Simon. Quia in his modicis ceſſat ratio corruptionis, ſicut in eſculentis, & poculentis; Et modicum munus non venit propriè muneris appellatione Tiraq. in ſuo Tractat. de Iudic. in reb. exig. verſ. octuageſimo ſecundo, vbi 94. exempla in ſimili articulo cumulauit, quorum aliqua ſcripſit etiam Marſil. conſ. 80. nu. 11. & ſeqq. Exiguum namq; munus, Iudicantis animum non immutat, Nauarr. in Comment. Conſtitutionis Gregorianæ de dat. & recep. ſub num. 20.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid dicendum, ſi non Iudex principalis cauſæ, ſed eius Conſultor, vel Aſſeſſor, munus recipiat?

RESP. Proculdubio in eo loco habet iſta Conſtitutio, ſi quidem Miniſter eſt Iuſtitiæ, dum conſulit ad hoc, & in eo pernicioſior eſt munerum receptio, quam in alijs per ea, quæ ſcripſit Pacius Scala in ſuo tractat. de Conſil. Sapient. cap. 23. vbi iura, & DD. allegat.

IV.

Edita
Anno
1466.

VIros ſanguineos, & doloſos, & infra pagina 328. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vindictæ tranſuerſalis in Vrbe abuſum enarrat in princ. & §. 1. & 2. Illud ergo crimen patrantibus plures pœnas imponit, nempè criminis læſæ Maieſtatis, priuationis beneficiorum, confiſcationis bonorum, & alias, §. 1. & ſeqq. Fautoribuſque pœnas rebellionis, confiſcationis, depoſitionis, & priuationis infligit. §. 4. Principalium delinquentium domos demoliri iubet, §. 5. Pacis fractoribus eaſdem ferè pęnas imponit. §. 7. Et hanc Bullam in Statutis Vrbis deſcribi mandat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Inter pęnas, de quibus hic, non connumeratur pęna picturæ in loco publico, ac auerſo capite, & pedibus ſuperioribus, & tamen hæc pęna impoſita fuit quandoque pro vindicta tranſuerſali; Vnde hoc ergo?

RESP. Conſtitutiones Apoſtolicæ hanc pęnam minimè imponunt, ſed bannimenta generalia Status Eccleſiaſtici, vbi ſeruantur cap. 44. & 45. dummodo offenſus attineat offendenti intra quartum gradum, vt aduertit Farinac. conſ. 55. lib. 2. num. 15. intelligendo de quarto gradu ſimplici, non autem de quarto, & quinto, num. 24. & ſeq. Immò ſubdit num. 27. quandoq; prætermittitur hæc pęna, quando ex hac pictura poſſunt magis irritari animi eorum de aliqua familia ex principalioribus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod pęna demolitionis domus, de qua in §. 5. his temporibus non imponitur?

RESP. Quia ab huiuſmodi crimine vindictæ tranſuerſalis, homines in Vrbe abſtinere cæperunt, & ideò in nouis poſtea Statutis editis à Greg. xiij. anno 1580. illa pęna expreſsè dempta fuit, vt habetur in cap. 33. lib. 2. vbi in cęteris ſaluberrima, hæc Pauli ij. Conſtitutio comprobatur.

V.

Edita
Anno
1467.

AMbitioſæ cupiditati illorum præcipue, & infra pag. 329. Bullarij.

COMPENDIVM.

Occurrere volens, ne immobilia Eccleſiarum indebitè vſurpentur, eorum alienationem, dominij conceſſionem, hypothecam, infeudationem, & emphyteuſim, nec non locationem vltra triennium, præterquam in caſibus à iure permiſſis, ac de rebus in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc non niſi in euidentem Eccleſiarum vtilitatem, fieri prohibet. §. 1. Fructus verò, ac mobilia, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia excipit d. §. 1. Innouat prohibitiones ſuorum Prædeceſſorum. §. 2. Alienationes aliter factas irritas decernit. §. 3. Alienantes, & recipientes excommunicat. d. §. 2. Alienanti alias pęnas imponit, ibid.

Schol. primum.

Quæro. Iſta conſtitutio, cuius publicatio non reperitur, ſed extat inter extrauagantes communes, præſumitur nè vſu recepta?

RESP. Rota coram Mohed. in deciſ. 1. de Conſtit. & deciſ. 8. de locat. & conduct. tenuit opinionem negatiuam, volens, quod onus probandi illius obſeruantiam, eius ſit, qui in ea ſe fundat, & idem tenet in deciſ. 896. part. 3. Diuerſ. lib. 3. necnon Caualc. deciſ. 43. lib. 1. num. 2. Caiet. in §. Excommunicatio 75. & ſequitur Sarmient. de Reddit. Eccleſ. cap. 2. num. 20. Quamuis contrarium teneat Benin. in deciſ. 13. num. 9. ac Becc. conſ. 92. lib. 1. num. 1. verſ. Ego verò, vbi alios citat. Sed Nauarr. in Man. Confeſſ. cap. 27. num. 150. ait, nullibi fuiſſe receptam hanc Paulinam, quoad pęnas, ſecus autem quoad nullitatem actus. Et hanc ſententiam ſemper ſecuta eſt. Rot. vt poſt Put. teſtatur Robuſter. in deciſ. 578. part. 1. Diuerſ. nu. 3.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Permittitur in §. 1. Emphyteuſis rei Eccleſiaſticæ, ab antiquo in emphyteuſim locari ſolitæ, in euidentem tamen Eccleſiæ vtilitatem, ſed non explicatur, an ſufficiat vtilitas, quæ interuenit in prima conceſſione, an verò tempore ſecundæ etiam interuenire debeat, quid ergo in hoc tenes?

R E S P. Etiam tempore reuocationis vtilitatem requiri, attendendo illud verbum Bullæ, *& tunc*, quod extremitatem deſiderat, l. 4 §. 1. ff. de Condit. & demonſt. Honded. conſ. 52. lib. 1. num. 61. vbi ſic pluries Rotam tenuiſſe recenſet.

V I.

Edita Anno 1469. DEcet Romanum Pontificem, & infra pagina 330. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Plures Pontifices multa Eccleſiaſtica beneficia Monaſterijs, & alijs locis pijs vniuerunt, §. 1. Vnde amplius non vacabant, & ſic Cameræ Apoſtolicę communia ſeruitia non præſtabantur, §. 2. Hic ideò Pont. mandat hæc beneficia vnita, & in Camera taxata, ſoluere debere communia, & minuta ſeruitia: Alia verò, pro quibus ſolui conſueuerat annata, eam pariter ſingulis annis quindecim ſoluere debere, §. 8. Et anni terminus datur ad ſoluendum quindennium pręteritum, & obligandum pro futuris, §. 4. Alioquin vniones irritæ redduntur, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. An ante hanc Bullam Pauli, aliquid ſoluerent hæc beneficia perpetuò vnita?

R E S P. Illi, in quorum commodum hæ vniones cedebant, promittebant obligabantq; ſe, & ſucceſſores pro ſoluenda in futurum certis conuentis temporibus, vt puta quindecim, aut decem, & octo, vel viginti annis, beneficiorum vnitorum annatas ſoluere Reuerendæ Cameræ habita ratione ſummæ, quæ pro vnoquoque beneficio; ante vnionem ſoluebatur, ita teſtatur Galleſ. vir multæ eruditionis, & magnus practicus Romanæ Curiæ in ſuo tract. de Annat. in fine. Hic autem Pont. ſublata d. varietate, ſolutionem annatæ ad annos quindecim nunc ſtabiliuit, vt ſubdit idem Galleſ. eo loco.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quindennia ergò, veniunt appellatione annatarum?

R E S P. Abſque dubiò, quia eſt ſolutio fructuum primi anni beneficiorum vnitorum, & non eſt ſpecies annatarum, ſed nomine tantum, ex accidenti differens, vt ſcripſit Galleſ. vbi ſupra, qui cæteris perfectius; de hac materia mihi ſcripſiſſe videtur.

V I I.

Edita Anno 1470. INeffabilis prouidentia ſummi Patris, & infra pag. 331. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Bonifacius VIII. quolibet centeſimo anno, viſitantibus Baſilicas Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, verè pœnitentibus, & confeſſis; pleniſſimam peccatorum remiſſionem conceſſit, §. 1. Clemens VI. ad annum 50. reduxit, & addidit viſitationem Baſilicæ S. Ioannis in Laterano, §. 2. Gregor. IX. ſtatuit etiam viſitari Baſilicam Sanctæ Marię maioris. §. 3. Vrbanus VI. reduxit ad annum 33. §. 4. Martinus V. approbauit. §. 5. Nicolaus V. confirmauit, §. 6. Hic Pontifex ad annum 25. reducit, §. 7. Proponitque nonnulla conſideranda ab Indulgentiam huiuſmodi conſequi volentibus, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Cur iſta reductio à Platina, & alijs quibuſdam Hiſtoricis, Sixto IIII. tribuitur?

R E S P. Non iure tribuitur, quia Sixtus IIII. in extrauag. 4. de Pœniten. & remiſſ., hanc Pauli II. reductionem continet, & approbationem, & eſt certiſſimum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur iſte annus remiſſionis peccatorum, annus Iubilæi nuncupatur?

R E S P. Quia hic annus eſt veræ lætitiæ ſpiritualis, quo animæ ſalutis concepto deſiderio, læti Domini obſequio ſe ſubmittunt, ſuorum delictorum omnium remiſſionem conſecuturi. De quo verbo *Iubilæi*, nonnulla ſcripſit glo. notabilis ſup. extrauag. Bonif. VIII. necnon Clem. VIII. infra in ſua conſtitut. 58. Ioan. Hugo in ſuo tractat. de Offic. quat. Prælat. in tit. de Libert. diuin. & Petrus Albin. de Pontif. Poteſt. num. 140. & ſeqq. apud quos videre etiam poteris, quibus rationibus celebratio anni Iubilæi, quolibet quinquageſimo anno congruens videretur.

S I X T V S IIII. Italus, creatus anno 1471.

C O N S T I T. I.

DIſpoſitione diuina, quamuis immeriti, & infra pag. 332. Bullarij. Edita Anno 1472.

Eugenius IIII. Nicolaus V. & Calixtus III. multa ſtatuerunt pro bono regimine Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. Quæ omnia hic Pont. approbat. §. 2. Theſaurariumque, & Clericos d. Cameræ familiares ſuos, & veros Sedis Apoſtolicę Capellanos declarat. §. 3. Expeditiones Cameræ, & Cancellariæ pro eis, eorumq; nepotibus, & familiaribus gratis expediri mandat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quod Clerici Cameræ, dicuntur Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Capellani, vt in §. 3.?

R E S P. Arbitror ex eo ſic appellari, quod Papæ in Capella in multis inſeruiunt, vt patet omnibus ex lectura libri Cærimonialis, & ex eadem ratione, ni fallor, Auditores Rotæ etiam Capellani Papæ nuncupantur, vt liquet ex eodem libro Cærimoniali.

Schol. ſecundum.

Quæro. Fuit nè vnquam orta controuerſia pro expeditione, de qua in §. 4. gratis haben. pro Clericis?

R E S P. Tuſchus in V. Cancellaria inquit, fuiſſe motam controuerſiam, & deciſam tamen ad fauorem Clericorum per ſententiam Vicecancellarij, & Camerarij. Quā ſententiam ſubdit comprehendere omnes Camerales, quia vnicum eſt eorum Collegium, & omnes vniformiter gaudent priuilegijs Collegialibus, Et dum ipſe fuit Gubernator Vrbis (qui in Camera tenet locum Cardinalis Camerarij, ideòque Vicecamerarius nuncupatur) hoc habuit in facto, & obtinuit in expeditione literarum Epiſcopatus Narnien. ſibi collati.

I I.

ROmani Pontificis indefeſſa ſolicitudo, & infra pagina 333. Bullarij. Edita Anno 1472.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Collegium Auditorum Rotæ Romanæ cæteris pręſtare integritate, & doctrina. §. 1. Pro cuius, & Sedis Apoſtolicæ maiori gloria, & ornatu, eorum numerum, de pręſenti quatuordecim, ad duodecim reducit, §. 2. Quem numerum excedi prohibet, §. Auditoreſq; ante admiſſionem, ante Vicecancellarium examinari iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Fuit nè vnquam maior Auditorum numerus, quam quatuordecim, hic indicatus in §. 2.?

R E S P. Fuerunt quandoque antiquioribus temporibus viginti, & vltra, teſte Gomeſ. in prooem. Reg. Cancell. verſ. Nam ſatis.

Schol. ſecundum.

R E S P. Cur pręcipit eos examinari coram Vicecancellario, cum id antea præcepiſſet Martinus V. vt ſup. in eius conſt. 3. §. 15. & 16. pag. 51.

R E S P. Fortaſſe Camerarius coram ſe examinari pręetendebat, etiam poſt Bullam Martini, eo quia antiquiorib. temporibus Camerarius Papę de eius mandato, per datio-

nem cappę, rocchetti, & birreti eos admittebat ad officium Auditoratus, vt habetur in deciſ. Bellam. 280. & refert Gomeſ. proximè citatus.

III.

Edita Anno 1472.

PRæclara Sanctorum merita, & infra pagina 333. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, B. Franciſcum de Aſſiſio, Ordinem Fratrum Minorum inſtituiſſe, §. 1. Quos eius ſequi veſtigia, & multum proficere inquit, §. 2. Et ipſe, qui eius Ordinis profeſſor fuit, pro celebriori feſtiuitate S. Franciſci pręcipit eam obſeruari, & obſeruantibus Indulgentiam elargitur, annorum quinquaginta, de iniunctis pœnitentijs, cum totidem quadragenis, §. 3. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Iſte B. Franciſcus, de quo aliàs locuti ſumus, cur appellatur Patriarcha Pauperum?

RESP. Quia inter omnes pauperes Euangelicos (pręter Apoſtolos, & Diſcipulos Domini) primatum obtinuit, Eman. Rod de Quæſt. Regular. lib. 1. quæſt. 13. articulo 5. vbi etiam ſubdit aliam rationem: quia ſcilicet fuit primus Generalis Miniſter ſui Ordinis, habens iuriſdictionem Patriarchalem ſuper omnes Fratres Minores exiſtentes in omnibus Mundi nationibus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt ergo, quod hi Fratres dicunt extare Indulgentiam plenariam pro d. feſtiuitate S. Frăciſci, cum de Minori Indulgentia tantum habeatur hic in §. 4.?

RESP. Feſtum S. Franciſci deuotè celebrantibus Indulgentia, de qua hic, datur, & iſti hac die maiorem quam ſuam Indulgentiam non habent; ſed tamen hac eadem die Fratres bene dicunt extare Indulgentiam plenariam pro omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, & ſancta Communione refectis, qui Eccleſias B. Franciſci viſitauerint, & ibi orauerint pro his, quæ continentur in Breui Sixti V. ſignato die 28. Septembris 1585. quod Genitor non poſuit in ſuo Bullario, quia vulgatiſſimum eſt in omnibus Eccleſijs Ordinis Fratrum Minorum.

IIII.

Edita Anno 1472.

SAncta Minorum religio, & infra pag. 334. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XI. authoritatem Protectoris Ordinis S. Franciſci præſcripſit, §. 1. Hic Pont. qui eiuſdem Ordinis profeſſor fuit, eam cŏſtitutionem perutilem cognouit, §. 2. Eam propterea approbat, §. 3. Et declarat, ac reſtringit, vt neque Protector habeat auctoritatem in caſibus contentis in Bulla Greg. IX. niſi quando non vniuerſi, ſed ſolum aliqui ab vnitate fidei, vel S.R.E. Obedientia; vel regulæ obſeruantia deuiarent, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Poteſt nè Protector dare alicui licentiam ingrediendi loca Monialium?

RESP. Non poteſt, quia Martin. V. in ſua conſtit. 1. §. 4. poſita in Appendice Bullarij pag. 15. hanc poteſtatem explicitè abſtulit, vltra quod ampliores prohibitiones ſuperuenerunt, poſtea à Pio V. & Gregor. XIII. vt ſuo loco dicemus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ erit pœna Fratrum non obedientium Protectori, in concernentibus munus ſuæ protectionis?

RESP. Pœnam excommunicationis à Iul. II. impoſitam fuiſſe, ita ſcribit Corduba in addition. ad Compend. Priuileg. Fratrum Minorum, in §. Protector Ordinis, & ſequitur Eman. Roder. de Quæſt. Regul. lib. 3. quæſt. 42. artic. 1. in fine.

V.

Edita Anno 1474.

SEdes Apoſtolica, à qua in omnibus, & infra pag. 335. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Archiepiſcopum Conſentinum B. Franciſco de Paula licentiam dediſſe conſtruendi Eccleſiam, ſiue Oratorium ſub vocabulo S. Franciſci, vbi ipſe B. Frăciſcus cum ſocijs vitam Eremiticam ducere cœpit, §. 1. Hic Pont. commiſit poſtea Epiſcopo S. Marci vt d. licentiam validaret, & dictis Eremitis, aliorum Eremitarum priuilegia communicaret, §. 2. Qui Epiſcopus hæc adimpleuit, §. 3. Supradictus Archiepiſcopus exemptionem a iuriſdictione ſua eiſdem conceſſerat, §. 4. Et B. Franciſcum Superiorem eorumdem cum omnimoda facultate elegerat, §. 5. Et Sacerdotibus facultatem dederat, Miſſam etiam ante diem celebrandi, §. 6. Confeſſioneſq; audiendi, §. 7. Alia etiam bona, & perſonas recipiendi, §. 8. Priuilegia inſuper Mendicantium dederat, §. 9. Exemptionem à ſua iuriſdictione conceſſerat, §. 10. Sediſq; Apoſtolicæ protectioni ſubmiſerat. §. 11. Quas conceſſiones à Papa ſpecificè approbari, B. Franciſcus poſtulat §. 13. Papa prædicta omnia confirmat, §. 14. Et eximit à ſuperioritate quorumcumque Ordinariorum, §. 15. Extenditq; omnia priuilegia ad omnia loca huius Congregationis, §. 16. Contrarijs derogat, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore initiata fuit iſta Eremitarum Cŏgregatio?

RESP. Anno 1450. inquit Eman. Rod. lib. 1. Quæſt. Regul. in quæſt. 5. artic. 7. Sed tamen Frater Gaſpar. Paſſarel. in vita huius S. Franciſci ab eo relata, poſt priuilegia huius Ordinis cap. 4. & 6. ſentit, hunc B. Virum anno 1435. circiter, Fratres congregare cœpiſſe.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur iſte B. Franciſcus eius Fratres, Minimos appellauit?

RESP. Quia Iacobus, & Vienna eius Parentes, filiorum deſiderio, votum S. Franciſco de Aſſiſio ediderunt, filium ſuſcipiendum, Franciſcum nuncupaturos, & per annum in ſua Eccleſia Domino famulaturum: Editus eſt ergo B. Franciſcus, quem parentes ad domum S. Franciſci de Aſſiſio Ciuitatis S. Marci, decimum circiter agentem annum, duxerunt, eumque Domino obtulerunt; vbi puer in Dei timore educatus, per annum continuum manſit, & annum deinde attingens decimum nonum, in Eremo, quem petierat, cępit congregare Fratres, quos Minimos, humilitatis gratia, exemplo Minorum appellaſſe credeñ eſt, vt colligitur ex his, quæ ſcribit idem Paſſarel. proximè cit. cap. 3. & ſeqq.

VI.

Edita Anno 1474.

REgimini Vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet, & infra pag. 337. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciant, Eugenium IIII. & Clem IIII. Bullas ediſſe pro Fratribus Minoribus S. Franciſci, §. 1. & 2. Quas ipſe Pont. comprobat, §. 3. Ampliatque vt celebrare poſſint tempore interdicti, & cum altari portatili, §. 4. Ordiniſq; Pręlati poſſint abſoluere Fratres, §. 5 Extendit etiam facultatem, vel ius ſepeliendi mortuos, §. 6. Eximit à ſolutione eius, quod Ordini legatur, §. 7. Et à decimis, § 8. Iuriſdictioneq; Ordinariorum, §. 9. & 13. Facultatem audiendi confeſſiones, §. 10. Loca Monialium deſtituta eis appropriandi, §. 11. Mortuos cum habitu Tertiariorum ſepeliri volentes non alibi quam in locis Ordinis, vel abſque licentia Fratrum, ſepeliri decernit, §. 12. Cum Fratribus diſpenſandi, quoad irregularitatem, & illegitimitatem, §. 14. Damnat confeſſos Fratribus, iterum Parochis confiteri debere, §. 15. Communicat ordini priuilegia Ordinis Sancti Dominici, §. 16. Perturbatores prædictorum coerceri iubet, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegium altaris portatilis, de quo in §. 4. eſt nè reuocatum à Concilio Tridentino ſeſſione 22. poſt canones?

RESP. Nauarrus in Manual. Confeſſ. cap. 25. nu. 81. tenet eſſe reuocatum, dum Concilium, eo loco mandat Epiſcopis, vt per cenſuras prohibeant, ne Miſſæ ſacrificium extra Eccleſias à ſæcularibus, & regularibus quibuſcunque peragatur. Sed contrariæ eſt opinionis Eman. Rodér. de Quæſt. Regular. quæſt. 29. art. 3. Quando ſcilicet Epiſcopi

Regu-

Regularibus ita celebrantibus non prohibent, vt Concilium requirit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Intelligitur autem hoc priuilegio hos Fratres vti poſſe in præiudicium Eccleſiæ Parochialis, circa oblationes, decimas, & primitias?

R E S P. Certè non, vt ſcribit Sylueſt. Sum. in verb. Altare num. 6. & Eman. Roder. tom. 1. artic. 3. quæſt. 28.

VII.

Edita Anno 1474.

REgimini Vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 340. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Eugenium IIII. Martinum V. & Gregorium XI. Bullas edidiſſe pro Ordine S. Dominici. §. 1. Eas iſte Pontifex approbat. §. 2. Ampliatq; concedens, Fratres celebrare poſſe tempore interdicti, & in altari portatili, §. 3. Abſoluiq; & diſpenſari in multis ab eorum Prælatis. §. 4. Liberam dare ſepulturam in eorum Eccleſijs. §. 5. Eximit etiam à ſolutione pro legatis, & decimis, §. 6. & 7. Iuriſdictione quoque Ordinariorum, §. 8. & 12. Dat eiſdem Fratribus facultatem perſonis eis confeſſis, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta miniſtrandi, ſi Parochi abſq; rationabili cauſa miniſtrare recuſent, aut differant malitioſè. §. 9. Loca Monialium deſtituta ſibi applicañ. §. 10. Mortuos cum habitu Tertiariorum ſepeliri volentes, non alibi quam in locis Ordinis, vel abſque Fratrum licentia ſepeliri decernit, §. 11. Ampliat damnationem opinionis, quod confeſſis his Fratribus, iterum Parochis confiteri debeant, §. 13. Communicat priuilegia Fratrum Minorum S. Franciſci, §. 14. Perturbatores in præmiſſis coerceri mandat, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Vbi ſepelitur, qui non diſponit ſepeliri cum eiuſmodi habitu, de quo in §. 11.?

R E S P. Ciuis, vel incola, ſi non eligit ſepulturam, quam quiſque arbitrio ſuo eligere poteſt, certiſſimum eſt, quod erit ſepeliendus in ſepulchris ſuorum maiorum, aut in Eccleſia Parochiali, cap. 1. de Sepult. & cap. 4. eod. tit. in 6. & inquit Rota in deciſ. 745. coram Manzaned. par. 2. Diuerſ. num. 3. in Recentiorib. Exterus verò habens hoſpitium in Ciuitate, ſepeliendus eſt in Parochiali Eccleſia illius habitationis, ſi aliam non eligit, Archidiac. in d. cap. 1. num. 3. Armill. in verbo Sepultura num. 12. Sylueſtr. num. 8. Gig. conſ. 97. num. 3. & id clarum eſſe cenſuit Rota in deciſ. Seraph. 1535. num. 1. Viator autem tranſiens, & non habens hoſpitum in Ciuitate, nec eligens ſepulturam, dubitant Summiſtæ, & etiam Canoniſtæ, an in Cathedrali, vel in Parochiali ſit ſepeliendus; Sed verius eſſe, quod in Parochiali ſepelitur, tenuit Rota in d. deciſ. Seraph. num. 2. Maiorum autem appellatione, qui veniant, tradit Panormit. in d. cap. 1. & Oldrad. conſ. 25. nu. 2. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. De irrationabili reuocatione, aut malitioſa Parochorum dilatione, de qua in §. 9. quomodo conſtabit?

R E S P. In textu huius, §. Confeſſorum aſſertioni ſtañ eſſe dicitur: Sed Genitor meus in Apoſtilla ad ipſum textum, cautè adnotauit attendendam eſſe nouam Leon. X. diffinitionem infra in ſua conſt. 22. §. 7. Ibi etenim Leo decreuit, Confeſſores eiuſmodi Sacramenta miniſtrare non poſſe, niſi Parochorum denegatio abſque legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut recuſatio coram publico Notario facta, doceatur.

VIII.

Edita Anno 1474.

ET ſi vniuerſis Romanæ Eccleſiæ, & infra pag. 343. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ob ſiniſtros euentus, incolis Ciuibus, & Aedificijs Vrbs Roma eſt plurimum diminuta, ideò, vt virorum, & ædificiorum copia inſtauretur, hic Pont. omnibus Curialibus, & alijs tam ſæcularibus, quam regularibus adminiſtrationem obtinentibus, Prelatiſque, & Cardinalibus, qui in Vrbe, & infra decem milliaria ædificauerint, aut ædificia, vel cenſus, aut alia bona acquiſierint, dat facultatem liberè de eis diſponendi etiam ad fauorem incapacium. §. 1. Et eorum hæredibus etiam illegitimis dat ius in illis ab inteſtato ſuccedendi, §. 2. Prohibetque omnibus Officialibus eos deſuper moleſtare, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Curialium nomine nonnè veniebant Cardinales, quamuis de eis non fuiſſet ſpecifica facta mentio?

R E S P. Veniebant, quia materia eſt fauorabilis, Oldrad. conſ. 211. num. 4. Secus verò ſi materia eſſet odioſa, vt plenius ſcribit idem Oldrad. in conſt. 293. nu. 2. & ſeqq. & ſignanter num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si quis non ſimpliciter emit bona in Vrbe; ſed pro ſe, vel perſona per eum nominanda, quis acquirit priuilegium de quo in §. 1.?

R E S P. Aut nominat, aut non, Primo caſu nominato vſque à principio dicitur acquiſitum rei emptæ dominiũ, & conſequitur hoc priuilegium; Secundo verò caſu, emptori, Ancharan. conſ. 127. num. 1. Alexand. conſ. 232. lib. 6. num. 3. & ſeqq. Dec. conſ. 543. num. 4. & Cephal. conſ. 325. lib. 3. num. 13.

IX.

Edita Anno 1475.

ETſi cunctis Eccleſiaſtici Status perſonis, & infra pagina 344. Bullar.

COMPENDIVM.

Benedictus XII. in ſua conſtitut. 3. de qua ſup. pag. 41. iuſſit omnes Monachos, & Moniales S. Benedicti Ordinis Ciſtercienſis pannis bruni, vel albi coloris dumtaxat vti poſſe, pro vſu ſuarum perſonarum. §. 1. Et quia fuit dubitatum, an intellexerit de colore bruno, vel griſeo, fuit introducta habitus diuerſitas apud Monachos, & Moniales d. Ordinis. §. 2. Declarat ideò hic Pont. quod intelligitur de colore nigro. §. 3. Iubetq; de cætero pannis nigri, vel albi coloris tantummodo vti. §. 9. Et alterius habitus vſum prohibet. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Color niger veſtium, quid denotat?

R E S P. Mortificationem carnis, & triſtem vitam in meditanda paſſione Chriſti, quam Monachi habere debent Zabar. in Clem. 1. de Statu Monach. in princ. Chaſſan. in Cathalogo Glor. Mund. par. 12. verſ. Color etiam obſcurus, conſid. 93.

Schol. ſecundum.

Quæro. Color verò albus, quid indicat?

R E S P. Puritatem vitæ, & candorem conſcientiæ, quibus Monachi intenti eſſe debent, laudatuſq; eſt propterea ſæpè in Sacris ſcripturis, & à Deo laudatus fuit, vt recenſet Chaſſan. vbi ſup. in verſ. Et color albus, conſid. 93.

X.

Edita Anno 1476.

DVm ad vniuerſos regulares Ordines, & infra pag. 344. Bullar.

COMPENDIVM.

Martinus V. in ſua conſtitut. 7 de qua ſupra pagina 53. omnes Canonicos Regulares vbique profeſſos vniuit in vnam Congregationem, §. 1. Eugenius IIII. Baſilicam S. Ioannis in Laterano de Vrbe eidem Congregationi reſtituit, §. 2. Nomen Congregationis Lateranenſis conceſſit, §. 3. Nicolaus V. Idem confirmauit, conceſſitque omnes gratias, quibus Eccleſia Lateranenſis, & dependentes ab ea perfruuntur, §. 4. Calixtus III. regimen eiuſdem Eccleſiæ Canonicis ſæcularibus dedit, §. 4. Paulus Secundus Congregationi reſtituit. §. 5. Hic Pontifex dictis Canonicis ſæcularibus, iterum dedit, §. 6. Nomen autem, & titulum Congregationis Lateranenſis confirmauit, & denno confirmat, §. 6. Omnia eius priuilegia comprobat. §. 7. Exemptionem à quorumcumque iuriſdictione, ſub-

Digitized by Google

fidijſque, & impoſitionibus elargitur, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 10. & ſeqq. Altaris portatilis vſum concedit. §. 14. Tempore interdicti celebrare poſſe, cum excommunicatis à iure conuerſari, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & mortuos ſepelire poſſe indulget. §. 15. & ſeqq. Eximit à præſtationibus, & decimis. §. 18. Cauſis cognoſcere, & Monialium curam ſuſcipere non cogantur. §. 19. Sepulturam liberam in Cœmeterijs habeant §. 20. Canonicam portionem non perſoluant. §. 21. Præſcriptionis 60. annorum priuilegio donantur. §. 22. Prælati Congregationis, cum Canonicis diſpenſant ſuper irregularitate, &c. §. 23. Confeſſores deputent. § 24. Cum Pyratis quando conuerſari, & bona alienare poſſint. §. 25. & 26. Confeſſoreſque eligere. §. 27. Et Venientes ad Ordinem recipere. §. 28. Et ad alium Ordinem tranſire, vel non §. 31. Priuilegijs Congregationis Monachorum Congregationis S. Iuſtinæ, vel Caſſinen. perfruantur §. 32. Prędicentque verbum Dei. 33. Dubia in gratijs Congregationis orienda ad eius fauorem interpretentur, & actus contrarij ſibi non præiudicent. §. 34. & ſeq. Apud eos inuitos nemo celebret. §. 38. Confeſſiones apud eos non impediantur. §. 39. Conſeruatores habeant cum ampla iuriſdictione §. 40. Non obſtan. quibuſcunq; §. 41.

Schol. primum.

Quæro. Si Eug. IIII. hanc Baſilicam Congregationi reſtituit, videtur ne ſupponere, ad eam hactenus ſpectaſſe?

R E S P. Procul dubio, vt clarè liquet ex conſtit. 2. Paſchalis 2. de qua ſup. pag. 4. Quinimò etiam tempore Alex. 2. qui in Pontificatu præceſſerat Paſchalem ij. eadem Baſilica erat d. Congregationis, vt perlegi in quadam Bulla Innocentij IIII. impreſſa in libro Priuilegiorum d. Congregationis, Mediolani cuſo anno 1606. pag. 153.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hanc reſtitutionem ab Eugenio IIII. quando Congregatio obtinuit?

R E S P. Anno 1445. Eugenius motu proprio de conſilio Cardinalium primum, ſequenti autem anno pleniori deſuper edita Conſtitutione reſtituit, quam in eodem libro perlegi pag. 315. poſt dictum motum proprium, pag. 311.

X I.

Edita Anno 1476.

DVm attenta meditatione; & infra pag. 349. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Eugenius IIII. in eius conſt. 3. ſup. pag. 55. mitigauit Regulam Fratrum Carmelitarum, ab Honor. III. comprobatam ſup. pag. 13. §. 1. Pius II. dubium excitatum ſuper d. mitigatione Eugenij IIII. circa ieiunium auferens, voluit diſpenſationem à ieiunio, arbitrio Prioris generalis fore remiſſum. §. 2. & 3. Hic Pont. approbat, & arbitrio d. Prioris remittit etiam declarationẽ numeri, & qualitatis dierum ieiunij. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si iſte Prior diſpenſaret Fratrem aliquem à ieiunio, quod Regula præcipit, vel Sancta Rom. Eccleſia, dicitur ille diſpenſatus ad eſum carnium?

R E S P. Negatiuam ſententiam poſt Archiep. Florent. tenet Summa Armilla in §. Ieiunium num. 10. & Nauarr. in 2. par. Decret. cap. 21. num. 23. vbi hoc intelligit habere locum, ſi diſpenſatus eſcis ieiunio congruis, ſuſtentari poſſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Prior diſpenſaret, vt Frater in die ieiunij, ante horam comederet, diceretur diſpenſaſſe à ieiunio?

R E S P. Non, quia diſpenſatio non ſe extendit ad aliam partem ieiunij non expreſſam, vt poſt S. Tho. ſcribit Nauarr. vbi ſupra nu. 22. & ſequitur Rodet. de Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 100. artic. 2. verſ. Illud tamen.

X I I.

Edita Anno 1476.

ETſi vniuerſis Xenodochijs, hoſpitalibus, & infra pag. 349. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Omnia hoſpitalia, & loca pia Ordinis S. Spiritus, & intitulata ſub inuocatione S. Spiritus, membra Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia, de Vrbe declarat. § 3. Eaque Fratribus d. Ordinis tantum a Commendatore cõferri decernit §. 4. Cæteris alijs nomen Magiſtri Generalis, aliàs Commendatoris interdicit. §. 5. Contrauenientibus pœnas apponit. §. 6. Quæſtum abſque licentia Commendatoris vetat. §. 7. Beneficia vacantia ob contrauentionem Fratrum, Commendatorem conferre indulget. §. 8. Formam colligendi eleemoſynas præſcribit. §. 9. Obſtantia tollit. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Qui promotor fuit pij operis hoſpitalitatis?

R E S P. Zoticus vir beatiſſimæ memoriæ primus huius modi pietatis officium inueniſſe dicitur. Hæc ſunt verba tex in. l. Omnia 33. Cod. de Epiſcop. & Cleric. gl. ibidem in verbo, dicitur. Zab. in cap. 3. de Relig. domib. num. 3. Petr. Craſ. in repet. cap. Cum ad ſedem 15. Reſtit. ſpol. num. 28. vbi non videtur admittere ſenſum Bald. in. d. l. Omnia. vbi inquit tex. & gl. intellige, Zoticum d. Officium hoſpitalis primo inſtituiſſe in Ciuitate Conſtantinopolitana, quaſi alibi antiquius eſſet inſtitutum; ſed tex. & gl. abſolutè intelligit Lap. de Caſtel. in ſuo tract. de Hoſpit. n. 1. ac Idem Bald. Caſtrenſ. & Salyc. in d. l. Omnia.

Schol. ſecundum.

Quæro. Derogatio, de qua in §. 10. tollit priuilegia antiqua alijs hoſpitalibus conceſſa, eligendi Priorem?

R E S P. In facti contingentia; derogare, tenuit Rota coram Seraph. in eius deciſ. 612. mox. impreſſ. per totam.

X I I I.

Edita Anno 1476.

SEdes Apoſtolica æqua ſemper in omnibus, & infra pag. 350. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, approbaſſe quaſcumque gratias à Sede Apoſtolica Eremitis B. Petri de Piſis elargitas. §. 1. Et dediſſe illis facultatem eligendi Cõfeſſorem, qui eorum vota peregrinationum commutaret. §. 2. Quodque eorumdem Prior cum eis diſpenſare poſſet ſuper irregularitate. §. 3. Dictique Eremitæ etiam extra tempora ad Sacros Ordines promoueri poſſent à quocumque Antiſtite de licentia d. Prioris. §. 4. Refert etiam Eugenium IIII. quotannis eorum Capitulum generale cogi decreuiſſe. §. 6. Et Nicolaum V. quolibet triennio celebrari, & in eo Rectorem generalem eligi voluiſſe. §. 7. Sed cum ex conſtitutionibus Societatis eligitur primum Vicarius generalis, in cuius manibus Rector, & omnes Patres renunciant, & deinde eligantur quatuor Socij, à quibus eliguntur Priores, & poſtea per totum Capitulum, eligantur Rector generalis, is, & eius Vicarius. §. 8. Hic Pont. id confirmat. § 9. Et ſuprad. facultatem eligendi Confeſſorem iterum concedit. §. 11. Capitulumq; generale quolibet triennio, Prouincialeq; ſingulis annis cogi iubet. §. 12. In Cap. Generali Vicarium Generalem ipſius Capituli primum eligi, & in eo Priorem generalem, & cæteros officia renunciare, & deinde alios ſex deputari, & eos, vel eorum ſaniorem partem, omnia facta Capituli determinare, & Priores eligere decernit. §. 13. Ipſoſque ſic electos cum toto Capitulo, vel maiori eius parte, Rectorem generalem ad triennium, eiuſque duos, vel plures Vicarios eligere mandat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Ille numerus ſex Deputandorum, vt in §. 13. eſt præciſè ſeruandus?

R E S P. Non hodie, quia Alex 6. die 14. Aprilis 1496. arbitrio Capituli remiſit, vt ſex, quinque, vel quatuor eligat, vt vidi in eius bulla in lib. priuileg. huius Ordinis impreſſa.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba, *vel eorum ſaniorem partem*, & alia *pro maiori parte*, de quibus in §. 13. quomodo intelligenda?

RESP. Verba *maior pars* reſpiciuntur numerum; *ſanior* verò authoritatem, zelum, & meritum, Anan. conſ. 62. num. 2. verſ. Circa ſecundum, vbi alios allegat.

X I V.

Edita Anno 1478.

ILlius qui pro Dominici ſaluatione gregis, & infra pagina 352. Bullar.

COM-

Digitized by Google

COMPENDIVM.

Enunciat, Innocentium III. inſtituiſſe in Vrbe Hoſpitale S. Spiritus in Saxia, ipſumq; & alios Pont. multas ei gratias conceſſiſſe. §. 1. Quod hic Pontifex à fundamentis reædificauit. §. 2. Et Eugenius IV. inſtituit ibidem Confraternitatem piorum virorum. §. 3. Quam iſte Pont. denuò erigit. §. 5. Et vnà cum multis Curialibus eam ingreditur. §. 6. Confeſſoris electionem tribuit. §. 8. Confratrum ſepulturam, etiam tempore interdicti permittit. §. 10. Decedentibus in Hoſpitali, vel ei ſeruientibus gratias Confratrum tribuit. §. 11. Diſpoſitiones ad fauorem Hoſpitalis quiſq; Notarius notificet. §. 13. Ipſi, & Confeſſores ſuadeant infirmis ſubuentionem Hoſpitalis. §. 14. Confratres faciant proceſſionem in feſto Pentecoſtes, & conſequentur Indulgentias. §. 16. Funera Confratrum condecentia fiant. §. 18. Miſſæ pro Confratribus viuis, & defunctis celebrentur. §. 19. Regimen Hoſpitalis ſit Præceptoris, aliàs Commendatoris. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Cur ſuaderi debet infirmis ſubuentio Hoſpitalis, vt in §. 14.?

RESP. Quia opus valdè pium eſt hoſpitalitas, & in Sacris literis plurimum commendata, & ob eam meruit Abraham Angelos habere in hoſpites Geneſ. cap. 19. Vnde Apoſtolus ad Romanos cap. 12. omnes chriſtianos ad hoſpitalitatem hortatur adeò, vt nollet quempiam fieri Epiſcopum, niſi eſſet hoſpitalis, cap. 3. ad Thimot. & cap. 1. ad Titum. ſcribit Nauarr. in conſ. 2. de Empt. & vend. num. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Commendator, cui in §. 20. datur totale regimen Hoſpitalis poterit fortaſſe eligere certas perſonas, ibi perpetuò alendas, ita, quod illis viuentibus alij non admittantur?

RESP. Nequaquam poterit: quia hoc eſſet contra mentem Papæ, & ſcandaloſum, vt ſcribit Lapus de Caſtell. in ſuo tract. de Hoſpital. nu. 59. & 60.

XV.

Edita Anno 1478.

ETſi de cunctorum Chriſtifidelium, & infra pagina 354. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Officialibus locorum, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiectorum, obſeruantiam Conſtitutionum editarum à Prędeceſſoribus, & Legatis à Sede Apoſtolica in dictis locis, ab Ægidio Cardinale Legato in vnum collectarum, cum modificationibus additionibus, & correctionibus Gabrielis Cardinalis S. Clementis & aliorum in Prouincia Marchiæ Legatorum. §. 1. & 2. Conſtitutionumq; a Pio II. & Paulo II. contra bannitos editarum. §. 3. Prohibetque eiſdem Officialibus, ne pro collatione Officiorum, quidquam percipiant. §. 4. Neque Iudicum viagijs, participent. §. 6. Proceſſus non circumducant. §. 7. Pœnas ad manus Theſaurariorum peruenire non impediant. §. 8. Cauſas in prima inſtantia non auocent. §. 9. In cauſis commiſſarijs nihil petant. §. 10. Iſtaq; bulla quotannis publicetur. §. 11. Conſtitutioneſque prædictæ, Egidianæ nuncupatæ, in omnibus locis, abſque tamen præiudicio Statutorum, atque conſuetudinum eorum, & etiam in Vrbe obſeruentur. §. 12. Contrarijs non obſtan. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. An dictæ conſtitutiones ſint ſeruandæ in litibus, cauſiſq; Eccleſiaſticis?

RESP. Non, quia Ægydius fuit Legatus ad gubernium temporale, vt dignoſcitur ex Conſtitut. 1. Innoc. VI. qui eum creauit Legatum fol. 217. Bullar. & ita firmauit Rota vt deciſ. Seraphini 424. in nouiſſimè impreſſis, & antea in alia Rubei deciſ. 124. impreſſa poſt. tract. Stanl. Pacifici de Salu. interd. pag. 550. in primo impreſſis, & in altera Blanchetti 126. ibid. impreſſa, pag. 551.

Schol. ſecundum.

Quæro. Et in terris Romanæ Eccleſiæ mediatè ſubiectis, ſeruandæ ſunt?

RESP. Non, quia in exordio huius Bullæ expreſsè loquitur de locis immediatè ſubiectis, & ita dixit Rota in deciſ. 182. & in deciſ. 187. lib. 3. par. 3. Diuerſorum.

XVI.

Edita Anno 1478.

DIuina æterni Dei ſapientia, & infra pagina 356. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius II. Collegium ſeptuaginta Abbreuiatorum literarum Apoſtolicarum, certis aſſignatis emolumentis, pro expeditione contra Turcas impendendis, inſtituit. §. 1. Paulus autem II. reſtituta eiſdem pecunia reuocauit ibidem. Hic Pontifex vt debitus ordo in expeditione literarum Apoſtol. rectius obſeruetur d. Collegium Abbreuiatorum 72. renouat. §. 4. Quorum duodecim de Parco maiori, & vigintiduo de Parco minori, & reliqui examinatores nuncupantur. §. 4. & 5. Hæc officia compatibilia cum alijs Officijs Romanæ Curiæ eſſe decernit §. 6. Probique Viri, & in officio Abbreuiatoris inſtructi, vel idonei, vt inſtruantur ad ea eligantur. §. 7. Habitum adinſtar Scriptorum dictarum literarum deferre indulget. §. 8. Emolumenta aſſignat. §. 9. & ſeqq. Supplicationes diſtribuantur inter eos, §. 13. Quædam eis emolumenta concedit. §. 14. & 15. Et capellam, & Altare habeant in domo Vicecancellarij Papæ. §. 16. In admiſſione ad Officia ſoluant iocalia. §. 17. Officia eorum reſignabilia ſint. §. 18. Priuilegijs Scriptorum perfruantur. §. 19. Collegium ſtatuta pro eo condere poſſit. §. 20. Tranſumptis huius Bullæ, & priuilegiorum Scriptorum credatur. §. 21. Abbreuiatores Laici vxorem ducere poſſint §. 22. Vicecancellarius deputet Vicemregentem Cancellariæ, qui commiſſiones examinet, & cæt. §. 23. Diſponitque de 21. Officijs Abbreuiatorum. §. 25. Reliqua ad Papam pertineant. §. 27. Vicecancellarius prędictorum executor deputatus. §. 29. Clauſulæ preſeruatiuæ apponuntur. §. 30. Quibuſcumque non obſtan. §. 31.

Schol. primum.

Quæro. Abbreuiatores de Parco maiori, in quo differunt ab Abbreuiat. de Parco minori?

RESP. Illi ex ſupplici libello ſignato, literas Apoſtolicas gratioſas ſignare, quarum dictatura vocari ſolet minuta, & tandem Bullam expeditam examinant, ſi cum ſupplicatione concordat, vt ſcribit Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 4. nu. 2. & 3. & Petrus Gregor. in Syntag. Iur. lib. 15. cap. vlt. num. 3. & qui ſubdunt, quid ſpectet ad Officium Abbreuiatorum Parci minoris.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Papa ad Abbreuiatorum Officia, requirit homines inſtructos, vt in §. 7.?

RESP. Quia etiam Rota in litibus aliqua ab Abbreuiatoribus peritis circa expeditiones beneficiorum, ſcire quærit, & eorum relationi credit, vt legitur in deciſ. 591. lib. 3. par. 3. Diuerſor. num. 5. & in deciſ. 72. Caputaq; lib. 1. in fine.

XVII.

Edita Anno 1478.

LIcet ea, quæ de mandato noſtro ritè fiunt, & infra pagina 359. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Petrus de Oſma, & alij in Hiſpaniarum Regnis, quaſdam falſas, & Catholicæ fidei contrarias propoſitiones pertinaciter defendebant, pręſertim circa peccatorum confeſſionem, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta. §. 1. Hic ideò Pont. Archiepiſcopo Toletano, earum examinationem, & Pręlatorū reductionem demandauit, & quatenus perſiſtere vellent eos hæreticos declarare. §. 2. Et ille dictū Petrum, eiuſq; ſequaces ad ſe vocari fecit, illiſq; non comparentibus, eorum propoſitiones hæreticas declarauit, Confeſſionem ſcilicet peccatorum non iure diuino compettam fore. Peccata mortalia ſola cordis contritione, prauaſq; cogitationes ſola diſplicentia deleri, & alia ſcandaloſa, quæ ſilentio prætermittuntur. §. 3. Et iſte Pontifex his in ſuo Conſiſtorio relatis, duobus Cardinalibus eaſdem propoſitiones iterum examinandas, & referendas cōmiſit, & illi ſcandaloſas eſſe Pontifici, & Cardinalibus retulerunt. §. 4. Papa igitur de conſenſu Cardinalium, geſta

à d. Ar-

à d. Archiepiſcopo confirmat. §. 5. Eaſque propoſitiones hæreticas declarat. §. 6. Eidem Archiepiſcopo, vt coñ. d. Petri ſequaces, illas hæreſes non abiurantes, & eumdem Petrum, prout errantem ſecuti ſunt, ita ſe emendantem ſequi recuſantes, tanquam hæreticos procedat. §. 7. Et hanc Conſtitutionem, dictumq; Archiepiſcopi proceſſum, & dicti Petri abiurationem publicari mandat. §. 8. Contrarijs derogat. §. 9. Sanctionem pœnalem apponit. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Cur Deus prolabi nonnullos permittit in huiuſmodi hæreſes, & errores?

R E S P. Vt viri catholici, & literati in ſacris eloquijs excitentur, atque vt ſic lapſi humiliores deinceps fiant, ac in pœnitentiæ operibus exerceantur, ſecundum Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. de Form. ſent. contra eum qui abiur. verſ. verum. & Pegna ibidem in Commentar. 44: verſ. At in ſumma addit illud tertium hæreſis commodum, quòd D. Paulus commemorat. 1. ad Corinth. cap. 11. *Vt, & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Vbi alia etiam commoda recenſet ex ſententia D. Aug. Et quæ primum dixi, ſic in facto Deum permiſiſſe videtur, dum literatorum, & Catholicorum ſtudium, & Petri abiuratio refertur, vt latius explicat Gongal. de Illeſca in 2. par. Hiſtor. Pontific. pag. mihi 113.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæreſis nomen quandiù eſt, quod electionem damnatæ ſectæ ſignificat, & quarè?

R E S P. Poſt inſtituta chriſtianæ religionis fundamenta, hoc nomen apud Chriſtianos infame eſſe cœpit, quo ſignificantur, qui contra Chriſti fidem, aut illius Eccleſiam credunt, vel docent: Quia cum lex noſtra ab omnipotenti Deo data ſit per I E S V M Chriſtũ filium eius, non autem ab hominibus electa, proinde quiſquis aliam fidem, aut doctrinam eligit, meritò hæreticus, & inſanus eſt, vt ſcribit Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. Comment. 26. verſ. Nomen verò.

XVIII.

Edita Anno 1479. EA quæ ex fidelium deuotione, & infra pagina 361. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat ſibi, pro parte Franciſci Ducis Britanniæ, & Margaritæ Vxoris Duciſſæ propoſitum fuiſſe, quod in Ducatu Britanniæ, & alijs locis innouatus eſt antiquus, & pius ille orandi ritus, videlicet centies quinquagies Aue Maria, & quindecim Pater noſter deuotè recitare, nuncupatus Pſalterium Virginis Mariæ, §. 1. Quem ritum, quia nonnulli improbant Dux, & Duciſſa ſupplicarunt Papæ pro illius confirmatione. §. 2. Qui illum approbat. §. 3. Et ita orantibus pro qualibet vice, quinque annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ, pro qualibet quinquagena dicti Pſalterij concedit. §. 4. Contrarijſque derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore, & à quo fuit primò introductus hic pius modus orandi, qui antiquus dicitur in §. primo?

RESP. B. Dominicus Prędicatorum Ordinis inſtitutor introduxit, vt inquit Genitor meus in rubrica huius bullę, & cauſa introductionis refertur a Pio V. tibi per eum indicatus: Annum verò 1200. deſignat Nauar. de Oration. in Miſcellan. 23. num. 16. licet quidam putent de tempore Leonis IV. qui anno 847. ad Pontificatum aſcendit, & ſic antiquitus inductum, vt recenſet Soar. de Orat. lib. 3. cap. 9. num. 12.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur credis in Prouincia Britanniæ, deuotionem ſic orandi eſſe pręcipuam, vt Duces Papæ narrarunt?

RESP. Quia cum cœpiſſet hic modus orandi ferè omitti anno 1460. Beatiſſima Virgo apparuit in rupe Britanniæ P. Alano Fratri d. Ordinis Sancti Dominici egregio Doctori, & egregiè ſibi deuoto, illum adhortando, vt magna cura, & ſtudio per ſuam, ſuorumq; Fratrum prædicationem dictum orandi ritum renouaret, prout renouari cœpit, & quia multi detrahebant, Duces ſupplicarunt Papæ, vt hic dicitur in conſtitutione. Hæc Nauarr. in loco mox allegato.

XIX.

SAcri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, & infra pagina 361. *Item*. Expoſuiſti nobis, & infra pag. 363. Bullarij. Edita Anno 1479. & 1481.

COMPENDIVM.

Enunciat merita, & laudes Ordinum S. Dominici, & S. Franciſci in princip. Indulgentias, eorum Eccleſias viſitantibus, concedit. §. 4. Et facultatem eligendi confeſſorem. §. 5. Authoritatem, Prælatis Ordinis datam abſoluendi Fratres, reſtringit. §. 6. Et poſtea declarat in §. 2. conſtit. huic annexæ. Gratias, Ordinum Sororibus, & Tertiarijs communicat §. 7. Iubet non moleſtari ſuper collectione eleemoſynarum, & pręedicatione. §. 8. Poſſint ſepelire mortuos cum habitu recepto à Prælatis eorum. §. 9. Habentes beneficia, non gaudent priuilegijs abſque licentia Prælatorum. §. 10. Generales puniunt Fratres etiam ſeruientes Inquiſitioni. §. 11. Inquiſitores vnius ex iſtis Ordinibus, contra Fratres alterius, non procedant. §. 12. Concedit eiſdem priuilegia aliorum Ordinum Mendicantium. §. 13. Perturbatoribus pœnas indicit. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Hæc bulla eſt nè illa, quam Fratres Minores Mare magnum vocitant?

R E S P. Non iſta, ſed quæ ſupra eſt ſub num. 6. vbi hic Pont. omnia ferè, & ampliſſima quidem priuilegia Ordinis, etiam à Prędeceſſoribus elargita, edidit. Et ita dicunt omnes ſuper priuilegijs Mendicantium ſcribb. & poſtremo Eman. Rodet. Quæſt. Regul. quæſt. 7. artic. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Non moleſtat quis collectorem eleemoſynarum in actu collectionis, de qua in §. 8. Sed ante collectionem, vt puta perſuadet non dari Fratribus eleemoſynas, ante tempus collectionis; quid ergo dicen?

R E S P. Incidit in hanc Bullam, quoniam contrauentores priuilegiorum iſtorum Ordinum dicuntur etiam illi, qui indirectè illis contraire audent, cap. Quanto 26. cum ibi not. de Priuileg.

XX.

Edita Anno 1408. ET ſi de cunctarum Ciuitatum temporali dominio, & infra pag. 364. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendam Vrbis omnem deformitatem, eiuſque ornatum ampliandum, dat facultatem Camerario, & Magiſtris Viarum cogendi vicinos, ad venden domos locari ſolitas alijs vicinis, quorum domus pro dirigendis vijs demoliuntur. §. 2. Statuit quid agendum, pluribus ad hoc vicinis concurrentibus. §. 3. Et quid ſi plures habeant domos dirutas. §. 4. Domini domus cogantur eas vendere, pro constructione platearum, & nouorum ædificiorum, §. 5. Quis pręferendus, pluribus ædificare volentibus. §. 6. Contra recuſantes vendere quid faciat Camerarius, & Magiſtri Viarum. §. 7. Aedificare volentes quid implere teneantur. §. 8. Vendere volentes, tenentur vendere vicinis, alioquin venditiones nullæ ſint. §. 9. Contrarijs derogat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Venditiones factæ alteri, quam vicino ſunt nullæ ipſo iure, vel potius vicino id volente?

R E S P. Volente vicino, & non aliàs, quia de eius commodo Papa cogitauit, & ſic de hac Bulla loquendo, tenuit Rota in deciſ. Put. 8. lib. 1. nu. 1. vbi allegat ſimile de prohibitione Emphyteutæ non alienandi irrequiſito Domino, non enim alienatio irritatur, niſi eo volente Iaſ. in l. 2. Cod. de Iur. Emphyt. in 5. notab. & deinde hoc ampliat etiam ſi annullaretur à Bulla ipſo iure alienatio iux. deciſ. 2. Caſſad. de Loc. & cond. nu. 6. Pariſ. de Reſign. Benef. lib. 3. q. 4. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid venditor teneatur requirere vicinum?

R E S P. Hæc Bulla non dicit, & propterea non tenetur, vt conſulendo ſic in terminis huius Bullæ tradit Pariſienſ. conſ. 123. lib. 4. num. 4. & Anton. Bard. in Comment. huius

Bullæ

Bullæ quæſt.6. Et hinc eſt, quod Gregorius XIII. in ſua conſtitut.22.§.8. Venditorem expreſſe inquit, vicinum requirere debere.

Edita Anno 1482.

XXI.

SVperna cæleſtis Patria, & infra pagina 366. Bullarij.

COMPENDIVM.

Lætatur Pontifex, lætariq; debent vniuerſi Chriſtifideles, de Canonizatione S.Bonauenturæ, §. 1. & 2. Qui multis virtutibus, & miraculis claruit, §. 3. Ordinis S.Franciſci profeſſor fuit, §.4. Doctrina præfulſit, §. 5. Humilitate, & innocentia emicuit §.6. Generalis dicti Ordinis eique, & Fratribus maximo adiumento fuit, §.8. Cardinalis, & Epiſcopus Albanẽ à Gregor. X. creatus fuit, § 9. Concilium Lugdunenſi præfuit, & profuit, §. 10. Et vſque ad obitum multis virtutibus floruit, §.11. Poſt obitum miraculis illuſtris fuit, §. 12. Imperator, & alij Principes, & Ciuitates pro eius canonizatione apud hunc Pont. inſteterunt, §. 13. Qui canonizationis proceſſum tribus Cardinalibus commiſit, §.14. Poſtea reiterari iuſſit, §. 15. Cardinales pro Canonizatione votum dederunt, §.16. Papa in Conſiſtorio publico, orationes, & ieiunia indixit, §.17. Prælati poſtea votarunt pro canonizatione, §.18. Papa tandem illum Cathalogo SS.Confeſſorum adſcripſit, §.19. Feſtum pro Dominica 2. Menſis Iulij inſtituit, §. 20. Feſtum duplex in Ordine S. Franciſci agi iubet, d.§. 20. Eccleſiam, vel ſepulchrum eius viſitantibus indulgentias elargitur, §.21. Et etiam Eccleſiæ SS.Apoſtolorũ de Vrbe, §.22. Fratres Minores in Vniuerſitate Pariſienſi ijs gaudere indulget gratijs, quibus ijdem perfruuntur Fratres Prædicatores, §. 23. Hortatur omnes orare apud S.Bonauenturam pro exaltatione, S.R.E.§.24.

Schol. primum.

Quæro. Miracula, quibus S. Bonauentura claruiſſe dicitur in §.12. quis me poterit edocere?

RESP. Octauianus de Martinis Sueſſonus aliqua recenſet in luculenta eius oratione coram hoc Pont. in Conſiſtorio hac de canonizatione habita, quam deſcribit Sur. de Vit.SS. ſub die 14. Iulij. Plura quoque S. Antoninus in 3. par. tit. 24. cap. 8. & 9. & copioſius Chron. Franciſcan. vt meminit Baron. in Martyrolog. ead. die: Nonnulla deſcripſit etiam Ciacon. in Vita Greg X.

Schol. ſecundum.

Quæro. Alias de hac Canonizatione literas eiuſdem Pontificis extare audiui, credis nè verum?

RESP. Alienũ à veritate puto dum iſtæ à Genitore meo collectæ tantummodo in 2. Tom. Opuſculorum S. Bonau. perlegantur, quas citat etiam Baron. vbi ſup. Et hinc corrigendus videtur Ciacon. qui in Vita huius Pont. dicit die 28. Aprilis 1582. Cathalogo SS.S. Bonauenturã adſcripſiſſe, cum ex hac conſt. dies fuerit 14. Menſis Aprilis 1582.

Edita Anno 1483.

XXII.

REligionis Zelus, & infra pagina 366. Bullarij.

COMPENDIVM.

Agit de forma eligendi Magiſtrum Generalem, alias Commendatorem Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, §.1. Et etiam Protectorem §. 2. Commendatori præcipit, vt de Hoſpitali expoſitis diligenter curet. §. 3. Hoſpitale, & eius membra eximit à ſolutione gabellarum, aliorumq; onerum § 4. Et à ſuperioritate, & iuriſdictione omnium, præterquam Commendatoris §. 5. Gratias, & Priuilegia Monachorum Congregationis Caſſinẽ Hoſpitali communicat §.7. Contraria quæcumque remouet, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Infans expoſitus Hoſpitali, de quo habetur in §. 3. cuius loci ciuis dicetur?

RESP. Si eius pater, & mater ignorantur, erit Ciuis illius Ciuitatis, vbi extat Hoſpitale, tex. eſt in l. 1. & ibi not. per Bart. ff. ad Municipal. num. 21. Angel. in l. Hæres 19. §. 2. ff. de Iudic. in fine, & ſequitur Boer. deciſ. 13. num. 41.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid in tit. de Infantib. expoſit. in Cod. & Decretal. infantes exponere, vetitum fuerat?

RESPON. Vtique; Exponere, ſiquidem eo loci intelligebatur pro abijcere contra officium pietatis. & quaſi alimenta denegare; Hic autem permiſſum eſt, exponere Hoſpitali. vt in eo expoſiti, piè alantur, ac bonis moribus, & virtutibus imbuantur, quod patet etiam ex Innocentij III. bulla 7. ſupra pag. 10.

XXIII.

Edita Anno 1484.

QVoniam nonnulli iniquitatis filij, & infra pagina 369. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, hactenus Summi Pœnitentiarij literis, plenè credend. fore, abſque eo, quod nõ habeant inſertas eius facultates, & mandatum Papæ, in eis enunciatum, §. 1. & ſeqq. Et declarat eius authoritatem alijs delegari poſſe, etiam in his, quæ ſpectant ad forum conſcientiæ §. 5. Eiuſq; literas in vtroq; foro probare, & ſuffragari §.6 Contrarium attentantibus pœnas infligit, § 7. Contrarijs omnibus derogat, § 9.

Schol. primum.

Quæro. Hoc Officium eiuſq; dignitas, quo tempore, & à quo introductum fuit?

RESP. Benedictus II. qui ad Papatum aſcendit anno 685. introduxit, & reſedit ab initio in ſimplicibus multæ ſcientiæ, & immaculatæ vitæ Confeſſoribus: Deinde illud munus quindecim Cardinales ſubiere, & tandem vni Cardinali demandatum fuit, vt hæc omnia aſtruit doctiſſimus Gomez in proœm. Regular. Cancellariæ, cuius fidei omnino ſtandum eſt, cum ipſe Pœnitentiariæ Regens fuerit. Quibus addo, quod ex clem. 2. de elect. §. 1. patet, quod vſque ad tempora Clem. V. plures erant Pœnitentiarij.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hoc idem Officium expirat morte Papæ?

RESP. Non expirare decreuit Clemens V. in cap. 2. §. 1. de Elect. quia tunc verſabatur circa pœnitentias, ſeu caſus pœnitentiales, vt notat Zabar. nu. 5. in fine, & idem ſcribit Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi, par. 4. conſid. 17. & Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Curiæ lib. 1. cap. 2. in fin. Sed cum poſtea cœperit verſari etiam circa nonnulla alia fori exterioris, vt notat Veſtr. vbi ſup. num. 42. Ideò circa hæc expirare decreuit Pius IV. in ſua conſtitut. 55.

XXIV.

Edita Anno 1484.

CVra paſtoralis officij, & infra pag. 371. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſanguinei, vel affines, vſq; in quartum gradum reorum, qui pro aliquo crimine in Statu Eccleſiaſtico condẽnati haberi non poterunt, compellantur emere illorum bona confiſcata, ſi confiſcata ſint, vel pro concurrenti quantitate, ſi in aliqua quantitate illi condemnati fuerint § 2. Cõſanguineis autẽ non extantibus, vel impotẽtibus, Vniuerſitates locorũ cogantur, ſi condemnationes ad fauorem Cameræ Apoſtolicæ ſunt ceſſuræ, § 3. Et ſi condemnati habẽt parentes ſub quorum ſtant poteſtate, teneantur illi pro filijs vſque ad quantitatẽ legitimæ, quæ tunc eis deberetur, morientibus ipſis parentibus, §. 4. Obſtantia irritat §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi condemnatus quoque habet filios?

RESP. Tunc non intrat diſpoſitio huius conſtitutionis in §. 4. quæ condita videtur in odium, & pœnam delinquẽtis, non autem eius filiorum, vt copioſe in terminis huius bullæ oſtendit Thob. Non. in conſ. 95. per totum quem ſequitur Honded. conſ 74. lib. 2. num. 2. vbi deciſiones, & doctrinas ad hoc multas congerit, & præſertim Lud. in deciſion. Peruſ. 11. num. 27. qui pariter de hac, vel ſimili conſtitutione, aut ſtatuto loquitur, & ſubdit Honded. in fine, ſic Peruſij primum, & poſtea Romæ in Rota iudicatum fuiſſe die 31. Martij 1596. coram R.P.D. Blanchetto, in qua cauſa ſcripſiſſe, & in Rota obtinuiſſe, inquit Farinac. quæſt. 24. nu. 172. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi condemnatus ſit filius arrogatus, vel ſpurius?

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Primo caſu hanc Bullam Sixti non intelligi de filio arrogato, ſi delinquat; In pœnalibus namque filij appellatione non venit arrogatus, ſed natus, conſulendo tenet Tob. Non. in conſ. 100. num. 4. & ſeqq. & latius Eugen. conſ. 49. num. 5. & ſeqq. Secundo autem caſu eadem ſententia negatiua ex eo probatur, quod ſpurius non eſt in poteſtate patris, vt loquitur conſtitutio, ita in terminis huius Bullæ, reſpondet Honded. in conſ. 95. lib. 1. nu. 84. & 114. & ſeqq. vbi plenè, & Caball. caſu 250. num. 18.

INNOCENTIVS VIII. Italus, creatus anno 1484.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1484.

SVmmis deſiderantes affectibus, & infra pag. 371. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in partibus Alemaniæ ſuperioris, pleriq; cum dæmonibus abutebantur, multaſq; incantationes, & ſortilegia ac alia mala committebant, & nonnulli dubitabant, Inquiſitores hæreticæ prauitatis, contra illos procedere poſſe, § 1. Hic Pont. contrarium declarat, §. 2. Illiſq; prędicandi verbum Dei, & alia in præmiſſis opportuna faciendi, facultatem tribuit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Iſtæ literæ, quæ diriguntur ad Inquiſitores Alemaniæ extendunt ſe ad alios Inquiſitores?

R E S P. Extendi oſtendit Spineus in ſuo Tract. de Strigib. cap. 3. & additionibus, inquens de iſtamet Bulla, pluresq; rationes adducit, & ei adhæſit Pegna in ſua adnotatione ad hanc eamdem bullam impreſſam poſt Director. Inquiſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſtam iuriſdictionem concedit fortaſſe hic Pont. vel Inquiſitores iam habebant?

R E S P. Veritas eſt, quod eam habebant, ſi ſortilegia, & alia maleficia manifeſtam ſapiebant hæreſim, vt habetur in cap. Accuſatus, 8. §. Sanè de Hæretic. in 6. Et Pontifex illud vnum dumtaxat mihi efficere videtur, quod declarat ſortilegia, & alia mala hic enunciata, ſapere d. hæreſim, & remouet impedimenta, quæ deſuper Inquiſitoribus inferebantur, quod ſentit etiam Spineus proximè citatus.

I I.

Edita Anno 1484.

ALto diuinæ prouidentiæ conſilio, & infra pagina 372. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſterium Vallis Vmbroſę conſtituitur caput totius Congregationis Monachorum Vallis Vmbroſæ, ſub vno Abbate Generali, nuncupando Vallis Vmbroſæ §. 15. & 16. Qui Abbas ſit perpetuus, cæteri vero temporales, §. 17. Capitulum generale ſingulis annis celebretur, in eoque ipſe Abbas præſideat, octoque eligantur Diffinitores, §. 18. Qui totum repræſentent Capitulum cum omnimoda poteſtate, §. 19. Quam exercet Generalis Abbas, cum maiori parte Diffinitorum, §. 20. Alij Abbates, & Priores annatim eligantur in d. Capitulo, §. 21. Viſitatoreſque ibidem conſtituantur ad executionem ordinationum Capituli, §. 22. Generalis, & Viſitatores de Prælatis dicti Congregationis diſponere poſſint, §. 23. Capitulum non diſſoluatur antequam locus pro alio deputetur, §. 24. Monachi tranſlati dicantur profeſſi eius loci, ad quem trãſlati ſunt, §. 25. Abbates antiqui Priuilegijs ſuorum Monaſteriorum vti poſſint, §. 26. Commendatarij ad fauorem Congregationis de licentia Sedis Apoſtol. cedere poſſint, §. 28. Loca ceſſa ſoluant quindennia Cameræ Apoſtolicæ, §. 29. Regimen Congregationis ſit Prælatorum eiuſdem, §. 30. Monaſteria alijs commendari prohibetur, §. 31. Prælati ingredientes Capitulum officijs abſoluti cenſentur, §. 33. Generalis, & Diffinitores de Abbatijs, & Prioratibus vacantibus diſponant, §. 34. Prælatura non accedentis ad Capitulum vacet, §. 35. De ea prouideat Generalis, cum Viſitatoribus, §. 36. Et etiam de vacantibus inter Capitula, §. 37. Prælati perpetui, vt cedant ad fauorem Congregationis, §. 38. Generalis Abbatis in omnes omnimoda eſt iuriſdictio, §. 39. Vallis Vmbroſæ priuilegia confirmantur, §. 40. Generalis, cum Diffinitoribus, deputet profeſſum ad ſcriben. acta Capituli, §. 41.

Schol. primum.

Quæro. Poteſtatem, de qua in §. 19. nonnè habebat de iure Canonico in ſuos Monachos?

R E S P. Non, niſi quoad diuini cultus reuerentiam, & vtilitatem Monaſterij, vt explicat Roder. tom. 2. quæſt. Regul. 63. art. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt nè talis hodie poteſtas Abbatis in Monachos, vt etiam contra regulam poſſit aliquid contra eos innouare.

R E S P. Non, vt per tex. in cap. Cum in Eccleſijs 10. de Maiorit. & obed. tenet Gemin. in conſ. 135. num. 2.

I I I.

Edita Anno 1484.

APoſtolicæ Cameræ, ex qua non modo, & infra pagina 376. Bullarij.,

COMPENDIVM.

Pius II. decreuit, quod obligati in Camera Apoſtol. pro annatis beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſi in termino præfixo, non ſoluerent, in excommunicationis ſententiam inciderent, & priuationis beneficiorum, §. 1. Sed quia impetrantes beneficia ſic vacantia, lites multas patiebantur, ideò exactio dictarum annatarum retardata fuit, §. 2. Hic Pont. ideò Pij II. Conſtitutionem innouat. §. 3. Debitoribus annatarum ad ſoluendum, dilationem concedit. §. 4. Quia elapſa non ſoluentes, illas pœnas incurrere decernit, §. 5. Solutio autem annatæ inſtrumento probari debet. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Annata de qua hic agitur, ſoluitur nè etiam de penſionibus?

R E S P. Quicquid de iure communi dici poſſet, ex ſtylo Romanæ Curiæ ſoluitur, vt cuique notiſſimum eſt, quia penſio de fructibus beneficij extrahitur. Intellige tamen de penſionibus, prout de beneficijs, quæ excedunt valorem ducatorum ducentorum auri de Camera, vt euidentius fuit, poſteà deciſum à Clem. VII. in ſua conſtitut. 33. Cum ſicut in Bullar. pag. 606.

Schol. ſecundum.

Quæro. In ſolutione Annatæ de beneficijs, valoris vltra ducat. vigintiquatuor, habetur nè reſpectus ad diſtributiones quotidianas?

R E S P. Negatiuè; illæ etenim non veniunt appellatione fructuum, de quibus ſoluitur annata, quia dantur reſidentibus tantum, vt poſt alios ſcripſit Gonzal. ſuper 8. reg. Cancell. §. 7. in procem. num. 166. & ſequentibus vbi propterea ſubdit, Canonicos S. Petri de Vrbe non ſoluere annatam, quia conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, quæ dantur his, qui horis interſunt, vt habetur in cap. 10. de præbend. inter Extrauagan. Commun. verſ. Licet.

I I I I.

Edita Anno 1485.

CVm ſicut accepimus nonnulli, & infra pag. 376. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam dubitarunt, ſi in cauſis, in quibus intereſſe Cameræ Apoſtolicæ reſultare poteſt, ſolemnitates iudiciales, & iuris poſitiui contra Clericos dictæ Cameræ, prout in alijs Tribunalibus Vrbis ſeruari ſolent, ſeruari deberent, §. 1. Ideò Pontifex in his cauſis ſummariè ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſola facti veritate inſpecta procedi poſſe decernit, §. 2. Contrarijſq; derogat. §. 3.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. Quid important d. clauſulæ *ſummarie*, &c. procedendi?

R E S P. Multa operantur, quæ potius tractatum, quam breuiloquum ſermonem meum requirunt; de eis tamen vltra Bart. in extrauag. Ad reprimendum in verbo Summarie, & verbis ſeqq fuſe tradit Oſaſc. in deciſ. 1. Pedemont. per tot. Marcheſ. de Commiſſ. par. 1. cap. 8. num. 50. & Tuſch. in verbo Summarie concluſ. 491. cum ſeqq. apud quos, & alios ab eis congeſtos, quam multos diſces effectus eiuſmodi Clauſularum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc facultas ſummarie procedendi, intelligitur in omnibus inſtantijs, an in prima tantum?

R E S P. In omnibus, quia eadem ratio intereſſe Cameræ in eis militat; & tamen eſt certiſſimum, quod ſemel data Commiſſio ſummarie, &c. procedendi, ſeruit pro omnibus inſtantijs, Caſſad. de Reſcript. deciſ. 8. num. 1. Bellam. deciſ. 41. & 525. Vaor. de Nullit. ex defect. proceſ. num. 58.

V.

Edita Anno 1485.

CVm ab Apoſtolica Sede, ad quam, & infra pagina 377. Bullar.

COMPENDIVM.

Reuocat conceſſiones Iuriſpatronatus cuicumque à Roman. Pont. ad beneficia electiua emanatas ab annis 25. citra. §. 2. Et ad beneficia non electiua irritat quatenus, qui impetrarunt, fructus eorum ad medietatem veri valoris non auxerint, vel Eccleſias de nouo in eis non ædificarunt, ſeu funditus deſtructas non reædificarunt, vel loca, ſeu fundos ad eas ædificandum non conceſſerunt. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Cur hoc ius nuncupatur Patronatus?

R E S P. Quia ſicut Pater ducit filium de non eſſe, ad eſſe ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione, ita etiam dicen. eſt de eo, qui fundat Eccleſiam, quoniam deducit ad eſſe, vel dotat, quoniam deducit ad bene eſſe, ita tradunt Zabar. Ioan. Andr. Panormit. & alij, in rubric. de Iur. Patron. & alij quos congerit Lambert. de Iur. Patron. lib. 1. in 2. artic. 1. quæſt. princ. num. 8. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Reædificare Eccleſiam, nonnè ille dicitur, qui tecto, aut pariete carentem reſtaurat?

R E S P. Non equidem niſi ſit deſtructa in totum, vt fuſe ſcribit Berous conſ. 4. lib. 1. num. 27. & ſeqq. vbi hanc veriorem ſententiam eſſe affirmat. Quinimò ipſa reædificatio debet eſſe de materia non vili, vt puta ſi fieret tectum de cannis, Rota deciſ. 306. par. 1. Diuerſ. num. 1. & 2. vbi hoc idem ſub num. 5. diffinitur, de reparante fundum Eccleſiæ, & reducente ad culturam, quia hoc non eſt dotare Eccleſiam, ſed eius dotem, ſeu Fundum meliorare, vel augere Gemin. conſ. 32. in fine. Rota deciſ. 457. lib. 1. Diuerſ. num. 18.

VI.

Edita Anno 1485.

CIrcumſpecta in omnibus actibus ſuis, & infra pag. 378. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Auditores Rotæ, poſt multos eorum labores cō digna meritis præmia reportare cōſueuiſſe, & ad Eccleſias Cathedrales, aut Metropolitanas promoueri in prin. Decernit officium Auditoratus Rotæ vacare per Auditoris promotionem eiuſmodi, vt paſtorali officio incumbere poſſit. §. 2. Ita iudicari iubet §. 3. De Auditoratu ſic vt ſupra vacante ſtatim à Papa prouideri poſſe decernit, §. 4. Contrarijſq; derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Ex hoc, quod hic dicitur de laboribus Auditorum, quid aliud, quam futura remuneratio inferri poteſt?

R E S P. Quod eorum priuilegia non veniunt in generali derogatione, quacumque verborum expreſſione concepta, late Roman. conſ. 436. num. 1. 10. & ſeqq. vbi in 1. apoſtilla Mandoſ. adducit concord. & nouiſſime Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. gloſ. 9. §. 2. num. 49.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod Reuerendiſſimus Dominus Franciſcus Sacratus Ferrarienſis, quamuis à Paulo V. ad Archiepiſcopatum Damaſcenum de menſe Nouembris 1612. promotus, adhuc ſedet in Rota?

R E S P. Ex ſpeciali ipſius Pauli ſindulto, quod non contradicit rationi huius Bullæ, de qua in §. 2. quia eiuſmodi Archiepiſcopatus eſt titularis in partibus infidelium non requirens reſidentiam, vt in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de Reformat. Sed mox ob eius præclara merita, Cardinalis creatus fuit à Sanctiſſimo D. N. Gregor. XV. die 15. Aprilis currentis anni 1621.

VII.

Edita Anno 1485.

APprimæ deuotionis affectum, & infra pag. 379. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Petrum de Vicentia eius Capellanum, in Auditorem ſui Camerarij, & cauſarum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ cum omnibus honoribus, & oneribus conſuetis, §. 2. Facultatem ei tribuit cauſas delictorum cuiuſcumque Curialis cognoſcendi, §. 3. Cauſaſque omnes tam ciuiles, quam criminales, & mixtas in Curia mouendas. §. 4. Et cauſas appellationum à ſententijs iudicum Vrbis, & Status Eccleſiaſtici. §. 5. Proceſſuumque, & ſententiarum Romanorum Pont. & cenſurarum Eccleſiaſticarum. §. 6. Contractuum quoque in Curia initorum. §. 7. Cum omni, & quacumque alia ſolita facultate, & authoritate. §. 8. Quibuſcumque non obſtan. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Videtur nè tibi ex hac Bulla dignoſci, quod vſque ad hæc tempora Auditor Cameræ, non erat Iudex Ordinarius, vt eſt hodie, ſed erat delegatus?

R E S P. Id ſuadetur ex Bulla, & expreſſe hoc tenet Bellam. in deciſ. 196. vbi ſubdit, quod propterea non poterat eius iuriſdictio prorogari, & idem affirmat in deciſ. 210. Et hinc Genitor aduertit hic in notis ſuis, illius iuriſdictionem à ſucceſſoribus Pont. fuiſſe ampliatam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Auditor Cameræ, pater Curialium millies in die vocitatur?

R E S P. Quia antiquitus erat ſolummodo Iudex cauſarum Curialium, aliàs Curtiſianorum, teſte Bellam. in deciſ. 210. in fin. & ſequitur Mandoſ. de Regu. Cancellar. in reg. 31. quæſt. 4. num. 7. Et habemus claram deciſ. Rotæ 728. in Antiq. ſecundum veterem impreſſionem fol. mihi 62. quam ad hoc citat Grauat. ad Veſtr. in Pract. Roman. Cur lib. 2. cap. 4. num. 10.

VIII.

Edita Anno 1486.

DEuotionis augmentum vobis Deo propitio, & infra pag. 380. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendam Monachis Congregationis S. Iuſtinæ de Obſeruantia Ordinis S. Benedicti, materiam Inquietudinis, mandat omnibus, quibus cauſæ authoritate literarum Apoſtolicarum de iure delegari poſſunt, vt legitimè requiſiti ad earum executionem literarum Sedis Apoſtolicæ conſeruatoriarum procedere debeant per ſe, vel alios iuxta eorum continentiam, perinde ac ſi literæ à principio eis directæ fuiſſent, & nominatim eiſdem mandatum extitiſſet, vt eas exequerentur, licet aliàs Conſeruatores eſſe nequirent. §. 1. & ſeqq. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt perſonæ quibus Sedes Apoſtolica cauſas committit?

R E S P. Bonifacius VIII. in cap. Statutum 11. de Reſcript. in 6. edixit, nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſas literarum Sedis Apoſtolicæ authoritate, aut Legatorum eius committi. Et Clemens VIII. hoc idem decreuit in ſua Conſt. 3. incipiente Sanctiſſimus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba *per ſe, vel alium* nonnè ſunt ſuperflua, cum Delegatus Papæ poſſit ſubdelegare?

R E S P.

Digitized by Google

R E S P. Non, quia idem Bonifacius VIII. in cap. vlt. §. vices de Offic. Iud. deleg. in 6. hanc facultatem Conſeruatoribus expreſsè ademit, & Scribb. ibi communiter hoc affirmant.

I X.

Edita Anno 1486.

AD Romani Pontificis ſpectat Officium, & infra pag. 380. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Multi Pontt. Ordini Monachorum Ciſtercienſium conceſſerunt exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum, & ſolutione impoſitionum. §. 1. Qui Ordo pro confirmatione huic Pontifici ſupplicauit. §. 2. Et ipſe confirmat. §. 3. Quinimò de nouo concedit exemptionem ab omni ſuperioritate, & correctione Ordinariorum, & à ſolutione ſubſidiorum etiam charitatiuorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum pro tempore imponendarum, §. 4. Contrarijs derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Confirmatio eſt ſola approbatio conceſſionis præcedentis ad cap. Inter dilectos, nu. 6. §. cęterum, de Fide inſtrum. quid ergo proficit huic Ordini?

R E S P. Multa poteſt operari, quæ longo indigerent ſermone. Vnum inter alia operatur, quod priuilegio confirmato, non cenſetur derogatum, niſi de confirmatione expreſſa mentio fiat à derogante, Alex. conſ. 30. lib. 5. in princ. & latius in conſ. 122. lib. 4. num. 7. vbi Apoſtilla dat concord.

Schol. ſecundum.

Quæro. Subſidium charitatiuum, de quo in §. 4. quid eſt?

R E S P. Eſt ſubſidium, quod ex rationabili cauſa cum charitate moderatum, Superior ab inferiore poſtulat, de quo extant vberrimi tract. duo, nepè Bartholom. Bellenc. & Remcij de Conriy, apud quos omnia ebibere poteris.

X.

Edita Anno 1485.

DIlectus filius noſter Antonius de Brixia, & infra pag. 381. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Quia Officiales Ciuitatis Brixiæ recuſarunt exequi ſententias Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, contra hæreticos latas, niſi eorum proceſſus antea vidiſſent. §. 1. Hic Pontifex aſſerens crimen hæreſis eſſe mere Eccleſiaſticum, In quiſitoribus mandat, vt infra ſex dies, ſub pœna excommunicationis, & aliis cenſuris Eccleſiaſticis illos cogant ad eas liberè exequendas. §. 2. Contrarijſque derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ante hujus Pontificis Sanctionem, in qua habetur crimen hæreſis eſſe mere Eccleſiaſticum, in §. 2. quid aſſerebant Doctores?

R E S P. Frequentiori calculo, idem tenebant, vt per Clar. in §. Hæreſis num. 4. & 6. & Roland. à Valle conſ. 10. lib. 3. num. 10. necnon Pegna, qui alios cumulat in Director. Inquiſit. par. 3. Comment. 85. pag. mihi 569.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num Romani Pontifices hoc idem iam antea diffiniuerant?

R E S P. Omnium primos (ni fallor) id ſanciuit Bonifacius VIII. in cap. Vt Inquiſitionis, 18 §. Prohibemus de Hæretic. in 6. quem tex. citant omnes DD. proxime indicati, & etiam Genitor meus ad rubr. Conſtitut. 17. Alexandri IV. in Bullar. pag. 92. tom. 1.

X I.

Edita Anno 1487.

CVm ſicut non ſine diſplicentia, & infra pag. 382. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Ad obuiandum fraudibus, prohibet ſub pœna excommunicationis, cuius abſolutio præterquam in mortis articulo Romano Pontifici reſeruatur, ne quis in literis Apoſtolicis afferat ſe talem, qualis non eſt, vt gratis ipſæ literæ expediantur. §. 1. Et ipſæ gratiæ nullæ ſint. §. 2. Iſtaque conſtitutio publicetur, d. §. 2. Contrarijs quibuſcunque derogatur. §. 3. Publicatio ſubnectitur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi de gratia expediret aliàs literas, abſque aliqua mala expreſſione.

R E S P. Adhuc ipſæ literæ nullæ ſunt, quoniam gratia à Papa hic irritatur, & conſequenter literæ nullæ ſunt, Parìſ. conſ. 77. lib. 4. num. 12. quem ſequitur Rebuff. in pract. benef. par. 2. in tit. de reſcript. etiam, & Perin. Val. nu. 65.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quô pacto poterit ipſe prouiſus, ſibi conſulere.

R E S P. Hoc totum Papæ exprimat, & impetret literas nuncupatas, perinde valere præuia abſolutione, & ſoluat pro prima gratia, & tunc dabitur ei ſecunda gratia, dûmodo non ſit alius, qui præiudicetur, vt docet practicus Rebuff. in loc. cit. & etiam Pariſ. d. conſ. 77. num. 15.

X I I.

Edita Anno 1487.

NOn debet reprehenſibilis iudicari, & infra pag. 382. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Romani Pontt. officium Secretariorum introduxerunt, quorum opera in rebus arduis vtuntur. §. 1. Eorum numerum Calixtus III. & Pius II. ad ſex reduxerunt, d. §. 1. Hic vero Pont. ad ſuſtinendas maximas impenſas pro Vrbis liberatione, ab oppreſſionibus paſſas, recepta pecunia à Secretarijs, eorum Collegium ad numerum 24. inſtituit, & auxit. §. 2. Indultis gaudere decreuit. §. 3. Statuitque inſuper condendi facultatẽ §. 4. Cardinalis Vicecancellarius locum eis aſſignet in Cancellaria, &, vt ſui corporis membra reputans congruenti honorificentia per reliquos Cancellariæ Officiales, proſequi faciat. §. 5. Palatij Apoſtolici veros Prelatos, & Papæ veros familiares conſtituit. §. 6. Locum Secretariæ in Palatio concedit. §. 7. Bullas à Plumbatoribus ad eos deferri mandat. §. 8. Literæ Apoſt. gratis pro eis expediantur. §. 9. Abſentes à Curia, vt quoad emolumentorum perceptionem pro præſentibus habeantur. §. 10. De officijs libere diſponant. §. 11. Notarij Sedis Apoſtolicæ reputentur. §. 12. Habitus, & inſignia à Vicecancellario recipiant. §. 13. Vnus ex eis à Collegio deputetur Secretarius domeſticus Papæ, §. 14. Emolumenta eis aſſignantur, & aſſecurantur. §. 15. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Oppreſſionum enunciatarum in §. 2. & liberationis Vrbis pleniorem enarrationem quis me docebit?

R E S P. Nonnulla, vltra Hiſtoricos illorum temporum, recenſet lectu digna, Ciacon. in Vita huius Pont.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ eſt præeminentia Secretariorum in Cancellaria, ex vi verborum, §. 2.?

R E S P. Chaſſan. in Catal. Glor. Mundi, par. 4. conſiderat 29. anquit eſſe maiores poſt Vicecancellarium, & eſſe ſimiles Magiſtris Scriniorum, qui diuerſis nominibus nuncupari poſſunt. Et Gig. in tract. de Crim. læſ. Maieſt. in tit. Qual. & a quib. quæſt. 21. num. 6. eos appellat Cancellarios Papæ; ſed veritas eſt, quod Prothonotarij eos pręcedunt vt Curialibus omnibus notiſſimum eſt.

XIII.

Edita Anno 1487.

FInem litibus, quæ in Palatio Apoſtolico, & infra pag. 386. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad leuationem litigantium in Rota, quaſdam edicit conſtitutiones. Et Primo, Quis Auditor dicatur præuentſe, §. 1. Quod citationes ad partis notitiam deuentæ validæ ſint. §. 2. Quod in cauſis Viduarum, & pupillorum, vel non exceden. ſummam flor. 500. procedatur, vt in beneficialibus. §. 3. Remiſſoriæ in qualibet inſtantia ab Auditore concedi poſſint. §. 4. Ad reiterationem terminorum nulliter, & malè obſeruatorum partes, eatumue Procuratores admittat. §. 5. Regeſtris de partibus credi valeat. §. 6.

Super

Super articulo grauaminis, & negotio principali procedatur refectis expenſis.§.7. Fatalia Auditor proroget.§.8.Appellationem recipiat etiam decurſo momento temporis vltra à lege prefixum.§.9. Nullitates quaſdam non attendat, §.10.Sequeſtra concedat.§.11.Deſcribatur hæc conſtitutio in libris Rotæ.§.13.Et ſingulis annis legatur.§.14.Auditori aliquid facere aſſerenti de conſilio Coauditorum credatur. §.15.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi termini eſſent ſeruati ab aliquo Procuratore, qui non eſſet, dabitur forſan iſta reiteratio terminorum, atque ſanatio, de qua in §.5.

R E S P. Dabitur virtute verbi *nulliter*, dummodo qui eam petit ſit principalis, vel legitimus Procurator, vt de hac Bulla loquens, dixit Caſſad. in deciſ. 8. de Reſcrip. nu. 10. quam citat Veſtr. in Pract. Rom. Curiæ lib. 5. cap. 13. ſub num. 1. & ſequitur Marcheſan. de Comiſſ. lib. 2. cap. 1. num. 63. in penultimo impreſſis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid hæ facultates competunt Auditori Rotæ, in cauſa ei, vti Prælato extra Rotam delegata?

R E S P. Non competere inquit Veſtr. vbi ſupra num. 5. verſ. Cum bulla, & ſequitur Marcheſ. in loco cit. num. 66. ea ratione, quod hæc bulla loquitur in cauſis in Rota vertentibus. Sed contrarium affirmare poſſum, ſi recordamur, quod Pius IIII. poſtea in ſua conſt. 59. §. 9. In Bullar. pag. 85. hanc eamdem facultatem expreſsè conceſſerit omnibus Pręlatis, & etiam Auditoribus Rotæ in cauſis extra Rotam commiſſis, quam miror doctiſſimos Viros antedictos non vidiſſe.

XIV.

Edita Anno 1488.

LIcet ea, quæ laudabili, & infra pagina 387. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, inſurrexiſſe quoſdam facinoroſos, homicidas, & bannitos ab Vrbe, qui cupientes ad Vrbem redire pro habenda ab Offenſi, vel occiſi hæredibus pace, ſine qua redire non poſſunt, peiora ſe facturos minātur, niſi pacem cum eis faciant, §.1. Omnibus ergo iſta minantibus, vel minas, & ambaſiatam huiuſmodi ſcienter afferentibus graues pœnas indicit. §.2.

Schol. primum.

Quæro. Facinoroſus quis propriè dicitur?

R E S P. Qui in criminibus frequenter verſatur, Nauar. conſ. 59. incipien. Quidam de Sent. excom. lib. 5. num. 2. ſecundum impreſſionem Brixien. vbi quod ſubdit de Franchicijs in Vrbe: ſcias etiam ante hæc tempora fuiſſe Deo dante, & Pontificum authoritate penitus ſublatum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Pax habenda ab hæredibus, ſufficit ne ſi à maiori parte eorum habeatur?

R E S P. Controuerſa eſt admodum iſta quæſtio; ſed affirmatiua opinio videtur magis æqua, & magis communis Ioan. de Amic. conſ. 88. num. 6. & ſeqq. vbi declarat quæ dicatur maior pars hæredum, & poſt alios Farinac. quæſt. 14. ſub num. 15.

XV.

Edita Anno 1489.

QVoniam intelleximus, quod nonnulli, & infra pagina 387. Bullarij.

COMPENDIVM.

Mercatores, qui ad Ripas Vrbis victualia, & mercimonia per Mare, & ex Ciuitate Vetula per terram conducere ſolent, ab hoc exercitio retrahuntur, ob dilationes quinquennales, vel ſimiles eorum debitorum dari ſolitas, & ob eorum appellationes ad alios Iudices, quam ad Cam. Apoſtolicam. Ideò hic Pont. pro conſeruanda Vrbis abundantia illas dilationes prædictis dari prohibet. §. 1. Et ad ſolam Cam. appellari permittit. §.2. Et huic Conſtitutioni, non niſi certa adhibita forma, derogari vetuit §.3.

Schol. primum.

Quæro. Quid venit appellatione victualium, de quibus hic?

R E S P. Omne id, quod ad vitam hominis eſt neceſſarium l. verbo Victus 4. ff. de Verb. ſignificat. cum alijs vulgatis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid putas de Sclauis Turcis, qui nobis ſeruiunt?

R E S P. Non veniunt, vt clarè habetur in l. Mercis 207. ff. de Verbor. ſignif. vbi gloſ. in verbo Mangones inquit, quod ſeruorum comparatores, non dicuntur mercatores, ſed vænalitiarij, & cum ea tranſeunt ſcribb. ibidem.

XVI.

Edita Anno 1388.

INter deſiderabilia cordis noſtri, & infra pag. 338. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam inſtituerunt in Vrbe Confraternitatem ſub inuocatione S. Ioannis Decollati, ad piè confortandum, & ſepeliendum condemnatos ad mortem, & Eccleſiam in honorem S. Ioannis ædificari curarunt, §.1. Eamque Piorum eleemoſynis perficere, & Capellanum ad condemnatorum confeſſiones audiendas, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando tenere intendentes ſupplicarunt Papæ pro approbatione, §.2. Qui d. Confraternitatem approbat, & ſepulturam damnatorum, cuiuſuis licentia ſuper hoc minimè requiſita, in illa Eccleſia concedit. §.3. Capellano dat facultatem damnatos conſolandi, eorum confeſſiones audiendi, & Euchariſtiæ, & alia Sacramenta petita ab eis, miniſtrandi, §.4. Confraternitati authoritatem Statuta condendi tribuit, §. 5. Confeſſoremque, qui Confratres abſoluat, &c. deputandi licentiam concedit, §.6. Priuilegiumq; fori A.C. elargitur. §. 7. Hæreditates damnatorum (ſine præiudicio Fiſci) etiam ex minus ſolemni diſpoſitione habere permittit. §.8. Indulgentias viſitantibus Eccleſiam impartitur. §.9. Quibuſcunque non obſtantibus, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Quam vim habent illa verba *cuiuſuis licentia minime requiſita*, de quibus in §.3.?

R E S P. Releuant Confratres ab onere petendi, & obtinendi licentiam ab ipſo Papa, vel à Iudice, qui tulit ſententiam ad text. in l. 1. ff. de Cadauer. punitor, & tradit Clar. in quæſt. vlt. num. 1. Gomez. in tit. de Delict. cap. 14. n. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa facultas Sacramenta miniſtrandi damnatis ad mortem, vt in §.4. extendit ſe ad extremam vnctionem?

R E S P. Non, niſi eiuſmodi damnati eſſent ita infirmi, vt abſque miniſterio Iuſtitiæ, iudicio Medicorum eſſent in periculo mortis ex ipſa infirmitate, vel ſenectute, quemadmodum nec nauigaturis, aut bellantis datur, eo quod non imminet eis mors ex defectu naturæ; vt ex S. Thoma, docet Sylu. in ſua Summ. §. Vnctio quæſt. 5. Clar. quæſt. 99. num. 3. Couarr. Var. reſolut. lib. 2. cap. 1. num. 11. & Pegna, qui de communi teſtatur in Director. Inquiſit. par. 3. Comment. 159. verſ. Non tamen.

XVII.

Edita Anno 1491.

OFficij noſtri debitum, & infra pagina 389. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat multis modis executionem citationum, & expeditionum Rom. Curię Iudicum, impediri §.1. His ergo, contra quos cauſæ in Curia Romana commiſſæ ſunt, eiuſmodi impedimenta præſtantibus, amiſſionis iurium ad cauſam, & inhabilitationis pœnam infligit, §.2. Alios verò quos cauſa non tangit, eorumque fautores excommunicat. §.3. Notarioſque executionis inſtrumenta dare recuſantes alijs pœnis innodat. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Curia Romana, de qua loquitur hic Pontif. in §.2. vbi eſſe dicatur.

RESPON. Idem eſt Curia Romana, & Curia Papæ, & ideo iſta Curia eſt, vbi Papa reſidet cum ſuis Officialibus; non autem ſi quo eat, citò rediturus, & non cum ſua audientia Anchar. in Clem. Ne Romana, §. ſanè de Elect. num. 5. Felyn. in cap. Ego de Iureiur. n. 9. Et ſic Curia Romana

eſt

Digitized by Google

eſt aliquando, vbi non eſt Papa, vt ſentit Felyn. ibid. Nauar, de dat.& promiſſ.n.29.verſ. Tertio ad finem, & ad noſtrū propoſitum Vgolin.de Cenſ.Eccleſ.par.2. in explanatione cap.8.Bullæ Cœnæ Domini,§.2.num.1.,& hæc placet,dum hic agitur de cauſis,& litibus, quæ non tractantur cum Papa,ſed cum eius Officialibus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid dicendum vacante Sede?

RESP. Vbi ſunt Cardinales, & Officiales, apud quos cauſæ tractantur, ita ſcribit Vgolinus in loco nunc citato. Quamuis contra vtrumq; quæſitum tuum, faciant quæ nouiſſimè tradit Gonzal.ſup.8.regul.Cancellar.§.1.gl. 13.

XVIII.

Edita Anno 1492.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 390. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monet, & requirit omnes, qui cenſum,aut canonem, quem pro factis ei conceſſionibus,Cam.Apoſt. ſoluere tenentur annuatim in feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vt illum d. Cameræ, & in loco d. Cameræ vbicunque pro tempore erit,perſoluant,§. 1. Monet quoſcumque,quibus vlterior dilatio ad ſoluen.data eſt,vel mandatum, vt alijs, vel alibi,quam in d.Camera ſoluant, quatenus in feſto prędicto in Camera compareant, & quare non ſoluerint docere debeant,§.2. Committit Clericis,vt ceſſantes adimplere prædicta, pœnas priuationis incurriſſe declarent, §. 3. Quibuſcunque non obſtantibus,§.4.Huius bullæ tranſumptis credi iubet,§.5.Sanctionem pœnalem apponit, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Emphyteuta, qui tenetur aliquid ſoluere annuatim, poteſt cogere Cameram ad recipiendum ſolutiones pro pluribus annis?

RESP. Non, quia intereſt Cameræ, vt fiant ſolutiones annuatim,cum per particulares ſolutiones facilius probetur dominium,l.Si certis annis 18.Cod.de Pact. cum ibi not.& ſic reſpondet Bart.in l.Eum qui,ſ.ff.de Ann. Legat. num.3.Bald.in l.2.Cod.de Iure Emphyt.num. 39. vbi poſt Cyn.& alios,ſic firmat etiam Iaſ. ſub num. 62.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi vellet ſoluere pro anno tantum,ſed ante feſtum,de quo in §. 1.

RESP. Camera non tenetur recipere,cum fuerit contentum ſub certa die ſolutionem fieri, fauore Cameræ, cuius intereſt, vnica tantum die Clericos, & Officiales ſuos inſimul coadunari ad recipiendos omnes cenſus, & non eorum partem,ad l.Qui Romæ 122. ff.de Verbor. obligat. vbi Iaſ. ita tenet ſub num.2.& alij communiter ſequuntur, & magis in terminis. Iaſ.in l.2.Cod.de Iur. Emphyt.num. 180.ad finem,& Corbul. de Cauſ. priuat.ob non ſolut. canon.quæſt.8. in princip.

ALEXANDER VI. Hiſpanus, creatus anno 1492.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1493.

INter multiplices curas, & infra pagina 391. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet omnibus, tam Laicis, quam Clericis quacunque dignitate præditis, ius ſibi dicere, coadunationes, vel caualcatas facere, vel mouere, abſque ſufficienti Papæ,vel Officialium licentia, vel per incurſiones loca Sedis Apoſt. inuadere, vel aliquem de loco ſuo extrahere, aut ad aliquā vindictam proſilire, quauis occaſione, vel cauſa, §. 1. & 2. Contrauenientibus graues pœnas infligit,§. 3. Contrarijs omnibus derogat,§.4.

Schol. primum.

Quæro. Licebit ne,furem nocturnum propria authoritate capere?

RESP. Recipit hæc Bulla interpretationem paſſiuam à iure communi,quod hoc permittit l. Ait Prætor,10.§. Si debitorem.ff. Quæ in fraudem Creditor. Marſil. in Pract. crim.§.diligenter num.128.Lancel.Conrad.de Offic.Pręt. in tit.de Furib.num.26.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi fiat aliqua hominum coadunatio, vel caualcata ad bonum finem, vtputa ad ſecurè ineundam pacem,inter duos inimicos?

RESP. Hæc bulla ad iſtum caſum non ſe extendit, per ea,quæ ſcribit Boſſ.in tit. de Crim. Læſ.Maieſtat. num. 23. Bertazz. conſ. 223. lib. 1. num.2.quem refert, & ſequitur Tuſch. in verbo Adunantiæ num.6. & idem Bertazz. conſ.76.lib. 1. num. 30. Aym.conſ.4. num. 26.ad finem. Menoch.conſ. 28. lib. 1.num.12. Alciat.conſ.364. in fine, ac Farinac. quæſt. 113.num.159. vbi tamen num. ſeq.hoc limitat non procedere his temporibus, ex Bulla Sixti V. 6. qui amplioribus vtitur verbis, Quod verum arbitror, intelligo tamen, ſi clarè non conſtaret de bono fine, prò quo coadunatio facta fuit;tunc enim non pœna bullæ Six. V.ſed alia mitiori, eos punitos vidi, quod ſentit etiam Farinac. vbi ſupra,num. 174.

II.

Edita Anno 1493.

INter cætera diuinæ Maieſtati beneplacita opera, & infra pagina 392.Bullar.

COMPENDIVM.

Ferdinandus Rex, & Eliſabeth Regina Regnum Granatæ à Sarracenis recuperarunt, in princ.Elegerunt poſteà Chriſtophorum Columbum ad inquirendum alias incolas incognitas,§.1. Et inuentæ fuerunt,§.2. Et in eis pretioſa diuerſi generis, §. 3. Studuerunt ipſi Rex, & Regina ad fidem Chriſtianam, eas gentes inducere, §.4. Ad quod hic Pont. eos enixè hortatur,§.5. Et illas inſulas, & Terras firmas à Polo Artico,ſcilicet Septentrione ad Antarticum, ſcilicet Meridiem inuentas, & inueniendas, verſus Occidentem, & Meridianum eis donat, vt ad Catholicam fidem inducant, §. 6. Sine præiudicio iuris quæſiti alijs Chriſtianis,Principibus illas poſſidentibus,§.7. Hortatur eoſdem, vt tranſmittant probos viros pro dicta conuerſione, d.§.7. Acceſſum abſque Regis licentia ad eas pro mercibus habendis,cæteris prohibet omnibus,§.8.Contrarijs derogat, §.9.Tranſumptis credi iubet, §. 10. Sanctionem pœnalem adijcit,§.11.

Schol. primum.

Quæro. Admirabilis ergo fuit hæc nouarum Inſularum inuentio,de qua in §.2.?

RESP. Ciacon. in vita huius Pont. ſic ait Res admirabilis, & toto Orbe inaudita, ac inſigniſſima fuit detectio, & inuentio nouarum Inſularum, & continentis,quam Indiam Occidentalem, & nouum Regionum Orbem vocāt, luſtrante Chriſtophoro Columbo,ann.1492.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num alij quoque Pontt. eiuſmodi conquiſitionem Inſularum, & Infidelium conuerſionis negotium, Regi Luſitaniæ commiſerunt?

RESP. Non ſolum Martinus V. & Nicolaus V. ſed etiam Calixt. III. & Sixt. IIII. id curarunt, vt poſt alios Ferdinand. Rebell.teſtatur iuxta finem ſui Operis de Obligationibus, vbi aliquas conceſſionum prędictorum Nicolai, & Calixti particulas intexit.

III.

Edita Anno 1496.

PIæ vitæ ſtudio conuenit, & infra pag. 393. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Italia ſunt nonnullæ domus virorum Laicorum Congregationis, vel Societatis Fratrum Apoſtolorum pauperis vitæ nuncupatorum, qui Mendicantes ſunt, & in communi viuunt, certum habitum Religioſorum ab Innoc. VIII. conceſſum deferentes, §. 1. Iidem poſt annum

rum, in manibus vnius ex d. Congregatione obedientiam, paupertatem, & caſtitatem ſimpliciter vouent; ſed ad libitum poſſunt ex d. Congregatione quandocumque recedere, & ad proprios lares dimiſſo habitu redire, in maximum eius detrimentum d. §. 1. Hic Pont. ad ſupplicationem Vicarij Generalis d. Congregationis totam d. Congregationem, eiuſque Fratres, tam quoad profeſſionem, quam cætera vota ſubſtantialia, obſeruantiæ regulæ S. Auguſtini ſubijcit, & illius religioni aggregat. §. 2. Præſentes tamen inuitos arctari non poſſint d. §. 2. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid operantur illa verba in §. 2. *Fratres non arctari inuitos ad hanc reformationem?*

RESP. Tollunt dubium, an Fratres tenerentur perſeuerare in d. Congregatione ſic reformata, in quo tres ſunt opiniones DD. quas refert Rodec. tom. 3. Quæſt. Regul. quæſt. 52. articul. 16.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſta Congregatio ante hanc Bullam poterat dici noua Religio introducta contra prohibitionem Innoce. in cap. vltim. de Relig. domibus, & prohibitionem Greg. X. cap. 1. eod. tit. in 6.

RESP. Non, quia Religio verè, & propriè illa dicitur, in qua tria vota ſubſtantialia non ſimpliciter, ſed ſolemniter promittuntur; Verum iſta Congregatio cum votis ſimplicibus, & facultate recedendi ab ea, non erat religio, ſed honeſtus modus viuendi, ad Syluest. in ſua Summ. in V. Religio §. 1. numer. 1. & latius Roderic. tom. 3. Quæſtion. Regular. in quæſt. 48. articul. 4. Præſertim quod Innocentius VIII. permiſit habitum religioſorum, qui, etſi non facit eos religioſos, excuſauit tamen à contrauentione d. prohibitionis.

IIII.

Edita Anno 1496.

ADmirabile Sacramentum viuificæ Crucis, & infra pag 394. Bullarij.

COMPENDIVM.

Anno 1492. vltima Dominica Menſis Ianuarij dum Petrus tit. S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe Cardinalis, eamdem Eccleſiam reparari faceret, in altiori eius teſtudinis parte, repertus fuit titulus Hæbraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus, qui ſupra caput IESV Chriſti in Cruce pendentis appoſitus. & in eadem Eccleſia debita nunc reuerentia cuſtoditur. §. 1. Hic Pont. pro maiori d. Eccleſiæ frequentatione, Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, eam vltima Dominica Menſis Ianuarij, quotannis viſitantibus, omnium ſuorum peccatorum remiſſionem elargitur. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Hic titulus Crucis, vnde, & à quo Romam delatus fuit?

RESP. Helena Conſtantini Imperatoris Mater, à Hieroſolymis in hunc locum detulit, vt habetur in 6. lectione Officij Inuentionis S. Crucis in Breuiario Romano, & refert Ciacon. in Vita Innoc. VIII. vbi ſubdit, quod mille, & centum annis, in parua feneſtra theca plumbea muro latertio clauſus ſupra arcum maiorem Eccleſiæ latuerat. Et in Vita Sylueſtr. 1. inquit. *Helena poſt inuentam Crucem, Romam, vbi Conſtantinus filius Auguſtus tunc agebat, nauigationem direxit, ad quem partem Crucis Chriſti, & tres clauos, in ſepulchro Chriſti repertos attulit.* Et paulò infra, *Portionem autem Crucis in Baſilica à nomine ipſius Matris Helenianą antea vocata. & titulum Crucis repoſuit. Deinde à ligno Crucis à Hieroſolymis aduecto, S. Crux in Hieruſalem dicta, vſque in hodiernam diem.*

Quæro. Crux Domini, cuius Inuentionis diem feſtum Rom. Eccleſia agit die 3. Maij iuxta tex. in Cap. Crucis. 19. de Conſ. diſt. 3. quo tempore, & à quo reperta fuit?

RESP. Anno Chriſti 326. Sylueſtri Papæ anno 13. & Conſtantini Imperatoris anno 21. Helena eius Mater ferè octuagenaria, beatiſſimum Crucis lignum, in quo Mundi ſalus pendit, diuinis illuſtrationibus edocta, 308. minus annis, poſtquam ſubter terram defoſſum delituerat, ſtudioſiſſime perquiſiuit, & reperijt. Et in eius Inuentione præclara euenerūt miracula, quę indicat Baron poſt alios in Martyrolog. & luculenter recenſet in Annal. to. 3. pag. 319. & ſeqq. iuxta impreſſionem Romanam, cui adhæret. Ciacon. in vita Syluef. I. verſ. Anno ſequenti: ex quibus perſpicitur, quod illud Decretum in Cap. Crucis, non iure Euſebio Primo tribuitur.

V.

Edita Anno 1497.

AD ſacram Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & infra pag. 394. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum multa ſint merita Fratrum Eremitarum S. Auguſtini. §. 1. Et Officium Sacriſtæ Capellæ Palatij Apoſtolici ab immemorabili tempore citra, alicui ex profeſſoribus d. Ordinis committi conſueuerit. §. 1. Hic Pontifex, ne dicta Religio ſuper hoc priuilegio de cætero moleſtetur ſtatuit, perpetuis futuris temporibus Officium d. Sacriſtæ alicui d. Ordinis profeſſori committi debere. §. 2. Commiſſioneſque aliter fiendas irritat. §. 3. Contrarijs omnibus derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Merita ergo Religionis, induxerunt Papam ad huiuſmodi perpetuam deputationem?

RESP. Nulli dubium, vt procemium pateſacit, & rationabiliter, quia ſicut Sacriſta particularis eſt eligendus de ſanctioribus Eccleſiæ viris ad tex. in c. 2. vbi gl. & DD. de Offic. Cuſtod. & notat Sylueſt. in Summ. in verbo Sacriſta, ita pari ratione vna ex ſanctioribus Religio, ad curam Sacriſtiæ Palatij Apoſtolici præficienda erat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod Sacriſta etiam Theſaurarius nuncupatur in cap. 1. diſtinct. 25.

RESP. Quia præeſt toti Theſauro Eccleſiæ, cui ſeruit, ad text. in capit. 1. de Offic. Sacriſtæ, & benè explicat Petr. Greg. in Syntagm. iur. p. 2. lib. 15. c. 39. ſub nu. 5. vbi ſubdit, Gazophylacium de quo ſæpè meminit Sacra Scriptura, Locum eſſe Eccleſiæ, in quo eius Theſaurus Veſtium, Vaſorumque Sacrorum, & pecuniarum aſſeruatur.

VI.

Edita Anno 1497.

CVm ex relatione dilecti filij Mariani, & infra pag. 395. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia multi Emphyteutæ, Feudatarij, & Cenſuarij R. Cam. Apoſt. in ſolutione Canonum, & reſponſionum defecerunt contra iuramenta in inueſtituris præſtita, tenoreſq; inueſtiturarum, ac iuris diſpoſitionem, & ſpeciales monitiones huius Papę in princip. Ipſe ſub excommunicationis, & priuationis pœnis, quas ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc fert in eoſdem, niſi his monitis paruerint, monet quatenus infra menſem debeant perſoluiſſe, & in futurum in Vigilia, aut die Feſtiuitatis BB. Petri, & Pauli ſingulis annis. §. 1. Et ſi non ſoluerint, Præſidentes Cameræ eos declarent in eas pœnas incidiſſe. §. 2. Compenſationes, neque aliam præter ſolutionis exceptionem admitti decernit §. 3. Hanc Sanctionem publicari iubet. §. 4. Contrarijs derogat. §. 5. Publicatio ſubſequitur. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba ex *nunc, prout ex tunc*, & è contra de quibus in §. 1. quid operantur?

RESP. Operantur, vt vnum tempus alteri ineſſe videatur, Ang. Imol. & Alexand. in l. 2. Huiuſmodi. 20. ff. de Verbor. ſignifi. Pariſi. conſil. 26. lib. 2. num. 128. Sed ante purificationem non ſoluti Canonis poſt effluxum tempus hic expreſſum non operantur hunc effectum gloſ. Card. & Imol. in Clem. 1. de Conceſs. præbend. & Pariſi. conſil. 82. lib. 4. num. 17. Caſſad. deciſi. 3 de Præbend. numer. 10.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Emphyteuta debens ducatos decem pro canone, ſoluiſſet eos decem, vno tantum nummo excepto?

RESP. Pœnam Caducitatis non incurrit ſecundum do-

F ctrinam

ctrinam Specular, in titul. de Emphyt. §. 1. num. 46. quam multis rationibus, & frequentiori calculo approbarunt Scribb. quos cumulauit Corbul. de Cauſ. priuat. ob non ſolut. can. ampliat. 5. per totam.

VII.

Edita Anno 1497.

PLantatus in agro Dominico, & infra pagina 396. Bullarij.

COMPENDIVM.

Expoſuerunt Papæ Prælati Prouinciarum Tuſciæ, & Lombardiæ Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, quod ſi Monachorum ipſarum prouinciarum vnio fieret, & crearetur Congregatio S. Bernardi nuncupata multum ſuſciperet incrementum. §. 1. Dux Mediolani, & dicti Prælati pro d. vnione ſupplicarunt. §. 2. Qui Pontifex has prouincias inſimul vnit. §. 3. Et ex eis vnam Congregationem S. Bernardi in Italia nuncupandam inſtituit. §. 4 Reformationes illius ab eius Præſidente, & Viſitatoribus exequi mandat. § 5. Ad Capitulum, qui accedere debeant decernit. §. 6. Diffinitorum Capituli electio, vt fiat. §. 7. Capitulum vt incipiat. § 8. Quot Diffinitores eligendi in eo, & ex eis Preſidentes §. 9. Electores in Officiales eligi poſſint. §. 10. Diffinitores quid agere valeant. §. 11. Prelaturæ triennio durent. §. 12. A ſentẽtijs Diffinitorum appellatio prohibetur. § 13. Eorum officium decem dierum ſpatio terminatur. §. 14. Locus futuri Capituli per eos pronuncietur. §. 15. Eorum eſt electio Preſidentis. §. 16. Præſidentis munus quantum duret. §. 17. Et quale ſit. §. 18. Si decedit, locum eius tenent Viſitatores. §. 19. Ordinationes præcedentes hanc vnionem, indigent approbatione Capituli. §. 20. Quæ vnio à nemine impedienda eſt. §. 21. Confirmantur omnes gratiæ, vtrique Congregationi hactenus conceſſæ, & huic nouæ Congregationi conceduntur. §. 22. Contrarijs derogatur § 23. Ordinationes Monaſterij S. Ambroſij Mediolanen. præſeruantur. §. 24.

Schol. primum.

Quæro. Iſte Ordo Ciſtercienſis veniet appellatione Ordinis S. Benedicti?

R E S P. In materia fauorabili veniret, ſecus ſi in odioſa Bellam. conſ 31. num. 18. & ſeqq. Quia, etſi iſte Ordo profitetur Regulam S. Benedicti, eſt tamen Ordo de per ſe, ſicut Cluniacen. & Præmonſtraten. ſicut Tuſch. in verbo Fratres, concluſ. 462. num. 8. poſt Bullam. vbi ſupra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Monaſterium S. Ambroſij, de quo in §. vltimo eſt ne huius Ordinis Ciſtercien.?

R E S P. Illi fuiſſe conceſſum cum exemptione à iuriſdictione Archiepiſcopi, dixit Rota coram Seraphin. in deciſ. 960. in nouis, vbi dictam exemptionem declarat.

VIII.

Edita Anno 1499.

ETſi vniuerſis Romanæ Eccleſiæ dominio, & infra pagina 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Viam directam, Alexandrinam à ſuo nomine nuncupatam, à Porta Caſtri S. Angeli, ad Plateam S. Petri ſtrauit. § 4. Aedificantibus, vel ementibus domos in ea, concedit priuilegia, quæ acquirentibus bona in Vrbe Sixt. IIII. in ſita Conſtit. 8. de qua ſup. pag. 71. conceſſit. Et ipſe etiam Pontifex elargitus eſt. §. 2. Decretum irritans apponit. §. 3. Contrarijſque derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Eſt ne iure cautum à Principis nomine, opus huiuſmodi publicum denominari poſſe?

R E S P. Cauetur in l. 3. in fine. ff. de operib. public. & notat. Bard de iure congr. ſuper interpret. Conſtitutionis Sixt. IIII. num. 9. in fine. pag mihi 23.

Schol. ſecundum.

Quæro. Conſtitutio huius Pontificis enunciata in §. 2. cur à Genitore tuo non edita?

R E S P. Eius fuit inſtitutum, conſtitutiones, quæ primum à Pontificibus ſuper aliquo articulo emanarunt in medium prodere, non autem aliorum ſucceſſorum nihil noui deſuper diſponentium: Edidit propterea Cõſtitutionem Six. IIII. qui primum in hoc priuilegia conceſſit, altera huius Pontificis nihil vltra diſponentis prætermiſſa, quam tamen videre deſiderans, habes in priori Genitoris mei Bullarum collectione pag. 135.

IX.

Edita Anno 1499.

AD Sacram B. Petri Sedem, & infra pagina 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio pauperum Ieſuatorum centum, & quinquaginta annis decurſis, vel circa inſtituta, omnes Eccleſias, & Oratoria conſtruxit ſub inuocatione S. Hieronymi, quem in Protectorem ſuum elegit, eiuſque feſtum ſingulis annis deuotè celebrauit. §. 1. Supplicauit ideò Papæ, vt Fratres Ieſuati S. Hieronymi de cætero nuncupentur, eamdemque denominationem Confraternitatibus Laicis in eorum Eccleſijs inſtitutis concedere poſſit. §. 2. Papa petita concedit. §. 3. Contrarijſq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quo anno punctualiter iſta Congregatio inſtituta fuit?

R E S P. Anno 1355. ſecundum Hiſtorias, & nouiſſimè affirmat Eman. Roder. tom. 11. Quæſt. Regular. quæſt. 5. artic. 8. & author fuit B. Ioannes Columbinus, vt tibi dixi ſup. ad Conſt. 11. Martini V. Qui B. Ioannes anno 1366. ad cæleſtem Patriam euolauit, Vrbano V. tunc ſedente in Cathedra B. Petri, vt ſubdit eo loco Roderic. præcit. & de hac Bulla meminit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis primò hunc Ordinem approbauit?

RESPON. Huius Ordinis profeſſores omnes affirmãt habere priuilegium confirmationis ab Vrbano V. quod ſcribit etiam præd. Roder. Sed inter eius Ordinis impreſſa priuilegia nõ inueni, & mihi inuerisimile eſt, quod Martinus V. dum in d. eius conſt. 11. recipit Ordinem ſub ſua protectione, & hic Alexander, ac ſucceſſores nuſquam de huiuſmodi Vrbani diplomate, verbum fecerint, & tamen ex Apoſtolicarum literarum lectione conſtat, antiquiores literas enunciari conſueuiſſe. Niſi dicamus tacitè Vrbanum approbaſſe, dum illum Ordinem tolerauit, & tempore Martini iam multæ domus conſtructæ fuerunt.

X.

Edita Anno 1500.

IN eminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, & infra pag. 399. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inſtituit Officium recipiendi, videndi, ſummandi, & referendi literas Apoſtolicas in Officium vacabile ad inſtar aliorum Officiorum Reu. Cam. Apoſtolicæ. §. 1. Gratijſq; & priuilegijs Scriptores earumdẽ literarum donat. §. 2. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 3. Contrarijſq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Huiuſmodi Officia quot modis vacant?

R E S P. Per ceſſum, vel deceſſum, ideſt per reſignationem, vel mortem, vt omnibus Curialibus notiſſimum eſt, & ſcribit Gabr. conſ. 63. lib. 2. num. 15. & 17. ac Rolan. conſ. 11. lib. 2. num. 10. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis morte naturali non obijt, ſed in pœnam triremium, ob aliquod crimen fuerit condemnatus?

R E S P. Officium vacat, quia per huiuſmodi pœnam ſtatus ciuilis hominum conſumitur l. penult. §. final. ff de var. & extraord. cognit, & ſic non remanet ſubiectum, in quo Officium perſiſtat, vt docet Caſtrenſ. in conſ. 9. lib. 1. nu. 2. & ita practicatur, & conſonat tex. in l. Quod ad ſtatum. 12. ff. de Pœnis.

X.

Edita Anno 150[illegible].

IN eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pag. 400. Bullarij.

COM-

Digitized by Google

COMPENDIVM.

Prædeceſſorum morem ſequendo Pont. iſte in die Cœnę Domini, per eius literas publicè excommunicauit eos, qui recurrentes pro eorum cauſis, & negotijs ad Romanam Curiam, & ea ibidem proſequentes, vel eorum Procuratores, & Iudices offendunt, §. 1. Eas modo pœnas ionouat. §. 2. Aliaſque infligit. §. 3. Contrarijſq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Qnid ſi offendatur quis extra Romanam Curiam, occaſione, tamen litis in Curia vertentis?

R E S P. Incidit in iſtas pęnas; hæc etenim Bulla, quamuis vti pœnalis, & rignroſa videatur reſtringendas quia, tamen conſulit qoieti, ac ſecuritati litigantium, dicitur fauorabilis, & extendenda, & propterea habet locum vbicunqne fiat offenſiò, & perturbetur ſecuritas eiuſmodi, vt Rota declarauit coram Put. deciſ. 104. lib. 1. num. 1. & coram Vicecom. deciſ. 639. num. 2. par. 1. Diuerſ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi non appareat, occaſione litis, aliqoem collitigantem, vel eius Iudicem, aut teſtem, & ſimilem perſonam fuiſſe offenſam?

R E S P. Intrat hæc Bulla, quia conſtito de delinquente, & alia cauſa non probata præſumitur offenſio ſecuta ex cauſa litis Rota coram Put. deciſ. 162. lib. 1. & in deciſ. ſeq. nec non coram Vicecom. d. deciſ. 639. nu. 1. vbi ad hoc allegat etiam aliam deciſ. Ptolom. 136. Fauorabilis namque eſt, vt dixi, hæc bulla, & ideò extendenda, Gonzales ſuo com. ad 8. regul. Cancell. §. 6. num. 59.

XII.

Edita Anno 1502.

ET ſi ex Paſtoralis officij, &c. infra pagina 401. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ob multorum Caſtrorum gubernium, magna exorta controuerſia inter Ciuitates Spoleti, & Interamne, ortaque nonnulla ſcandala; hic Pontifex eorum gubernium à dictis Ciuitatibus, & alijs eorumque regimine eximit. §§. 1. & 2. Et Clericis Cameræ Apoſtolicæ totaliter concedit §. 3. Quibuſconque contrarijs, & priuilegijs dictorum locorom plenè derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hæc generalis Priuilegiorum dictarum Ciuitatum, & locorum derogatio, de qua in §. 4. abrogauit ea totaliter?

R E S P. Totaliter abſtulit in his, quæ huic diſpoſitioni aduerſantur dumtaxat, non autem in alijs, Quia, etſi clanſulæ derogatoriæ ampliſſimæ ſint, reſtringuntur tamen ad terminos principalis diſpoſitionis, cui apponuntur Alexan. conſ. 7. lib. 7. num. 14. 15. & 17. & Rota coram Seraph. deciſ. 1358. nu. 5. in nouiſſima impreſſione part. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hi Clerici Gubernatores, poſſunt condere ſtatuta in iſtis locis, perpetuò duratura?

R E S P. Poſſunt, quia ſunt Gubernatores perpetui, licèt ſingulis annis exercitium Gubernij eorum inter Clericos diſtribuatur cap. fin. cum ibi not. de Offic. Deleg. Corn. conſ. 255. lib. 2. num. 8. Tuſch. 10 ſuis concluſ. in verbo Gubernator.

I V L I V S II. Italus, creatus Anno 1503.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1503.

SVper cathedram Paſtoralis præeminentiæ, & infra pagina 402. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Monaſterium Caſſinenſe Ordinis S. Benedicti caput eſſe omnium Monaſteriorum d. Ordinis, & in eo corpus S. Benedicti multa cum veneratione conſeruari. §. 1. Illud annectit Congregationi Monachorum S. Iuſtinæ de Obſeruantia. §. 2. Et eorum Congregationem præcipit denominari Caſſinenſem, aliàs S. Iuſtinæ. §. 3. Priuilegia d. Congregationis S. Iuſtinæ conceſſa, communicat huic Congregationi. §. 4. Contrarijſq; omnibus derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Fuit vnquam dubitatom de exiſtentia Corporis Sancti Benedicti in Monaſterio Caſſinenſi, vt aſſeritur in §. 1.?

R E S P. Anno ſalutis 1090. Vrbanus II. Caſſinum progreſſus, cum in vigilijs S. Benedicti ſæuiſſimo calculi dolore cruciaretur, & de pręſẽtia corporis illius dubitaret, viſum eſt ſibi per quietem S. Benedictum aſſiſtentem cernere illumq; ſcrupulum ſibi euellere, & proxime ei ſanitatem prędicere, & expergiſcens ſe reſtitutum ſenſit, ita ſcribit Ciacon. in vita ipſios Vrbani. Sed & antea anno 1022. & pontif. Benedicti VIII. anno 11. Henricus Imperator, dum prope d. Monaſterium degens acribus doloribus vexaretur, quamuis maximam in d. Monaſterium deuotionem gereret, venerabiliuſq; Oratorium non vidiſſe, fateretur, hæſitabat tamen, an S. Benedictus ibi requieſceret: Cum autem præ dolore, nec plenè vigilans, nec integrè dormiens quemdam pateretur exceſſum, apparuit ei B. Benedictus, cui languiorem protinus confitenti, *Scio*, inquit Benedictus, *te an hic quieſcã dubitare, ſed, vt nullo amplius dubio mouearis, hoc certum tibi ſignum erit. Cũ primo manè ſurrexeris, in egeſtione vrinæ tuæ tres ſimul emittes grandiuſculos lapides, & ex tunc dolore iſto non vltra detinebetis. Ego autem ſum Frater Benedictus.* His dictis euanuit, vt poſt alios recenſet Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 72.

Schol. ſecundum.

Quæro. Imperator ille fuit priſtinæ ſanitati reſtitutus?

R E S P. Euigilans Imperator continuo ſurrexit, ac iuxta viſionis ſeriem ſanitati redditus, Deo, & P. Benedicto gratias egit, mirificiſq; donis d. Monaſterium ditauit, tantæque poſtea ad hunc ſanctum locum deuotionis fuit, vt ſi aliquanto diutius vixiſſet, relicto Imperij culmine, Deo ſe in ſanctæ conuerſationis habitu ſeruiturum hoc in loco promitteret ſic ſcribit. Leo Oſtienſis lib. 2. Chronic. Caſſinen. cap. 44. Et latius Baron. vbi ſupra.

II.

Edita Anno 1504.

QVia nihil eſt, quod magis expediat, & infra pag. 403. Bullarij.

COMPENDIVM.

Barones, & Communitates Status Eccleſiaſtici cuſtodiant eorum loca, & libera teneant à furibus, latronibus Sicarijs, & alijs delinquentibus. §. 1. Iudices omnes ad requiſitionem cuiuſcunq; damnum paſſi, ad declarationẽ pęnarum, & refectionem damnorũ executiue procedant. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Qnid ſi damnum ſit in Confinibus duarum Communitatum?

R E S P. Vtraq; tenetur ad damni refectionem iuxta communem Doctor. ſententiam, de qua teſtatur Alber. in tract. de Statut. par. 2. quæſt. 75. & Clar. quæſt. 82. num. 3. poſt Afflict. ſuper Conſtitut. Regn. lib. 1. rubr. 27. num. 23. Fallit tamen in homicidio; nã ſi medietas cadaueris reperiatur in vno territorio, & alia medietas in altero, illa Communitas tenetur, in qua reperitur medietas cum capite, ità pulchrè ſcribit Affl. vbi ſupra num. 22. poſt Iſern. ibidem in addit. num. mihi 80. vbi ſic iudicatum audiuiſſe refert, & cum eis ſtat Baiard. quæſt. 81. num. 5. qui ſub nom. 23. ſequendo ſupradictam regulam, recenſet doctrinam Bald. in l. Si quis non dicam rapere. 5. Cod. de Epiſcop. & Cleric. num. 10. quod ſi quid fuerit captus in vno territorio, & fuerit in alio robatus, vtraq; Communitas tenetur. Sed Bald. aliter ibi ſentire videtur, refert tamen Barr. aliter dicentem: Scias tamen hæc procedere in terminis iuris communis, ſed hodie ex Bulla 28. Leon. X. damnum paſſus agit contra quam vult Communitatem.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quot homines conſtituunt Vniuerſitatem ad iſtum effectum?

R E S P. Quinque patresfamilias ad minus. Et ideò

Bal. in cap. 1. de Elect.num.8.tenet eiuſmodi Statuta, quæ obligant Communitates ad refectionem damnorum, in eorum Territorijs ſecutorum, non habere locum in illis Vniuerſitatibus, in quibus non ſuot quinque patres familias, & hoc idem tenet Marſil. in ſingul. 252. & ſequitur Baiard.quæſt.82.num. 1.

III.

Edita Anno 1505. & 1513.

CVm tam diuino, & infra pag. 403. *Item*, Si ſumus rerum, & infra pag. 404. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Simoniæ labes io electione Romani Pontificis eſt valde abominabilis, & pernicioſa, decernit de fratium ſuorum S. R. Eccl Cardinalium conſilio, quod ſi electio Romani Pontificis, ab eo, qui eligitur, vel aliquo de Cardioalibus votum dantibus, per Simoniacam hæreſim dando, promittendo, vel recipiendo res, vel bona, vel promiſſiones per ſe, vel alium fieri contigerit, electio nulla ſit, & à quocunque Cardinali, qui electioni interfuerit opponi poſſit, ſicut de vera hæreſi. §. 1. Pro Rom. Pontifice non habeatur, ſed à quocuoque priori honore, dignitate, & beneficio, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat, & tanquam hæreſiarca ad prędicta inhabilis habeatur d. §. 1. Electioque, nec per adorationem confirmari poſſit, §. 2. Cardinaleſque ab ejus obedientia diſcedere. §. 3. Et contra volentem ſe regimini vniuerſalis Eccleſiæ ingerere, auxilium brachij ſæcularis inuocare poſſint. §. 4. Cardinales autem ſimoniace eligentes, omnibus dignitatibus, & beneficijs, abſque alia declaratione priuati exiſtant. §. 5. Complices etiam atroces pœnas incurrant. §. 6. Promiſſiones Simoniacæ irritæ ſiot. §. 7. Cardinales prædicti verò non amplius alium Pont. eligant. §. 8. Contrarijs omoibus, & ſignanter cap. 6. de Elect. derogat. §. 9. Contrarium ſtatuentibus pœnam excommunicationis latæ ſententiæ infligit. §. 10. Et iſta Bulla iterum à Papa, ſacro approbante Concilio confirmatur in conſt. ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Simoniacus, cur dicitur hæreticus?

RESP. Quia emens, vel vendens votum in electione Papæ, dicitur emere, vel vendere Vicariatom Chriſti, & ſic facultatem ligandi, & ſoluendi, & Sacrameota miniſtrandi, quæ Simonia hæreſim ſapit, Iacobat. de Concil. par. 4. nu. 53. & ſeq. Felyn. In rubric. de Simon. poſt princ. Eymeric. in Director. Inquiſitnr. par. 2. quæſt. 6. num. 2. & quæſt. 31. num. 2. per text. in cap. 5. cauſ. 1. quæſt. 1. & conuenit magis textus in cap. 21. eadem quæſt. & io capit. 9. diſt. 79.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur eius fratres vocat Cardinales, qoi filij Papæ dicuntur vt io cap. 6. de Except.?

RESP. Cum Papa loquitur de omnibus Cardinalibus vocat fratres, quia eorum aliqoi Epiſcopi ſunt, qui Papæ fratres nuncupantur cap. 37. de Offic. delegat.

IV.

Edita Anno 1505.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 405. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifacius VIII. in Extrauag. 1. de Elect. decreuit prouiſos de beneficijs Eccleſiaſticis, non ſe ingerere io illis, literis Apoſtolicis non expeditis, §. 1. Alexander V. ſimilem edidit ſanctionem. §. 2. Pius II. pœnas iopoſuit prouiſis noo ſoluentibus annatas. §. 3. Innoc. VIII. non abſimilem conſtitutionem edidit. §. 4. Hic Pontif. eas omnes coofirmat, & pœnam priuationis apponit, §. 5. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Literæ iſtæ Apoſtolicæ, de quibus hic in §. 1. quando dicuntor expeditæ?

RESP. Quaodo ſunt plumbatæ, & non antea, vt tradit Gomeſ. de Regul. Cancell. ſuper reg. De non iudic. iuxta formam ſupplicat quæſt. 1. verſ. & tamen, vbi ponit pro ſecunda ratione eam, quam Pontt. io hac materia conſiderant, & enuociant in eorum Bullis, ne ſcilicet Papæ Officiales remaneant ſine emolumentis ſuorum officiorum, cum laborent circa remiſſionem, & expeditionem literarum, & ſic Rotam iudicaſſe refert Creſcent. in vna Salamant. Parochialis de Menſe Nouembr. 1539.

Schol. ſecundum.

Quæro. Annatæ, de quibus habetur in §. 3. quomodo regulantur?

RESP. A valore expreſſo in impetratione beneficij, & non excednnt valorem voius anni. Rota io deciſ. Seraphin. 960. in vna Burgen. Quiodenniorum num. 12. in Nouis.

V.

Edita Anno 1505.

MIlitanti Eccleſiæ licet immeriti, & infra pagina 407. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis Sancti Benedicti expoſuit Papæ, multa eius bona à pluribus occupata fuiſſe, & quamplures alios ſuper ejuſdem bonis multiplices inferre iacturas, iniurias, atque moleſtias, ideòque ſupplicat pro opportuna prouiſione, cum difficile nimis ſit, pro ſingulis querelis ad Sedem Apoſtolicam recurſum habere, §. 1. Ipſe ergo Conſeruatores, & Iudices deputat, omnes locorum Ordinarios, eorumque Vicarios. & omnes perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas ſuper reſtitutione dictorum bonorum, ac prędictis moleſtijs, iniurijs, & damnis pręſentibus, atque futuris. § 2. & 4. Omoibuſque contrarijs derogat. §. 3. Amplaſque facultates dictis Conſeruatoribus concedit, & addit clauſulam. Quod à Data pręſentium, ſit illis iuriſdictio attributa. §. 5. Huius etiam conſtitutioois exemplis credi iubet. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Huiuſmodi Conſeruatoriæ erunt ſtrictè, vel largè ioterpretaodæ?

RESP. Quamuis data ſit pro Congregatione Religioſorum odioſa cenſetur, tamquam exorbitans à iure communi, & Ordinariorum iuriſdictioni contraria cap. 1. in fin. de Offic. deleg. in 6. & ita teouit Rota deciſ. 171. lib. 2. par. 3. Diuerſorum in fin. loquens de Conſeruatoria Monachorum Congregationis Caſſinenſis, quicquid dicat Iaſ. conſ. 145. lib. 4. oum. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cuius effectus eſt illa clauſula, ***quod à Data pręſentium***, &c. de qua in §. 5.?

RESP. Non tenetur Conſeruator io ſuis citationibus ioſerere tenorem huius reſcripti, vt ſcribit Iaſ. in loco cit. & ſimpliciter refert Gratian. de Diſceptat. Forenſib. lib. 1. c. 170. num. 32.

VI.

Edita Anno 1505.

CVm homines ſe inuicem quantum poſſunt, & infra pagina 408. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat ſanctiones Pij II. & Sixti IIII. §. 3. Extenditque ad omnes pro crimine capitali, tam in Vrbe, quam extra eam condemnatos, & brigoſos pacem facere recuſantes, ius ſibi dicentes, aut caualcatam facientes. §. 4. Prohibet eos receptari, vel fauorem eis præſtari. §. 5. Contrauenientes maioris excommunicationis ſententia innodat, beneficijſque, & bonis, ac feudis priuat, & rebelles S. R. E. declarat. §. 6. Ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, & quoſcumque actus legitimos faciendos, ipſo iure inhabiles declarat ibid. Scientibus, & infra triduum non reuelantibus, eaſdem pœnas imponit. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Huiuſmodi pœnæ ipſo iure impoſitæ, habentnè locum, ſi in vita delinquentis, non ſit prolata ſententia ſuper delicto?

RESP. Locum habent, lata ſententia declaratoria facti, poſt illius mortem, vt probat Boſſ. in tit. de Sentent. num. 47. Gomez. in tit. de Delict. cap. 1. num. 80. verſ. Sextus caſus, & Hond. conſ. 59. oum. 6. loqueos in terminis huiuſmodi bullarum contra bannitos editarum.

Schol.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Inhabilitas ad exercen. actus legitimos, extendit ſe forſan ad ſucceſſionem ex teſtamento?

RESP. Controuerſa eſt inter Doctores iſta quæſtio ad ſcripta per Farinac. quæſt. 102. num. 42. & ſeqq. Sed ſublata eſt controuerſia ex ſubſeqq. bullis aliorum Pontificum qui expreſsè abſtulerunt factionem teſtamenti actiuam, & paſſiuam, quod aduertit etiam Chartar. de Execut. ſentent. contum. cap. 1. num. 425. Thob. Non. conſ. 93. num. 4. & Baiard. quæſt. 71. num. 16. quos refert Farinac. vbi ſupra num. 42. in fine.

VII.

Edita Anno 1506.

ACcepimus Fiſco Cameræ Apoſtolicæ, & infra pagina 409. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ob appellationes in cauſis maleficiorum in Prouincia Marchiæ ad Vrbem, vel aliò, Fiſcus eas cauſas minus defendit, & delicta remanent impunita, ideò mandat Theſaurario d. Prouinciæ, ne eiuſmodi appellationes in cauſis maleficij, aut fractæ pacis, induciarum, vel treguæ admittat, niſi prius facto actuali depoſito, §. 1. Prohibetq; appellationes ab Officialibus aliter admitti, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè illa dictio *aut* ſignificat cauſam fractæ pacis, eſſe ciuilem, & diuerſam à criminali prius nominata?

RESP. Hæc dictio propriè ſumpta diuerſitatem præſefert l. Hæc verba 124. cum ibi not. ff. de Verbor. ſignific. Sed plures aliàs ſignificationes habet, & ſignanter quod ponatur quandoque pro *etiam*, & pro *ideſt* ad l. In familiæ. ff. Famil. Herciſc. & l. 1. Cod. Vbi de poſſeſſ. agi oport. cum alijs cit. ab Alber. in ſuo Dictionario.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hic autem in qua eſt ſignificatione ſumenda?

RESP. Vtroque modo, nam ſi agit Fiſcus ad ipſam pœnam delicti fractæ pacis, cauſa eſt criminalis Clar. quæſtion. 1. ſub num. 1. Foller. in Pract. crimin. §. Audiantur excuſatores n. 176. & tunc dictio *aut*, ſtare poteſt expoſitiuè: Si verò Fiſcus ad pœnam conuentionalem ex contractu initæ pacis ſtare poteſt diſiunctiuè, & ampliatiuè, quia etiã iſto caſu depoſitum fieri debet vt habetur etiam in conſt. 52. Pij IIII. in Bullar. fol. 69. num. 2. Quamuis cauſa potius ciuilis ſit, quam criminalis Corn. conſ. 42. lib. 2. num. 9. in fine Bertazzol. qui alios citat in conſ. 280. lib. 2. num. 6. Rota deciſ. 226. in Antiquis, iuxta antiquiorem impreſſionem.

VIII.

Edita Anno 1506.

EX iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ, & infra pag. 410. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Gubernatores, & Officiales Status Eccleſiaſtici Iuſtitiæ miniſterio, & negotijs publicis præpoſiti, nec non Clerici, ac regulares in multis delinquunt, §. 1. Mandat Clericis ſuæ Cam. Apoſt. præſidentibus, vt quotannis aliquot ex eis deputent ad viſitandum loca dicti Status Eccleſiaſtici, vbi de præmiſſis diligenter inquirant, & relatione facta in Camera, omnia terminentur, & delinquentes puniantur, §. 2. Et quoſcunque formandi proceſſus occaſione torquendi, &c. facultatem concedit, §. 3. Præcipit Legatis, & Archiepiſcopis, & alijs omnibus, vt eis obediant, §. 4. Quibuſcunque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Poterunt ad torturam, de qua in §. 3. deuenire denegatis defenſionibus?

RESP. Non, quia hæc facultas expreſsè legi debet in reſcripto Principis Marſil. in Pract. crimin. §. Conſtante num. 26. Alberic. de Statut. par. 3. quæſt. 32. nu. 2. Farinac. quæſt. 39. num. 16.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi reus præcisè reſpondere recuſat?

RESP. Poterunt ſi interrogetur de eo, quod ſubſtantialiter infert ad delictum, & poſſit reus veriſimiliter recordari, & cauſa ſit grauis, & conſtet de corpore delicti Capic. deciſ. 145. in fin. Clar. quæſt. 45. num. 6. Carthar. de interrogand. Reis lib. 3. cap. 2. nu. 16. & ſeq. & Farinac. quæſt. 37. num. 182. & ſeqq.

XI.

Edita Anno

PErcepimus à fide dignis, & infra pagina 411. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit Clericis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ſuæ, Theſaurario, Fiſco, & alijs ſuis Miniſtris, ne participent in affictibus, & ſimilibus contractibus ipſius Cameræ, §. 1. Pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis omnium Officiorum, dignitatum, & emolumentorum eis imponit d. §. 1. Notitiam habentibus, & per ſe, vel alium non manifeſtantibus eaſdem pœnas infligit, & 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt notitiam habere ad hoc propoſitum?

RESP. Multi multa loquuntur, ſemper tamen mihi placuit, vt is dicatur notitiam habere, qui, vel vidit, vel à fide dignis audiuit, iuxta gloſ. communiter receptam in cap. Cupientes 16. in verbo notitiam de Electìon. in 6. vel ex veriſimilibus cauſis cognouit, aut vehementer opinatur ad tex. in cap. Hoc videtur 8. cauſ. 22. quæſt. 5. Alberic. in ſuo Dictionario in V. Notitia, & in V. Scientia. Nauarr. conſ. 4. de Hæret. lib. 5. incip. An ſepeliens, num. 3. & in Manuali Confeſſor. cap. 25. num. 46.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi ego audiui ab homine, qui an fide dignus ſit prorſus ignoro?

RESP. Reuelare teneris, quia tutior via eſt eligenda, ad effugiendam pœnam excommunicationis M. Ant. Genuen. Epiſcopus Iſerniæ in Praxi Archiep. Cur. Neap. c. 2. num. 10.

X.

Edita Anno 1506.

DVdum ad ſacrum Ordinem Minimorum, & infra pag. 411. *Item*. Virtute conſpicuos, & infra pag. 417. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IIII. in ſua conſtitut. 4. de qua ſupra pag. 70. Ordinem Fratrum Eremitarum S. Franciſci de Paula approbauit, §. 1. Innocentius VIII. approbauit, § 2. Alexan. VI. regulam eiuſdem S. Franciſci in 13. diſtinctam Capitulis confirmauit, §. 3. Et etiam eiuſdem Ordinis gratias, §. 4. Sixtus, & Innocentius prædicti priuilegia Ordinum Mendicantium elargiti ſunt, §. 5. Alexander VI. eamdem Regulam ab ipſo Sancto Franciſco pro Fratribus reformatam, & aliam pro Tertiarijs editam approbauit, § 6. Societatemque iſtorum Eremitarum, in Ordinem Fratrum Minimorum inſtituit, & gratias confirmauit, §. 7. Et dictam Regulam, vt præmittitur, reformatam ab eis obſeruari iuſſit, § 8. Tertiariorumque Regulam ſuſcipi poſſe decreuit, §. 9. B. Franciſcus dicti Ordinis Correctorem generalem declarauit, §. 10. Indulgentias conceſſit, § 11. Bona omnia piè elargita retinere indulſit, §. 12. Hic Pontifex facultatem pro Ordinis regimine, conſtitutiones condendi conceſſit, §. 13. Priuilegia quatuor Ordinum Mendicantium communicauit, §. 14. & 37. Gratias Ordinis ad illius famulos, habitumque geſtantes, & in articulo mortis ſepulturam in eo eligentes extendit, §. 15. Ætatem annorum 22. ad Præsbyteratum ſufficere voluit, §. 16. Moleſtantem hos Fratres, inter ſe excommunicauit, § 17. Priuilegia locorum Ordinis inter ſe communicauit, §. 18. Eius Prælatos paramenta Eccleſiarum benedicere conceſſit, § 19. Noua loca ædificare poſſe voluit, §. 20. Quemcumque Epiſcopum eius Eccleſias conſecrare permittit, § 21. Eaſque Prælatos Ordinis benedicere, ac reconciliare, §. 22. Fratres alterius Ordinis in iſto receptos remanere, §. 23. Confeſſorem eligere, §. 24. Gratias Ordinis Tutricibus, & fundatricibus communes facit, §. 25. Ordines Correcto-

Digitized by Google

rum obſeruandos eiſe pręcipit, §. 26. Tres Regulas B. Franciſci, Primam pro Fratribus, Secundam pro Sororibus, & alteram pro Tertiariis obſeruari iuſſit, §. 27. & ſeqq. Facultatem quoſcunque alios Religioſos recipiendi concedit, §. 33. Confeſſioneſq; audiendi, §. 34. Exemptionem à decimis, & quartas funeralium, & alijs dat, §. 35. Priuilegia ſub nomine Eremitarum concesſa innouat, §. 36. Conuentus non moleſtari iubet, §. 38. Confluentibus Sacramenta miniſtrari indulget, §. 39. Apoſtatis omnes prouiſiones aufert, §. 40. Indulgentias elargitur, §. 41. Correctoris generalis, & Diffinitorum authoritas deſcribitur in §. 1. ſubſequentis conſtitutionis. Quidque agendum in electione illius, & aliorum Prælatorum, §. 2. & ſeqq. Lectores in Theologia, vt liberè legant, §. 4. Sacri Ordines à quo recipiendi, §. 5. Vbique noua loca recipienda, & Sacramenta miniſtranda, §. 6. Morari poſſint Fratres in Terris interdictis, §. 7. Prælati, vt Fratres abſoluant, §. 8. Exemptio datur à cura Monialium, §. 9. Fratres alijs non ſeruiant, §. 10. Correctoris generalis auctoritas in Inquiſitioni, aut verbi Crucis prędicationi deputatos, §. 11. Et in diſcedentes ab Ordine, §. 12. Apoſtataſque §. 13. Et expulſos, §. 14. Habitus conſimilis alijs interdicitur, §. 15. Ingredientes Ordinem bona incertorum dominorum portare poſſunt, §. 18. Sepultura in locis Ordinis omnibus eſt libera, non tamen Fratribus inuitis, §. 19. & ſeq. Tempore interdicti vt celebrent, §. 21. Fratres confiteantur Prælatis Ordinis, §. 22. Alijs perfruantur gratijs, §. 23. & ſeqq. Qui eos abſoluant, & cum eis diſpenſent, §. 27. Necnon coerceant appellatione remota, §. 30. Exemptiue à decimis, &c. Fratribus concedit.

Schol. primum.

Quæro. Eſt ne verum, quod hæc Religio Minimorum, eſt cæteris Religionibus arctior?

R E S P. Ita legitur in alia huiuſmet Pontificis conſtit. edita in libro Priuilegiorum iſtius Religionis, collectorum à Paſſarello pag. mihi 41. Et incipit, Sacer Ordo; Intellige tamen, quoad Ordines Mendicantes, vt ſentit Nauarr. in terminis huius conſtitutionis in conſ. 10. incip. An Religio, lib. 3. de Regularibus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Exemptioni à quarta funeralium, de qua in §. 35. derogauit ne Conc. Triden. ſeſſ. 25. cap. 13.?

RESPON. Super hocmet Priuilegio Iulij II. Minimis dato, orta quæſtione, Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini cenſuit illi ante dictum Concilium conceſſo, minimè derogatum eſſe, ex decretis eiuſdem Concilij, vt teſtatur Steph. Quaranta de Priuileg. Regul. in verbo Priuilegia pag. mihi 409.

XI.

Edita Anno 1507.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pagina 420. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus II. conſtitutionem eius 5. edidit, de non alienandis bonis Eccleſiaſticis, de qua ſupra pagina 68. §. 1. Hic Pontifex pro minori Congregationis Monachorum Beatę Mariæ Montis Oliueti diſpendio, dat eius Pręlatis facultatem circa huiuſmodi alienationes, iuxta formam d. conſtitutionis Pauli II. §. 2. & ſeqq. Quibuſcunque non obſtan. §. 5. Pretium bonorum vbi deponen. ſit. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Si iſta Congregatio fundum alienat, pro ſolutione debitorum, tenebitur emptor probare, pretium verſum fuiſſe in illam cauſam, vt alienatio ſubſtineri poſſit?

R E S P. Teneri voluit Rota coram Rubeo Decano die 17. Nouembris 1581. in Vna Rom. Deuolutionis domus, inter iſtos Monachos Oliuetanos S. Mariæ Nouæ de Vrbe, & Alexandrum, & alios de Piccionibus, vbi teſtatur ita communiter à Doctoribus teneri.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc verſio, nonne ſufficienter probatur ex pręexiſtentia veri debiti, & illius ſolutione?

R E S P. Huiuſmodi verſionem coniecturis, & pręſumptionibus ſatis ſufficienter probari, dixit Rota in deciſ. mox cit. Sed in puncto quod hoc modo dicatur probata ipſa verſio, firmauit contra hos Monachos Oliuetanos Rota coram eod. Rubeo in eadem cauſa Deuolutionis domus 12. Februarij 1582.

XII.

Edita Anno 1507.

ET ſi ad vniuerſos Regulares, & infra pagina 421. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat omnes gratias Cōgregationis Monachorum Beatæ Mariæ Montis Oliueti. §. 1. Eas iubet in dubio ad fauorem Congregationis interpretari, §. 2. Communicat priuilegia inter loca Congregationis, §. 3. Vna tamen omnium ſit Congregatio, §. 4. Capitulum generale edere poſſit conſtitutiones ab omnibus obſeruandas, §. 5. Reformatio Monaſterij, vt fienda, §. 6. Obedientia Prælatorum erga Abbatem, aliorumque erga eos, §. 7. Appellatio à Capitulo, & Abbate prohibita, §. 8. Iudicia iuxta conſtitutiones fiant, §. 9. Translatio ad aliam Religionem à Pręlatis Congregationis non permittenda, niſi de licentia Papæ, de ea expreſſam mentionem faciente, §. 10. Apoſtatarum receptio interdicta, §. 11. Tranſlati ad loca Monachorum Conuentualium, pro Conuentualibus habeantur, §. 12. Loca omnia gratijs eis à Sede Apoſtolica conceſſis, dummodo Congregationis inſtitutis non ſint contraria, gaudeant. §. 13. Loca non ſint ad inuicem ſubiecta, ſed Congregationi. §. 14. Loca etiam Congregationi vnita, regantur ab eius Prælatis à Capitulo, vel Abbate eligendis. §. 15. Qui ad eorum nutum amoueantur, §. 16. Electique ſtatim adminiſtrent. §. 17. Ipſiſque abſentibus, alijs adminiſtratio detur. §. 18. Monaſteriorum, & Prioratuum collatio de cætero, vt fienda. §. 19. Intrantes Ordinem qui impedit, excommunicatur. §. 20. Et etiam qui Monachum ad eius ſeruitia extra Ordinem acceperit, §. 21. Vagantes ad Ordinem reuocentur, §. 22. Exemptio datur ab Ordinariorum, & aliorum omnium iuriſdictione. §. 23. & ſeq. Nec non à gabellis. §. 25. Decimiſq; §. 26. Legata Ordini acquiruntur. §. 27. Pręſcriptio annorum 60. Ordini pręiudicat, §. 28. Celebrant Monachi etiam tempore interdicti. §. 29. A quocunque Antiſtite Ordines ſuſcipiunt. §. 30. Pręlati cum eis diſpenſant. §. 31. Confeſſiones audiunt. §. 31. Participantes cum excommunicatis quando ligentur. §. 33. Pręlatorum facultas diſpenſandi à recitatione diuinorum. §. 34. Sepultura in locis Congregationis, vt conceditur. §. 35. Simonia beneficialis, vt incurritur. §. 36. Priuilegia Congregationis à derogationibus, vt pręſeruantur. §. 37. Indulgentiæ perſonarum Congregationis quæ, §. 38. Itinerantes, vt ante diem celebrare poſſint. §. 39. Facultas habendi Conſeruatores datur. §. 40. Contrarijs derogatur. §. 41. Fides tranſumptis huius Conſtitutionis debetur. §. 42.

Schol. primum.

Quæro. Iſta Congregatio eſt ne arctior, vt pętendit, cæteris Congregationibus Monachorum Regulæ Sancti Benedicti?

R E S P. Sic ſcribit Lapus alleg. 130. incip. Pro dubij, num. 1. & ſequitur Tuſch. in verbo Religio concl. 140. n. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Facultas Abbatis, de qua in §. 15. intelligitur, vt poſſit etiam conſtituere Priorem in aliquo Monaſterio ſibi ſobiecto, in quo hactenus ex cauſa fortaſſis non fuit ab eo deputatus?

R E S P. Conſtituere poſſe oſtendit in terminis eiuſmodi conſtitutionis Monachorum Montis Oliueti Panorm. in conſ. 25. lib. 2. num. 1. vbi ſoluit etiam alia duo dubia exinde ſuborta.

XIII.

Edita Anno 1507.

MIlitantis Eccleſiæ regimini, & infra pagina 426. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vrbanus II. & alij Romani Pontt. nonnullas gratias Congregationi Monachorum Vallis Vmbroſæ Ordinis S. Benedicti conceſſerunt, §. 1. Quæ hic Pont. approbat,

Et

Digitized by Google

Et priuilegia à Principibus quoque, & Prælatis elargita confirmat. §. 2. & 3. Indulta Congregationi Caſſinen. eiuſq; Monachis conceſſa, & concedenda, huic Congregationi, & & eius Monachis communicat. §. 4. Contrarijſq; derogat. §. 5. Et tranſumptis huius Conſtitutionis credi iubet, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Iſta communicatio priuilegiorum extenditur ad illa, quæ alicui Monacho Congregationis Caſſinenſis dantur?

RESP. Negatiuam ſententiam tenet Rodericus de Quæſtionib. Regular. tom. 1. quæſt. 55. artic. 18. ad finem vbi ſubdit, quod ſi contrarium diceretur, tota Religionum obſeruantia funditus euerterentur, cum in vnaquaq; Religione ſint aliqui Patres ob iuſtiſſimas cauſas in multis diſpenſari.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hac eadem igitur ratione dicendum ne erit, non cenſeri communicata priuilegia regulari obſeruantiæ huius Congregationis contraria?

RESP. Bene arguit, & ante hoc idem tradidit Roderic. d. quæſt. 54. artic. 12. in fine.

XIV.

Edita Anno 1507.

CVm ſicut accepimus in noſtra Camera, & infra pagina 427. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ Officialibus, &c. Miniſtris omnibuſque alijs, quatenus ſcripturas, & libros, & documenta quæcunque ad ipſam Cameram quoquomodo ſpectantia, debeant infra octo dies in d. Camera reportaſſe, & illa adnotari feciſſe. §. 1. Et quod nullus de cætero, illa habere, & retinere poſſit vltra terminum decem dierum, abſque expreſſa Clericorum licentia, in libris Cameræ adnotanda, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi quis haberet aliquam ſcripturam publicam penes acta Curiæ rogatam, ſpectantem ad litem vertentem inter eum, & Cameram?

RESP. Satis erit denunciare apud quem Notarium ſcriptura illa rogata ſit, Graff. in ſuis Deciſ. lib. 4. cap. 8. num. 24. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi in termino octo dierum non reportaui ſcripturas, quia tempore huius reſcripti eram abſens, & illud ignoraui in d. termino, numquid pœna excommunicationis me comprehendet poſt d. terminum?

RESP. Crederem te comprehendere per ea, quæ ſcribit Sotus lib. 4. diſt. 22. quæſt. 1. artic. 2. caſu 1. & Nauar. in Manuali Confeſſor. cap. 25 num. 46. in fine, ideò illa reportes tutiorem viam eligens, quamuis aliter ſcribit Marc. Ant. Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in Prax. Archiep. Cur. Neap. cap. 2. ſub num. 7.

XV.

Edita Anno 1507.

SIcut prudens paterfamilias, &c. infra pagina 427. *Item*, Apoſtolatus officium, & infra pag. 430. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro inſtrumentorum, ſcripturarum, & actorum in Vrbe ſalubriori conſeruatione, erigit Collegium centum, & vnius virorum Archiuij Romanæ Curiæ, §. 1. & ſeqq. Qui eo ipſo, quod ad huiuſmodi officium aſſumuntur, abſque alia legitima creatione, Notarij exiſtant, & de omnibus contractibus, & vltimis voluntatibus rogari, & inſtrumenta conficere poſſint, §. 4. Archiuium habeant publicum in Palatio Apoſtolico, ad quod omnes Vrbis Notarij portent notas inſtrumentorum, §. 5. Alij in Vrbe, & Suburbijs rogare volentes à Collegio examinati, & approbati ſint, aliàs rogare non poſſint, ac vti falſarij puniantur, §. 6. Defunctorum Notariorum prothocolla ad Archiuium deferantur, §. 7. Proceſſus cauſarum finitarum ad illud portentur, §. 8. Correctores decem deputentur qui alios Scriptores recipiendos examinent, §. 9. Et Notarios creare poſſit, §. 10. Collegium legitimat baſtardos in Dominio Papæ, §. 11. Archiuij Scriptores teſtium in Curia examinandorum interpretes ſint. §. 12. Et Notarij omnium Iudicum Romanæ Curiæ non habentium proprium Notarium, §. 13. Statutaq; inter ſe formare valeant, §. 14. Familiaritatis Papæ gratia donantur, §. 15. Officiaq; ad eorum libitum reſignare poſſint, §. 16. Decretum irritans apponit, §. 17. Contrarijs derogat, §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Si quis Notarius non matriculatus in Archiuio, tempore magnæ peſtis conficeret inſtrumentum, excuſaretur à pœna, de qua in §. 6.?

RESP. Excuſari voluit Rota deciſ. Peregr. 74. par. 3. Diuerſ. lib. 1. loquens ſpecifice de bulla huius Archiui.

Schol. ſecundum.

Quæro. Habes alium caſum in quo idem Notarius poſſet excuſari alio tempore, quam peſtis?

RESP. Si conſtaret de legalitate Notarij, & de veritate rogitus excuſaretur Notarius, quamuis non matriculatus, quaſi iſto caſu Bulla hæc non fuerit vſu recepta Pur. deciſ. 296. lib. 1. in Nouis per totam, & Thanus deciſ. 113. in Manuſcript.

XVI.

Edita Anno 1508.

ROmani Pontificis, in quo diuina, & infra pagina 331. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ferdinandus Aragonum, & Siciliæ Rex, Militiæ de Calatraua perpetuus adminiſtrator à Sede Apoſt. deputatus, exponit Papæ ſtatutum d. Militiæ cauere certam portionem à Militibus de fructibus beneficiorum pro communi theſauro præſtan. eſſe §. 1. & 2. Eorumq; collectores in Capitulo generali eligi debere, §. 1. Et in quos vſus conuerti debeant præfiniuit, §. 4. & ſeqq. Hæc ſtatuta ipſe Ferdinandus approbauit. §. 8. Et modo Papæ ſupplicat quatenus eadem ſtatuta, & facultatem præſentandi Ordinarijs locorum presbyteros pro cura Eccleſiarum huius Militiæ, comprobet, §. 9. Et hic Papa prædicta approbat, atque concedit, §. 10. Indultaq; omnia Ordini Ciſtercienſi conceſſa & quæ in vſu ſint, ad hanc Militiam extendit, §. 11. Contrarijs derogat, §. 12. Tranſumptis huius Bullæ credi iubet, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Militia, vnde hoc nomen ſortita eſt?

RESP. A loco Calatrauæ in regione Toletana, vbi Militum Templariorum Cœnobium fuerat, qui cum Saracenis reſiſtere non valerent, nouis his Militibus cedere iuſſi ſunt, vt ſcribit Petr. Caleſat. de Equeſtr. dignit. num. 25. poſt Chaſſan. in Catal. Glor. Mundi par. 9. conſider. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis huius Militiæ author fuit, & de quo tempore.

RESP. Sanctius Rex Hiſpaniarum, anno 1160. ſecundum Chaſſan. vbi ſupra, ſed ſecundum Perr. Caleſat. in loco citat. anno 1120. à quo pariter diſcordat Ciacon. in vita Calixt. II. dicens ab eodem Rege hanc Militiam inſtitutam anno 1121.

XVII.

Edita Anno 1508.

DVm ad fructus vberes, quos Carthuſien. Ordo, & infra pag. 432. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert fructus Ordinis Carthuſian. in princip. Et quod omnes Fratres vnius Prioris Carthuſiæ Gratianopolitanæ, & Diffinitorum Capituli obedientiæ ſubſunt, §. 1. Et ſi aliter fieret, Ordo ad laxiorem viuendi modum declinaret, ibid. Decernit ideò hic Pont. quod non procuretur aliqua diuiſio, ſeu exemptio, ſub grauibus pœnis à communi obedientia dicti Prioris, & Capituli generalis, §. 2. & 3. Et prædictis Priori, & Capitulo, dat facultatem diſpenſandi cum Fratribus d. Ordinis, etiam ex alijs Ordinibus Mendicantibus receptis, §. 4. Derogat omnibus contrarijs, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Vſque modo in alijs huius Ordinis conſtitutionibus, oblitus ſum abs te quærere, quis fuit eius inſtitu-

Digitized by Google

tor; Et an ille inter Sanctos relatus ſit à Leone X. vt pluries legi, & nouiſſimè apud Baron. in Martyrolog. die 6. Octobris, & Roderic. Quæſtion. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 8.?

R E S P. Bruno Alemannus nobilis Ciuis Colonienſis, cum aliquibus eius Socijs dicti Ordinis promotor fuit, teſte Roderico, vbi ſupra, poſt Chaſſan. in Cathalog. Glorię Mundi, par. 4. conſider. 62. & cæteros ab eo relatos. Canonizatum verò à Leone X. vt ſcribit Roder. vbi ſupra, & Baron. in Martyrolog. ac Surius in vita huius Sancti rarum non habeo, quia in Bibliotheca Genitoris mei, eius bullam non inueni. nec ab ipſo, qui diligenter huiuſmodi bullas vndiq; exquiſiuit, editam video. Sed in eadem Bibliotheca decretum repertj Leonis prędicti, qui Fratribus dicti Ordinis dumtaxat, in eorum domibus, & Eccleſijs feſtum illius ſolemniter colendi, debitaque deuotione die 6. Octobris celebrandi, necnon commemorationem ſingulis diebus de eo faciendi, licentiam viuæ vocis oraculo conceſſit, die 9. Iulij 1514. Romæ. Quod quidem decretum legitur in manuſcriptis literis teſtimonialibus Antonij de Monte Cardinalis, tit. S. Praxedis eo tempore dicti Ordinis Protectoris à Priore Carthuſiæ Papiæ, per eundem Genitorem meum hoc anno 1614 habitis. Et concordat Surius, vbi ſupra in verſ. Is Pontifex, licet in fine ponat Epigrãma, in quo dicitur Leonem de voto Cardinalium, inter Sanctos adſcripſiſſe, & diploma Leonis in magna Chartuſiã aſſeruari.

Schol. ſecundum.

Quæro. Mendicantibus omnibus, tranſire ad Carthuſienſes permittitur hic in §. 4.?

R E S P. Videtur permitti, ſed clarè diffinitum eſt à Martino V. in Extrauag. 1. de Regular. & probat Nauar. de Regular. Comment. 4. nu. 31. in fine. Roder. de Quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. artic. 18.

XVIII.

Edita Anno 1508.

ETſi ad benemerendum, & infra pagina 433. Bullar.

COMPENDIVM.

Facultas data Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, noua loca acquirendi, & ſuſcipiendi, extenditur etiam ad quaſcumque domos, & Eccleſias Parochiales, cuiuſcunque ſint Ordinis, & profeſſionis, §. 1. Priuilegia hactenus conceſſa confirmantur, §. 2. Et gratiæ Ordinum Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Seruorum conceduntur, §. 2. Generalis, & Vicarius Ordinis, ſacris vſibus neceſſaria benedicere poſſint, §. 3. Ab ordine exiri prohibetur, §. 4. Et deſuper litigari interdicitur, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Generalis ergo vigore Apoſtolici indulti, & non de iure communi poterit benedicere calices, & paramenta?

R E S P. Ità profectò, quia virtute Ordinis facultas huiuſmodi paramenta benedicendi ad Epiſcopum ſpectat Nauarr. in Manuali Confeſſor. cap. 25. num. 84. ad finem. Ioan. Franc. Leon. in ſuo tract. Theſaur. For. Eccleſ. part. 1. cap. 6. de Benedict. num. 7. & nouiſſimè Iacob. Sbroz. in ſuo Tract. de Vicar. Epiſcop. lib. 2. quæſt. 10. num. 8. vbi alios allegat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid hac facultate benedicendi paramenta vti poſſunt Generalis, & Vicarius extra eorum loca?

R E S P. Negatiua ſententia mihi probatur, arg. text. in cap. 3. de Priuileg. in 6. verſ. Alibi autem.

XIX.

Edita Anno 1509.

REgis pacifici, qui regnat in cœlis, & infra pag. 433. Bullarij.

COMPENDIVM.

Duella in locis S. R. Eccleſiæ mediatè, & immediatè ſubiectis, ex quacumque cauſa etiam à legibus permiſſa fieri ſub excommunicationis latæ ſententiæ pęna, prohibet §. 1. & 2. Duellantes, ſiue pugiles, vbique impune capi, & puniri poſſe decernit, d. §. 2. Et corpora in duellis morientium in ſacris locis ſepeliri vetat ibid. Communitatibus, & Baronibus ſub eadem pœna excommunicationis, & interdicti Eccleſiaſtici, & quatuor millium ducatorum pro prima vice, & priuationis feudi pro alia vice, permiſſionem duellorum prohibet, §. 3. Contrarijſq; conſuetudinibus, & indultis derogat, ibid.

Schol. primum.

Quæro. Ante hanc legem, duellum erat nè aliquo iure prohibitum?

R E S P. Nedum canonico, & ciuili, vt in cap. 1. de Purgat. vulg. & l. 1. Cod. de Gladiatorib. ſed etiam de iure diuino, vt eruditè oſtendit, poſt alios Barbat. conſ. 62. lib. 1. num. 8. Lancellot. in ſuo Templo Iudic. lib. 1. cap. 1. §. 3. num. 7. vbi alios congerit Grat. conſ. 3. lib. 2. nu. 5. & ſeqq. & Soc. Iun. conſ. 123. lib. 2. num. 1. & ſeqq. & Viuius comm. opinin. 232. vbi de communi. Et quæuis conſuetudo in contrarium corruptela dicenda eſſet, vt ibi ſubdit Barbat. & latè Grat. vbi ſupra, & Socin. iam citat. Et Principes aliter faciendo peccarent, vt per Syluan. conſ. 51. nu. 1. Et Soc. præcitat. num. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne ſaltem hoc ius nouum, quod corpora mortuorum in duello, non ſepeliantur in loco ſacro?

R E S P. Non, quia iam vetitum fuerat in capit. 1. & 2. de Torneam. Folles. in Pract. crimin. par. 2. cap. 27. num. 2. Intelligendo tamen id procedere, ſi mortuus ex condicto pugnauit, ſecus ſi caſu fortuito, ibi perijt, vt eiſdem iuribus cauetur expreſſè, & tradit Lancellot. iam cit.

XX.

Edita Anno 1509.

ROmanus Pontifex pacis, & infra pag. 434. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſuetudinem capiendi, & retinendi bona Chriſtianorum per naufragium, vel iactum, leuandæ nauis gratia, aut alia vrgenti neceſſitate, factum ad litora maris locorum S. R. Eccleſiæ mediatè, & immediatè ſubiectorum, declarat eſſe corruptelam, neminiq; ſuffragari debere, §. 1. & 2. Pœnas à lege, vel canone, contra huiuſmodi ſpoliatores innouat, & confiſcationis bonorum pęnam addit. §. 3. Dominos locorum, & Vicarios hæc permittentes, eo ipſo excommunicatos fore decernit ibidem. Raptores prędictos in fragranti crimine repertos, & latrones, & graſſatores puniri mandat ibidem. Excipit caſum, quo nautæ in manifeſto periculo conſtituti, illorum opem implorarent, qui eis non ſine vitæ diſcrimine in perſonarum, & rerum conſeruatione, aut recuperatione, auxilio fuerint ibidem. Indulgentiam auxilium pręſtantibus confert, §. 4. Executorem deputat, §. 5. Contrarijſque derogat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi huiuſmodi conſuetudo, non eſſet de naufragantium bonis rapiendis, ſed certa, & moderata portione bonorum eiuſmodi recuperatorum, auxiliatoribus dandi?

R E S P. Licita eſſet, & fauore naufragorum inducta, vt celerius ſuccurrantur. Sum. Armill. in verbo Naufragium. num. 2. verſ. Si autem, & Syluestr. nu. 3. Alberic. in ſuo Dictionario, in verbo Naufragium. Et Romæ extat cõſuetudo de quarta bonorum ope auxiliatorum recuperata, vt habetur infra in conſtitut. 42. Pauli III.

Schol. ſecundum.

Quæro. Pęna legis, & Canonis indicata in §. 3. quæ eſt?

R E S P. Pęna legis ciuilis erat quadrupli, l. 1. ff. de Incend. Ruin. & Naufrag. Canonis verò excommunicationis cap. 1. de Raptoribus. Cuius abſolutionem nemini hactenus reſeruatam fuiſſe dicit; quamuis hodie aliter cautum ſit, in Bulla Cęnæ Domini, vt aduertit Nauarr. conſ. 1. de Pęnitent. lib. 5. incip. Epiſcopus num. 1.

Expo-

Digitized by Google

Edita Anno 1509.

XXI.

EXponi nobis nuper feciſti, &c. infra pagina 435. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat Clementem IIII. Ordini Fratrum Minorum de Obſeruantia conceſſiſſe, vt Ordines Mendicantes non poſſint ædificare Monaſteria, prope loca d. Ordinis infra ſpatium cannarum tercentum, in princ. Idemque priuilegium poſtea datum fuiſſe Ordini Fratrum Prædicatorum, vt inter eos eſſent communia eorum priuilegia. §. 1. Illud inſuper Clem. IIII. reduxiſſe contra Fratres Prędicatores ad cannas 140. §. 2. Et ideò dubitatum fuiſſe, an dicta reductio noceret dictis Fratribus Minoribus. §. 3. Declarat ergò iſte Pont. eis non nocere, illudq; eiſdem iteratò concedit. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hoc priuilegium nonnè eſt omnibus Ordinibus Mendicantium effectum commune, per communicationem priuilegiorum, per eos pluries à Sede Apoſtol. obtentam?

RESP. Commune eſſe ſcribit Eman. Roder. de Quæſtion. Regul. lib. 2. quæſt. 49. artic. 5. Sed non practicari hoc priuilegium inquit Sorbus in Compend. Priuileg. Mendic. in §. Aedificare.

Schol. ſecundum.

Quæro. An ſtante dicto priuilegio, poſſit aliquis Eremita penes dicta loca in Eremo habitare?

RESP. Affirmatiue, nixus declarationi Bonif. VIII. in cap. 1. de Exceſſ. Prçlat. in 6. vbi ſic ad literam decreuit, dummodo non extet de propinquo hominum habitatio.

Edita Anno 1509.

XXII.

SVſcepti regiminis nos cura ſolicitat, & infra pag. 435. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Pium II. prohibuiſſe appellationem ad futurum Concilium. §. 1. Venetoſq; nihilominus à monitione ipſius Iul. II. quod Sedis Apoſtolicæ loca occupata dimitterent, ad futurum Concilium prouocaſſe, §. 2. Et ſimiliter Bentiuolios Bononiæ occupatores, §. 3. Refert inſuper nonnullos prætendere, non contrauenifſe d. prohibitioni Pij II. ex quod actuali appellationi, & ſcripturæ ſe non immiſcuerunt. §. 4. Iſte ergo Pont. eam prohibitionem ad iſtum caſum extendit. §. 5. Venetorum, & aliorum appellationes eius eſſe irritas decernit. §. 6. Et loca ad quæ contrauentores declinant, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. §. 7. Contrarijs derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Cur inquit Genitor tuus in rubr. huius Bullæ hanc prohibitionem primò relatam fuiſſe in bulla Cœnæ Domini à Greg. XIII.?

RESP. Quia in Bulla 25. Cęnæ Domini ab iſto Pont. edita, & alia bulla 10. Paul. III. quas ipſe habere potuit, hæc prohibitio non legitur. Et etiam quia Nauarr. Super ſuo Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 58. Gregorium XIII. inquit primò eam prohibitionem poſuiſſe in ſua Bulla Cęnæ Domini, quam ibi Nauarr. interpretatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſta prohibitio à Greg. XIII. & eius ſucceſſoribus iteratur annis ſingulis in Bulla Cęnæ Domini, remiſſius, præſertim quoad Conſultores, & alios, quam decideri Iulius hic, Dicas modo hæc lex ab illis modificata ne remanet?

RESP. Non modificari iſtam, ab illis puto, ex eo quod vtraq; lex ad primatum Sedis Apoſt. præſeruandum edita eſt, & inſimul conueniunt, per ea, quæ Bart. num. 7. Imol. nu. 15. & alij communiter tradunt in l. 1. §. hoc autem edictum .ff. de nou. oper. nunc. & facit tex. in auth. de Adminiſtr. Offic. in fine.

Edita Anno 1509.

XXIII.

LIquet omnibus Chriſtianæ fidei cultoribus, & infra pag. 437. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sicut B. Petrus Apoſtolorum Chriſti Princeps fuit, ita illius Baſilica in Vrbe, congruentius reſtaurari conuenit, & ampliari, §. 1. Eius ergò reſtaurationi manum apponit, & abſq; pijs Chriſti fidelium ſubuentionibus perficere non poſſe videns, ideò aliquod ſubſidij, pecunia, vel opere infra annum dantibus, aut promittentibus, dedit facultatem eligendi Confeſſorem, qui in foro conſcientiæ certis caſibus eos abſolueret, §. 2. & 3. Et poſtea annum ad eius beneplacitum prorogauit, & pro Vltramontanis Commiſſarium ad eos deſtinauit. §. 4. Eoque vita functo, nunc alium deputat. § 5. & 6. Eleemoſynaſque elargientibus, plenam peccatorum remiſſionem concedit. §. 7. Licentiamque eligendi Confeſſorem, qui certis exceptis caſibus eos abſoluat, impartitur. §. 8. Commiſſario dat authoritatem pro ſubſidio d. Fabricæ componendi ſuper incertis, & prauè quæſitis, ac malè ablatis, §. 9. & ſeqq. Necnon ſuper debitis illis, quibus Romana ſuccedit Eccleſia, ac legatis, locis, & perſonis in genere, abſque vlla ſpeciali determinatione, & proprijs nominibus non expreſſis. §. 11. & ſeq. Dat etiam facultatem diſpenſandi in multis caſibus, §. 14. Componendique cum occupatoribus bonorum Eccleſiaſticorum, §. 15. Et ſuper relictis ob male ablata, vel pijs locis, & perſonis incertis, vel bonis reſtituendis eis, cui receptio non competit, §. 16. Ac ſuper relictis pro redemptione captiuorum, vel propterea debitis, § 17. Vel exponendis in Conuiuijs, ac publicis ſpectaculis in diebus feſtiuis, §. 18. Et declarandi dubia ſuper præmiſſis exorienda. §. 19. Suſpendendi Indulgentias locorum piorum. §. 20. Commiſſarium impediri prohibet. §. 21. Alios ab eo ſubdelegari indulget, §. 22. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 23.

Schol. primum.

Quæro. Quod hic dicitur, Commiſſarium componere poſſe ſuper relictis, pro male ablatis in §. 16. quomodo intelligendum?

RESP. Fabricæ Commiſſarius ſuper illis componit, ſi verè legatarius non probat ſibi aliquid ablatum, quia tunc legatum ei integrè deberi videtur, non propriè vt legatum, ſed tamquam debitum, arg. l. Si ſeruo 84. ff. de hæredibus inſtituen. per quero ſic tenet in terminis non abſimilis Bullæ Roman. conſ. 164. num. 4. cui adhæret Tiraquell. de Reuoc. donat. §. libertis, ſub num. 88. vbi latè.

Schol. ſecundum.

Quæro. Legata incertis perſonis, de quibus in d. §. 16. dicentur ne legata dotium, pro puellis ab hærede teſtatoris nominandis?

RESP. Non, quia idem eſt legata certa eſſe ab initio, vel poſtea, vt in priuilegio Regi Franciæ dato per Papam de legatis incertis, reſpondet Oldrad. in conſ. 61. ſub num. 3. quem ſequitur Pariſ. conſ. vlt. lib. 3. in fin. & Mantica de Coniectur. vltim. volun. lib. 8. tit. 4. ſub num. 18. & eſt text. apertus in l. 1. ff. de leg. 2. vbi id fauore vltimarum voluntatum diffinitum puto, & ita deciſum fuit à Rota coram R. P. D. Caualerio, in vna Romana fideicommiſſi della Porta, die 27. Iunij 1612.

Edita Anno 1510.

XXIV.

FIde digna relatione, & infra pagina 440. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat in Prouincia Marchiæ, multa homicidia pleriſq; modis patrari, & præſertim, quod per Procuratores homicidæ defendi ſolent in princ. Ideò ſtatuit, vt quiuis in prouincia Marchiæ delatus pro crimine, cuius pœna ſit capitalis, vel ſanguinis, maximè in cauſa homicidij, per procuratorem excuſatorem, &c. non admittatur, niſi in carcere conſtitutus. §. 1. Et ſi Iudex ex cauſa aliquem duxerit admittendum, poſſit in quocunque iudicij ſtatu, etiam poſt ſententiam ad carceres recurrere, §. 2. Niſi extaret Statutum in loco, quod reus contumax, habeatur pro confeſſo, quo caſu non audiatur, niſi liquidò conſtet de eius innocentia,

centia, d. §. 2. Gratiati à Papa, eiuſque Legato, aut Camerario, de aliquo homicidio, coram Præſidente d. Prouinciæ comparere, & gratias iuſtificare debent, §. 3. Homicida inſuper attingens annum 20. pro maiore habeatur in omnibus, in præmiſſis delictis, §. 4. Quibuſcunque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Bulla in §. 4. eſt ne intelligen. etiam de attingente annum 20. non contumace?

RESP. Non, quia pars præcedens bullæ, loquitur de contumacibus, vt per alios non audiantur, &c. Et in hoc §. 4. extat illatio *inſuper*, quæ eſt ampliatiua cum repetitione præcedentium qualitatum. Cuman. conſ. 112. num. 2. Dec. conſ. 190. num. 7. & Surd. deciſ. 285. num. 10. Et etiam, quia conſtitutio pœnalis, & correctoria, reſtringenda eſt ad cauſam, pro qua emanauit. Bald. in l. 3. §. ex hoc edicto. ff. Naut. Caup. & Sta. Aymer. conſ. 236. num. 6. & ſeq. Honded. conſ. 99. num. 8. & ſeqq. Et hunc ſenſum tenuiſſe Sacram Conſultam, Genitor meus pluries mihi aſſeuerauit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huic bullæ in §. 1. ſatisfacit Iudex, ſi reo vnum, vel alium locum, pro carcere aſſignat?

RESPON. Satisfacere ſcribit Angel. loquens de ſimili ſtatuto in l. penult. ff. Quod met. cauſ. num. 1. & Iaſ. in repet. l. Admonendi 31. ff. de iureiur. nu. 174. vbi id cordi tenendum eſſe inquit, & ſequitur Cotta in Memor. in verbo, Carceres variantur, necnon Tiraq. de Pœn. temperand. cauſ. 31. num. 12.

XXV.

Edita Anno 1511.

CONſueuerunt Romani Pontifices, & infra pag. 441. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert, Pontifices Romanos pro Chriſtianæ religionis præſeruatione conſueuiſſe in die Cœnæ Domini, hæreticos, & alios mox dicendos, anathematizare, in princ. & §. 1. Hæreticos ergò quoſcumq; anathematizat. §. 1. Piratasque maritimos. §. 2. Noua etiam pedagia imponentes, aut prohibita exigentes. §. 3. Falſificantes literas Apoſtolicas. § 4. Arma, & alia prohibita deferentes ad Chriſtiani nominis inimicos. §. 5. Victualia deferentem ad Vrbem impedientes. §. 6. Perturbantesq; venientem, aut recedentem à Rom. Curia, aut ibi morantem. §. 7. Offendentes, aut offendere facientes Prælatos. §. 8. Siue recurrentes ad Romanam Curiam, aut in ea litigantes. §. 9. Impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, eorumque complices. §. 10. Offendentes Romipetas, & peregrinos ad Vrbem deuotionis cauſa accedentes, morantes, & recedentes. §. 11. Inuadentes loca S. R. E. §. 12. Contraria quæcunque non obſtare declarat. §. 13. Hanc bullam certo modo publicatam, vbiq; ligare decernit. §. 14. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Vtrùm Piratæ, de quibus in §. 2. incidant in hanc excommunicationem, ſi nihil cum effectu deprædantur?

RESP. Affirmatiue, vna cum Vgolin. de Cenſur. Eccleſ. par. 2. in explanatione ſimilis bullæ Clem. VIII. ea ratione, quod Pont. eos punit, qui præſumunt prædari, & ſic qui eo animo mare ingrediuntur, vbi reſpondet nonnullis contrarium ſentientibus, qui intelligi debent, quando bulla eſſet reſtringenda vigore verborum ſubſeq. vt tenet etiam Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 20. num. 6. & Graff. mox citandus, num. 67.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi incidenter bellando quis in mari cum inimicis ſuis, eos bonis ſpoliaret?

RESP. Tunc non intrat hæc bulla, quæ dirigitur contra eos, qui ex animo principaliter piraticam exercent, vt inquit Fumeus in Sum. Armil. §. Excommunicatio 13. & Nauarr. in Man. Confeſſ. cap. 27. num. 59. Syluestr. in ſua Sum. § Excommunicatio 7. num. 56. & Iacob. Graff. lib. 4. Deciſ. Caſ. Conſc. cap. 18. in explanatione, cap. 3. Bullæ Cœnæ Domini à Sixti V. editæ, & latius Rebuff. in ſuis Comment. ad ſimilem Bullam Pauli III. ſupr. 3. cap. quæ Commentaria ſunt in praxi ſua Beneficiali.

XXVI.

Edita Anno 1511.

EX paternæ Charitatis officio, & infra pagina 442. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Alexan. VI. vnionem feciſſe de Congregatione Monachorum Ordinis Ciſtercien. Tuſciæ, & Congregatione Lombardiæ, & ex eis Congregationem S. Bernardi in Italia conſtituiſſe, vt ſupra in illius conſtit. 7. pag. 82. §. 1. Et deinde eam reuocaſſe; ſed poſtea ab ipſis Congregationibus concordatis reintegratam fuiſſe, cum Capitulis inſraſcriptis. §. 2. & 3. Quod Capitulum alternatis vicibus, in vna, & deinde in alia ex dictis Prouincijs celebretur, §. 4. In eligendiſque Prelatis certa forma ſeruetur. §. 5. & ſeqq. Et Priores aliqui in Capitulo vocem habeant. §. 9. Profeſſi de vna, ad aliam Prouinciam non tranſmittātur abſque demeritis. §. 10. Monaſteria reformanda regantur à Prelatis ſuæ prouinciæ §. 11. Præſidentis authoritas quæ ſit in electione, & priuatione Monachorum, §. 12. Gratiæ poſt diuiſionem alteri Congregationi conceſſæ, ſint ad inuicem communicatæ, 13. Literæ contra hæc obtentæ, nullæ ſint, §. 14. Horum Capitulorum vnionis confirmatio petitur, §. 15. Papa confirmat omnia, §. 16. Contrarijſque derogat, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Quod in Capitulo fecit maior pars, num benè factum dicatur de iure communi?

RESP. Dicitur, ſi ſit etiam ſanior cap. 1. de His, quæ fiunt à maiori part. Capitul. vbi Scribb. declarant vim, & efficaciam verbi, Sanior.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi maior pars vnius Capituli, vellet conſtituere contrarium eius, quod prius ab omnibus in alio Capitulo, conſtitutum fuerat?

RESP. Controuerſa eſt opinio, ad ſcripta per Roman. conſ. 352. num. 12. iunctis allegationibus apoſtiliæ, quæ propterea rationabiliter, inquit, tenendam eſſe diſtinctionem Felyn. in cap. 6. de Conſtitut. num. 18.

XXVII.

Edita Anno 1511.

SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & infra pag. 443. Bullar.

COMPENDIVM.

Bononiam proficiſcens pro recuperatione quarundam Terrarum Sedis Apoſtolicæ, quidam Cardd. ab eo diſceſſerunt, & Papiam ſe contulerunt, & moniti à Papa ad ipſum redire recuſarunt, §. 1. Ibidem poſtea Conciliabulum, Piſanum nuncupatum, indixerunt, eo quod de ipſo Papa, vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizante, agendum eſſet. §. 2. Qui prætextus vani demonſtrantur, §. 3. Conciliorúmque generalium indictio, ſolummodo ad Papam ſpectat, etiam ſi de eius cauſa agatur, §. 4. & 9. & ſeq. Et legitimè ipſe Papa impeditus, non contrauenit iuramentu præſtita de tenendo Concilium generale poſt biennium à die ſuæ aſſumptionis, §. 5 & ſeq. Nec terminus ſibi aſſignatus ad accedendum ad Concilium competens fuit, §. 11. Neque locus congruus, neque tutus, §. 12. & 13. Ex ex his indictio dicti Conciliabuli nulla fuit, atque præſumpta, §. 14. Eam ergo hic Pontifex damnat, §. 15. Authores eius, atque complices grauibus pœnis alligat, §. 16. Loca dicti Conciliabuli, & ad quæ eos declinare contingerit, Eccleſiaſtico interdicto ſupponit, §. 17. Sacrum, & Oecumenicum Concilium Lateranenſe Romæ anno ſequenti celebrandum indicit, §. 8. Prælatos, & alios ad illud conuocat, §. 9. Imperatorem, & alios Principes hortatur, vt venientibus faueant, §. 20. Venientibus, eorumque familiaribus, ſecuritatem concedit, §. 21. & ſeq. Irritum quodcunque in contrarium attentandum decernit, §. 22. Huius indictionis Bullam, publicari iubet, §. 24. Eiuſque tranſumptis credi iubet, §. 25.

Schol. primum.

Quæro. Qui fuerunt Cardinales dicti Conciliabuli authores, & complices?

RESP. Bernardinus Carauaial moderator, Guillelmus

Briſ-

Digitized by Google

Briſſonetta, Renatus de Pria, Fridericus de S. Seuerino, & alij, vt ex actis Concilij Lateranen. Seſſ. 3. conſtare inquit. Benius in ſuis Notis ad hoc Conciliabulum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Recuperauit hic Pontifex, vt ſtudebat, Terras occupatas, vt hic dicitur in princ.?

RESP. Bononiam recuperaſſe, & Parmam, & Placentiam, & omnia Inſubrum Oppida, Hiſtorici teſtantur, & poſt alios Ciacon. in vita huius Pontificis.

XXVIII.

Edita Anno 1512.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 448. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollen. contentiones iuriſdictionum inter Iudices almæ Vrbis, decernit omnes (non tamen Mercatores notabiles, vel Oratores Principum, aut Communitatum, vel familiares Cardinalium, vel Curiales) incolas Romæ habitantes, & Ciues Romanos ſæculares conueniri in Curia Capitolij, aut coram alijs Officialibus ſæcularibus Vrbis, prout ad eorum officium ſpectat, §. 1. & 2. Clericos verò coram Vicario Papæ, vel alijs Officialibus Eccleſiaſticis Vrbis. §. 3. Pro delictis Curialium (non tamen Mercatorum, & aliorum, vt ſupra exceptorum, qui coram Aud. Cam. conueniri debent) in Curia Gubernatoris, vel Aud. Cam. vel Mareſcalli locum præuentioni eſſe decernit. §. 4. Ad Aud. Cam. appellatur à Mareſcallo; Et eius Iudex quotannis Syndicetur. §. 5. In cauſis priuatis Gubernator Tribunal non teneat; ſed ſit omnium Iudicum Superintendens, & regimen Ciuitatis totaliter curet, Officialium, & maximè Notariorum Criminalium tranſgreſſiones, cauſaſque mercedum manu regia cognoſcat. §. 6. Officiales omnes ſyndicari debent. §. 7. A Iudicibus Curiæ Capitolij ad Capitaneum appellationum appellatur. §. 8. Tabula marmorea mercedum pro Notarijs, & Executoribus affixa ſeruetur. §. 9.

Schol. primum.

Edita Anno 1511.

Quæro. Coram Senatore hoc mane dubitatum fuit, an ille dicatur ſe declaraſſe Vrbis incolam, qui anno præterito citatus coram Vrbis Gubernatore, fecit ab ipſo Senatore eam cauſam vigore huius priuilegij, & aliorum, Populo Romano conceſſorum reaſſumi, quis ergo hunc punctum in ſpecie decidit?

RESP. Affirmatiua opinio eſt tenenda, quam in ſpecie tradit Lucas Pætus in Pract. Cur. Capit. lib. 1. cap. 6. num. 5. verſ. Hinc dicebam, & pro ea habemus deciſ. Rotæ coram Litta in vna Romana Salu. interdict. die 7. Nouembris 1601.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi exemptus a iuriſdictione Cur. Capit. vt in §. 3. ibi conuentus non oppoſuit, & receptæ ſunt probationes?

RESP. Dic ſibi præiudicaſſe, niſi eſſet exemptio talis, quæ conſenſu partis remitti non poſſit, vt eſt in Clerico, ita hanc Bullam interpretata eſt Rota coram Cantuccio in vna Rom. fideicommiſſi Domus deciſ. 105. par. 2. Diuerſor. num. 6. & ſeqq.

XXIX.

Edita Anno 1513.

SI noſtrarum Ciuitatum, & infra pagina 449. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reintegrat inclytum Populum Romanum, ad ſuperioritatem, & iuriſdictionem in Ciuitate Tiburtina, §. 1. & 2. Conſeruatores dicti populi, pariter reintegrat ad iuriſdictionem eis ex Statutis Vrbis competentem, tam in ipſa Vrbe, quam in d. Ciuitate Tyburtina, & alijs eorum Caſtris. §. 3. Decernitq; in d. eorum iuriſdictione, per cuinſuis mandata, & præſertim Clericorum Cameræ non impediri, §. 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cum iſta conſtitutio ſit reintegratoria iuriſdictionis, nouum aliquid inducit?

RESP. Non, vſque ad §. 3. verſ. *Decernentes*, cum ſimpliciter reponat populum in ſua, quam antea habebat, iuriſdictione. Sed in verſ. *Decernentes* nouum ius inducit, nolens à Clericis Cameræ, & alijs Officialibus perturbari, prout ex vi d. verbi Decernentes, ſic tenuit gloſ. in Clem. fin. de Ætat. & qualitat. & in alijs locis, quæ notat Nauar. in cap. 9. de Reſtitut. Spoliat. in ſolut. Quintæ oppoſit. num. 8. poſt Panormit. in d. clem. fin. num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hoc verbum *Decernentes* ſemper eſt noui iuris inductiuum?

RESP. Non, vbi repugnat ſubiecta materia, quæ apparet, quod eſt noua, nam tunc receditur à propria verbi ſignificatione, & attenditur ſubiecta materia gloſ. & Scribentes in clem. vnica de Conceſſ præb. Panormit. in cap. a. de Iudic. ſub num. 20. vbi in fine, alias duas affert declarationes.

XXX.

Edita Anno 1513.

INter cæteros in militanti Eccleſia, & infra pag. 450. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat ordinationes, & gratias Canonicorum Regularium Congregationis S. Saluatoris, cuius in minoribus conſtitutus, Protector fuit. §. 1. Eorum dubia ad Congregationis fauorem interpretari iubet. §. 2. Priuilegia cuiuſque Monaſterij alteri communicat. §. 3. Vnitatem regularis obſeruantiæ, vbique teneri præcipit. §. 4. Eos veros eſſe Canonicos, declarat. §. 5. Priuilegia aliorum Ordinum, Congregationi elargitur. §. 6. Capitulo generali dat authoritatem, ſtatuta pro bono Congregationis regimine edendi. §. 7. Contrauentionemque ex contemptu tantum ad peccatum obligare declarat. §. 8. Prælati Reformationi iuxta Congregationis inſtituta intendant. §. 9. Capituli generalis correctioni omnes ſubſint. §. 10. Generaliſque Prioris obedientiæ, §. 11. De cuius licentia, & non aliàs ad Sedem Apoſtolicam appellatur, §. 12. Contra Prælatos, & Canonicos, iuxta formam conſtitutionum procedatur, §. 13. Ipſi extra Congregationem nemini ſeruiant, nec ſine licentia ad alios Ordines tranſeant. §. 14. Et fugitiuos Congregatio recipere non cogatur, §. 15. Habitum abſque licentia, nemo dimittat. §. 16. Vagantes extra clauſtra coerceantur. §. 17. Ingredientes Congregationem non impediantur, §. 18. & ſeq. Et bona incertarum perſonarum habentes, portare poſſint ad Congregationem. §. 20. Canonici choro non aſſiſtere, vel Officia recitare quando excuſentur. §. 21. Sacris initiari à quocunque antiſtite poſſint. § 22. Generalis, Diffinitores, Viſitatores, & Prælati, in quibus diſpenſent. §. 23. 28. & 29. Generalis ſacris vſibus neceſſaria benedicit. §. 24. Sacerdotes ante diem, vt celebrent. §. 25. Altari portatili, quando vtentur. §. 26. Tempore interdicti vt celebrent. §. 27. Perſonæ Ordinis, quando ſibi eligant Confeſſores. §. 30. Indulgentias, vt conſequantur. §. 31. Legatorum mandata exequi non cogantur, §. 32. Exempti vt ſint à ſuperioritate Ordinariorum, §. 33. & ſeqq. Mortuos in Eccleſijs eorum ſepeliant, §. 34. Exempti, vt ſint à ſolutione dariorum, §. 37. Decimarumque, §. 38. Procurationum quoque Legatorum, & Nunciorum, §. 40. Loca habita retineant, & noua acquirant, §. 41. & ſeqq. Preſcriptio 60. annorum tantum, contra eos attendatur, §. 42. Bona vt alienent, §. 43. Monaſteria etiam apud Sedem Apoſtolicam vacatura à Prælatis Cõgregationis tantum regantur, §. 46.

Schol. primum.

Quæro. De iſtis Canonicis S. Saluatoris, an de alijs Lateranen. ſunt intelligenda, antiqua Iura Pontificia de Canonicis loquentia?

RESP. De Lateranenſibus, nam iſtorum Congregatio iamdiù poſt illos inſtituta fuit à Greg. XII. vt ſupra in eius conſtitut. 2. ſup. pag. 50. dictum fuit, & aduertit Roderic. tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 3. artic. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Scopetini ijdem Canonici S. Saluatoris, vt fertur, appellati fuerunt?

RESP. Quia, vt inquit D. Antonin. in 1. part. ſuæ Hiſtor.

Digitized by Google

ſtor.tit.15.in Monaſterio S.Donati de Scopeto prope Florentiam ſito,Congregatio iſta initium habuit; Sed Roder. mox cit. antiquiorum eorum fuiſſe originem demonſtrat, nec repugnat quod quandoque ab illo inſigni eorum Monaſterio de Scopeto vocitati fuerint.

XVXI.

Edita Anno 1512.

CVm inchoatum huius ſacri Lateranenſis, & infra pag.457.Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt Concilij Lateranenſis proſecutione durante,Chriſtifideles à Schiſmaticorum peſtifero contagio ſe immaculatos valeant conſeruare, indictionem Conciliabuli Piſani, eiuſque ad Mediolanen. vel Vercellen.& ſacro approbante Concilio Lateranenſe,dicti Conciliabuli ad alia loca tranſlationem, illiq; aſſiſtentes, fauentes, qualitercunque conſentientes,& acta omnia irritat,& damnat, §.1. Et hoc Lateranenſe Concilium ritè indictum, & verum Concilium, Oecumenicumq; pronunciat, §. 2. Tertiam eius Seſſionem ad quartam diem Nouembris 1512.prorogat,§.3.

Schol. primum.

Quæro. Quò translatum fuit iſtud Conciliabulum, de quo in §.1.?

RESP. Primum Mediolanum, vt hic dicitur, deinde Lugdunum translatum ſcribunt omnes, & poſtremò Binius in Notis huius Conciliabuli.

Schol. ſecundum.

Quæro. Aliud nè Conciliabulum his temporibus contra iſtum Pontificem coactum fuit?

RESP. Conciliabulum Gallicanum Turonenſe, in quo decretum eſt,vt mitterentur ad Pontificem legati, qui cum eo de pace agerent,vel ſi ipſos nollet audire,eum prouocarent ad conuocandum Concilium Generale, vt ſcribit Binius in notis huius Conciliabuli.

L E O X. Italus,

creatus Anno 1513.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1513.

DVm ſingularem fidei conſtantiam, & infra pag.458. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat priuilegia à Prędeceſſoribus elargita Populo Romano,& etiam Statuta,nouaſque reformationes,§.1. & 2.Quamplura Officia eidem Populo reſtituit,§.3.Beneficia in Vrbe,& diſtrictu vacantia (nonnullis exceptis) non niſi Romanis Ciuibus conferri, etiam cum expreſſa præſentium derogatione decernit, §.4. Gabellam vini forenſis pro regimine Studij Vrbis aſſignat, §.5.& 7.Notarios Romanos à contentis in Bulla Iulij II. pro Archiuio Romanæ Curiæ edita,eximit,§.6.Incolas Vrbis à gabella vini forenſis,& farinæ liberat.§.8.Conſeruatoreſque Vrbis etiam à gabella vini Ripæ pro vegetibus 25. anno quolibet eximit ibidem.Pretium Sàlis minuit,§.9. Ciuitatem Tiburtinam,& Terram Coræ, cum earum territorij, Pop. Rom. ditioni de conſenſu,quorum intereſt, reſtituit, §. 10. Executores huius Bullæ deputat,§.11. Contrarijſque derogat, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt quod exteris, & non ciuibus Romanis, vt cauetur in §.4. beneficia nonnulla in Vrbe, eiuſque diſtrictu conferuntur?

RESP. Vt Clericorum exterorum quoque benemeritorum perſonis prouideat Papa, & hoc caſu, vel in literis apponit clauſulam *Accedente conſenſu Populi Romani*, & tunc, illo non accedente, gratia eſt nulla Rota coram Caputaque deciſ.103.par.3. Vel Papa huic Bullæ ſufficienter derogat, & dictus conſenſus non eſt neceſſarius, Rot.deciſ.304.par.2.Diuerſ.num.4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Gabella farinæ, de qua in §. 8. quæ, quantaue eſt?

RESP. Non eſt de ea quærendum,ſed ſummopere laudandum cenſeo Gregorium XIII.cuius authoritate Populus Romanus eam extinxit, vt in quodam ipſius Greg. diplomatè,die 1.Ianuarij 1583.expedito, perlegiſſe memini.

II.

Edita Anno 1513.

ETſi à ſummo rerum omnium conditore, & infra pagina 460.Bullarij.

COMPENDIVM.

Pontifices, & Principes Ordini Camaldulenſi, multa Priuilegia dederunt, §. 1. Vnitæ mox fuerunt Congregatio Eremi Camaldulenſis,& Congregatio Sancti Michaelis,Statutaq; edita pro regimine,tam Regulari quam Conuentuali,§.2.Hic Pontifex prędicta comprobat, §. 3. Dubia priuilegiorum ad fauorem Ordinis interpretari mandat, §. 4. Priuilegia omnibus Monaſterijs communicat, §. 5. Omnium Monachorum vna ſit Congregatio Eremi Camaldulenſis nuncupanda, §.6. & 56. Capitulum generale pro regimine Ordinis Statuta facere poſſit, §. 7. Maximè pro reformatione Monaſteriorum, §. 8. Generali obediant Prælati,& eis Monachi, §. 9. Appellatio eis vt prohibeatur, §. 10. Proceſſus vt formentur, §. 11. Tranſitus de loco ad locum, vt licitus,§.12. Fugitiui non recipiantur,§.13.Tranſlati, vt eorum locorum profeſſi cenſeantur, §. 14. Loca, & perſonæ Ordinis his gaudeant gratijs, quæ inſtitutis eios non obſtant,§.15.Loca ſibi ipſis, non ſint ſubiecta,§. 16. Monaſteria,vt conferantur,§. 17. Electa, vt gubernent,§.18.& ſeq. Loca Ordinis non commendentur, §.20. Sed à Prælatis Ordinis conferantur,§.21. Ingredientes Ordinem non impediantur, & ab Obſeruantibus recipiantur,§.22.& 103.Ingreſſi non recedant,§.23. Apoſtatæ coerceantur, §. 24. Ordo,à iuriſdictione omnium eximitur,§.25.Prælati,non cogantur intereſſe Concilijs, proceſſionibus,&c.§.26.In iudicio quando teſtes ſint,§. 27. Ordo eximitur ab impoſitionibus, decimis, præſtationibuſq; &c.ex bonis,hortis,&c.§.28.vſque 33. Monachi, vt ſuccedant, §. 34. Præſcriptio,quæ contra eos attendatur,§.35. Interdicti tempore, vt celebrent, §. 36. Ordines, vt recipiant, §. 37. Prælati,vt Monachos diſpenſent,§.38. Religioſos omnes recipiant, §. 39. Confeſſiones, vt audiant, §. 40. Specialis excommunicatio, tantum eos ligat, §.41. Diſpenſatio ſuper recitatione Officij, vt eis detur, §. 42. Sepultura omnibus in locis Ordinis detur, §. 43. Quæ pacta in eorum contractibus permittenda, §. 44. Priuilegia conſeruentur, §. 45. & ſeqq. Itinerantes, vt celebrent ante diem,§ 49.Peregrinatio Eremitis,vt permiſſa,§. 50. Familiares,vt priuilegiati. §. 51. Conſeruatorum electio, & facultas §.52.Beneficiorum vnitorum cura, §. 55. Loca Ordinis multa, §. 57.& ſeqq.Monialium ſubuentio, §. 77. & ſeqq. Loca extra Congregationem vacantia aggregentur, §.87. Generalis,& Prioris Eremi authoritas,§.88. & ſeqq. Eligaturq,de Conuentualibus,§. 90. Officium, vt duret,§. 91. In Eremo ſemper commoretur, §. 92. Duos eligit Vicarios,§.94. & ſeqq. Capitula duo celebrentur, & quæ,§. 97.& ſeq. Diffinitores,qui,§.100. Eremitæ ad Conuentuales non tranſeant,§.101. Sedè conuerſo, §.102. Obſeruantes eamdem omnes viuendi formam ſeruent, §. 104. Licentiæ ſtandi extra Ordinem reuocantur, §. 105. & ſeq. Beneficia curata,vt tenenda,§.107. & ſequenti. Obſeruantium Viſitatores omnia loca viſitent, §. 112. Eremitæ vitæ rigor ſolum à Capitulo immutari valeat, §. 113. Eremitarum Capitulum,vt fiat,§.114.& ſeq. Quidue poſſit, §. 117. Barbam deferre poſſunt, §. 118. Pecuniam non habeant, §. 119. Temporalium adminiſtratores, qui, §. 120. Rationem,vt reddant, §. 121. Hoſpitium, vt conſtruendum, §. 123. Qui ad eos admittendi, §.124. Clauſuram non exeant, §. 125. Eremita, vt acceptandus, §. 126. Non transferendus,§.127. Mendicantes, vt recipiendi, §. 128.

Immu-

Immunis,à quibus,§.129.& ſeqq. Recluſi, vt Miſſam audiunt,§.135. In quibus diſpenſentur,§.134. & ſeq. Eremitæq; §. 136. Peculium morientium extra Clauſtra Eremo applicetur,§.137. Statuta antiqua reformentur, & eis non derogetur,§.138.& ſeqq. Oratio pro Sede Apoſtolica, Papa,& Ordinis Protectore, vt fiat,§.141.& ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Exemptio hortorum,de qua in §. 33. importat, vt olera alijs vendere poſſint?

R E S P. Non,quia intelligitur de hortis, & oleribus pro vſu Monachorum tantum. Anchar. in cap. ex parte 10. de Decim.num.2. Panormit.num.3. Anan.num.1. Rota coram Seraphin. deciſ. 827. nu. 6. vbi ſic ſimilem Bullam Monachorum interpretatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Arrendatarij ſoluerent decimas non ſoluendas, præiudicarent his Monachis?

RESP. Nequaquam præiudicarent, vt Rota tenuit in deciſ. Seraph. 1563. vbi etiam ampliationes videre poteris.

III.

Edita Anno 1513.

SEdis Apoſtolicæ prouidentia gratiarum, & infra pag. 471. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Auditores Rotæ Romanæ, & eorum Locatenentes, aſſiduos ſtudiorum labores ſubſtinent, in adminiſtranda iuſtitia, omnibus ad Sedem Apoſtolicam confluentibus & congruentia non recipiunt ſtipendia, decet eos maioribus,quam alios gratijs,& fauoribus cohoneſtare, §. 1. Hic ideò Pont. iubet literas Apoſtolicas, tam gratiam, quam iuſtitiam cócernentes gratis pro eis expediri,§.2.& 3. Omnibuſq; contrarijs derogat.§ 4.

Schol. primum.

Quæro. Locumtenens in quo differt ab Auditore?

R E S P O N. Is dicitur locum tenere Auditoris, qui officio Auditoratus à Papa abſolutus promouetur, vt frequenter contingit ad Eccleſias Cathedrales,vel Metropolitanas,iuxta Bullam 6. Innoc. VIII. de qua ſupra pag. 77. Sed tamen ex indultu eiuſdem Papæ, tenet locum ſuum in Rota, cum facultatibus, & iuriſdictionibus, quibus antea vtebantur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Locum tenet, quem antea tenebat, vel alijs Auditoribus tanquam Epiſcopus præcedit?

R E S P. Tenet locum ſuum in Rota, ſecundum antiquitatem Auditoratus, vt ipſamet Rota cenſuit, in vna Romana, Præeminentiarum 16. Decembris 1585. coram Seraphino, quæ deciſio mox eſt, inter alias eius impreſſas 716. num. 15. Et fuit poſteà obſeruatum, cum ipſomet Seraphino,qui cum de anno 1601. creatus eſſet Patriarcha Alexandrinus à Clem. VIII. in Rota loco ſuo ſedit, quouſque ad Cardinalatus honorem ab eodem Pont. euectus fuit; Idemque hodie ſeruatur cum Reuerendiſſimo D. Franciſco Sacrato ad Archiepiſcopatum Damaſcenũ promoto à Paulo V. vt dixi ſupra ad conſtitur.6. Innoc. VIII. pag.77.& mox ad Cardinalatum per Greg. XV. vt dixi ſupra fol. 77. col.2. Extra Rotam verò, ſemper ipſe Epiſcopus præcedit, vt eſt notiſſimum,& ſcribit Gratian. Diſcept. Forenſ. lib.1. cap.298. num. 54.

IIII.

Edita Anno 1513.

DVm ſuauiſſimos,atque vberes fructus, & infra pagina 472, Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifac. VIII. in ſua conſt.9. de qua ſup. pag. 36. in Alma Vrbe generale Studium inſtituit, §. 1. Hic Pontifex approbat, § 2. Lectorum numerum,qualitates, & ſalaria deſignat,§. 3. Aduocationis munus,aut alterius,quam domi conſulendi officium Doctoribus lectoribus prohibet, §.4. Lectorum munus indicat. § 5. Rectori, & Reformatoribus Studij prædictorum obſeruantiam, Studijque correctionem,& reformationem delegat, §.6. Bidelli officium præfinit,§.7. Fori priuilegium, & Gabellarum exemptionem Scholaribus concedit, §. 8. Executores huius Conſtitut. deputat. §.9. Cardinales Studij defenſores eligit, §. 10. Rectoris obedientiam omnibus Curiæ executoribus præcipit,§. 11. Contrarijs derogat,§.12. Audire leges pro Canonum intelligentia, omnibus permittit,§. 13.

Schol. primum.

Quæro. Rector poterit ne Doctores, & Scholares in his,quæ eueniunt occaſione ſui regiminis, carcerare?

R E S P. Poteſt proculdubio, vt ſcribit Panormitan. in cap. 1. de Electión. in fine, & Rota in deciſ. Achillis de Graſſis 108.num.1.& ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Rectoris iuriſdictio extendit ſe etiam ad Scholares Clericos, ſi ipſe Laicus ſit?

R E S P. Huncarticulum latè diſcutit Panormitan. in quæſt.6. ſed mihi opinio negatiua magis placet, quia Bonifacius Papa in d. eius conſt.9. §. 2. ſuo Vicario eos ſubiecit.

V.

Edita Anno 1513.

APoſtolici regiminis ſolicitudo, & infra pag. 473. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia error ille à fidelibus ſemper exploſus, denuo ſit exortus, quod, ſcilicet, anima rationalis, mortalis ſit, & vna in cunctis hominibus, §. 1. Hunc ergo errorem damnat, & multis Sacræ ſcripturæ argumentis contrarium veriſſimum probat, & dicto errori inhærentes vti hæreticos plecti, iubet, §. 2. Philoſophis, vt catholicam huius articuli veritatem eorum diſcipulis explicent, committit, §. 3. In Sacris conſtitutis, Theologiæ, vel ſacris canonibus ſtudere mandat. §.4. Hanc ſanctionem in Studijs generalibus, annis ſingulis, in principio ſtudij publicari iubet. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Iſte error mortalitatis animæ, de quo in §. 1. à quibus proceſſit?

R E S P. Antiquus Arabicorum error fuit, quod anima cum corpore moreretur, vt tradit Eymeric. in Director. Inquiſit. par.2. quæſt.6. num. 59. pag. mihi 245. & Federic. de Senis conſ. 252. nu.1. vbi ſubdit, quod per multos canones huiuſmodi hæreſis poſtea damnata fuit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quamuis manifeſtè, & communiter, mortalitas animæ reprobata ſit, nonnè præter ſacrarum ſcripturarum, & Canonum authoritates, aliquid etiam de immortalitate animæ afferre vales?

R E S P. Nicæna Synodus 318. Epiſcopis congregatis, anno 328. celebrata, futuri ſæculi, & reſurrectionis fidiſſima teſtimonia retulit, dum volens ſuis decretis, etiam à Chryſantho, & Muſonio Epiſcopis ibi interim defunctis calculum adijci, quo dignioris eſſent fidei apud poſteros, vt refert. Nicephor. lib.8. cap. 23. reliqui Epiſcopi ſubſcripti, ad eorum ſepulchrum tabulis Concilij allatis, eos tamquam viuentes hac oratione allocuti ſunt, *Bonum certamen Diui Patres nobiſcum decertaſtis, curſum peregiſtis, fidem ſeruaſtis, ſi igitur cenſetis id, quod à nobis actum eſt, quoniam nunc nullo interpoſito obſtaculo, Trinitatis ſplendore illuſtrati, clarius id perſpicitis opus eſt, vos nobiſcum libellum ſubſcribere*. His dictis libellum obſignatum ad tumulum eorum depoſuere, noctemque totam inſomnem peregere, & poſtridie ad eum locum rediere, & ſigna inuiolata inuenientes, libello explicato, ſubſcriptiones illorum reliquis inſertas cognouere recentes adhuc in hęc verba conceptas. *Chryſanthus, & Muſonius, qui cum Patribus omnibus, in ſancta prima Oecumenica Synodo conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos libello ſubſcripſimus*, vt poſt Nicephor. vbi ſupra ſcribit Baron. tom. 3. ſuorum Annal. Eccleſ. pag. mihi. 329. litera C.& D.

VI.

Edita Anno 1514.

MErentur veſtræ deuotionis ſynceritas, & infra pag. 474. Bullar.

Quam-

COMPENDIVM.

Quamuis Nicolaus III. Clemens V. & alij Pontt. pro ſerenitate timoratarum conſcientiarum Fratrum Ordinis Minorum de Obſeruantia, loca, & bona etiam mobilia in ius,& proprietatem Romanæ Eccleſiæ ſuſceperint,nihilominus nonnulli adhuc hæſitant, ſi poſſunt habere ampla monaſteria,& pretioſa ornamenta Eccleſiaſtica.§. 1. Supplicant ideo deſuper prouideri.§ 2. Hic propterea Pontifex decernit,ea tamquam cuſtodes licite habere poſſe, §.3. Quibuſcumque non obſtan.§.4.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi iſti Fratres procurarent habere Monaſteria,& ornamenta Eccleſiaſtica pretioſa?

RESP. Non liceret, quia ex Regula eis non licet, & in hac Bulla, id non conceditur, ſed ſolus vſus, vt aduertit Corduba in oddit. ad collect. Compendij Priuileg. Fratrum Minorum in V. Ornamenta, & ſequitur Roderic. Quæſt. Regular.tom.3.quæſt.25.artic.2. &c. loquuntur ſpecifice de hac Bulla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod Collector prędictorum priuilegiorum, has literas ſubreptitie obtentas aſſerit?

RESP. Autumauit,quod Papæ non fuiſſet narratum præceptum Regulæ de paupertate, & conſtitutio Clementem V. in clem. 1. de verbor. ſignificat. vbi damnatur ſuperfluitas, & curioſitas. Sed contrarium verius eſt,quia dum Leo hos Fratres decernit eſſe ſolummodo cuſtodes, nihil contrarium Regulæ ſtatuit, Curioſitatem Fratrum non admittit, vt mox dictum eſt in Scholio præced. Multiplicitatem autem, & pretioſitatem reſpectu diuini cultus,rationabiliter permittit, vt Corduba,& Roder. reſpondent in locis pręcitatis.

VII.

Edita Anno 1514.

SVpernæ diſpoſitionis arbitrio,& infra pagina 474.Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad reformationem nonnullorum malorum, reductionemq; ad Canonum obſeruantiam, in melioremque ſtatum, ſtatuit in promotione Prælatorum ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias ſeruan. eſſe diſpoſitionem generalis Concilij Lateranenſis ſub Alex. III. congregati,vt in cap.1.& ſeq.de Aetat. & qualit.certis exceptis caſibus, §. 2. & 3. Et non diſpenſentur minores 27. annis, quoad huiuſmodi Eccleſias, & minores 22. quoad Monaſteria, §. 4. De eorum qualitatibus, & Eccleſiarum adminiſtratione, & alijs fiat ante promotionem proceſſus,& à Cardinalibus, ad quos ſpectat, in Papæ Conſiſtorio referatur, §. 5. Promoti autem,viſitent Cardinales in Curia præſentes.§. 6. Epiſcopus,& Abbas etiam de notorijs criminibus inquiſiti,defenſiones habeant §.7. Pręlatus inuitus non trãsferatur.§.8. Monaſteria,vt de cætero commendanda § 9.& ſeq. Penſiones in Eccleſijs huiuſmodi,nõ niſi reſignationis cauſa,aut alia in Papæ conſiſtorio probata,reſeruentur,§.11.Beneficia à duc.200.infra,& Hoſpitalia Cardinalibus non commendentur.§ 12. Beneficia abſq; legitima cauſa non diſiungantur.§. 13.Neq; vniones fiant, §.14.Diſpenſatio ad plura incompatibilia beneficia, vt deneganda § 15.Cardinalium mores,qui eſſe debeant,§. 16. Epiſcopos, vt fratres tractent. §.17. Omnium negotia pie promoueant §.18.Suorum titulorum loca, & perſonas,vt tractare debeant.§. 19.Cõſanguineis modeſtè ſubueniant. §.20. Commendatas Eccleſias,vt regant §.21.& ſeq. Familias,vt curent,§. 13. & ſeq. Familiares Papæ, vt viuant, & veſtiant, §. 25. Cardinales de propaganda fide inuigilent. §.26.Legationum loca perſonaliter gubernent, §. 27. Alij in Curia reſideant,& Papæ inſeruiant, §. 28. In eorum funeralibus expenſæ,quæ.§.29.Vota non reuelent.§.30. Silentium à Papa indictum ſeruent.§.31.In eruditione Scholarium, quid obſeruare debeant Magiſtri.§. 32. Blaſphematorum pœnæ, quæ. § 33. Clericorumque incontinentium,§. 34. Sodomitarum quoque.§. 35. Concubinariorumque.§.36.Simoniacorum. §. 37. Non recitantium officium.§. 38. Principum ſecularium, eorumque Officialium beneficijs,& eorum fructibus ſe ingerentium, pœnæ, quæ, §. 39. Violatorumque libertatis Eccleſiaſticæ. §. 40. Clericorum quoque ſortilegorum. §.41. Et hæreticorum omnium.§.42.Hæc bulla omnes vbique liget. §. 43. Alijs conſtitutionibus,quoad pœnas non detrahit. §. 44. Interpretarique non poſſit. §. 45.

Schol. primum.

Quæro. Prohibitio reſeruandi penſiones in Eccleſijs Cathedralibus,comprehendit nè Monaſteria Conſiſtorialia?

RESP. Rota in deciſ. Caputaq; 177. par.1. affirmatiuam ſententiam probauit,anno 1551. Sed poſteà multis rationibus contrarium diffiniuit,in deciſ. 606. Seraphin. per totam anno 1583.& ita ſeruatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Prohibitioni circa diſpenſationem ad plura incompatibilia, de qua in §. 15. dicitur ſufficienter derogatum, per clauſulam, *Non obſtante Ordinatione generalis Concilij Lateranenſis?*

RESP. Non, quia Concilium generale Lateranenſe, de quo id intelligitur, eſt illud coactum ſub Alexan.3. ita quod illi tantum, & non iſti derogat, & ita cenſuit Rota in deciſ. Caputaq; 176. & 268. par. 1. Requirebatur etenim ſpecialis iſtius Concilij derogatio, Rota deciſ. 123. par.1. Diuerſor.per totam.

VIII.

Edita Anno 1514.

ET ſi pro cunctarum Ciuitatum,& infra pagina 479. Bullar.

COMPENDIVM.

Deputat Amadæum Berrutum in Vrbe, eiuſque diſtrictu, & pertinentijs, Gubernatorem, & in Camera Vicecamerarium,eiuſque Locumtenentem,cum poteſtate, honoribuſque, & oneribus conſuetis. §. 1. Cauſas omnes, etiam à ſe, ſuoque Camerario illi commiſſas, & committendas,tam ciuiles, quam criminales per ſe, vel ſuos Auditores, & Locatenentes cognoſcendi, contra quoſcunque etiam Eccleſiaſticos, ac Religioſos cuiuſcunque Ordinis, §. 2. Nullo iuris, vel dictæ Cameræ, aut ſtyli Romanam Cur. ordine, vel conſuetudine ſeruatis, &c. §. 3. 4.& 10. Contra delinquentes etiam nulla præcedente infamia,nulloque proceſſu inquirendi, & caſtigandi, & vſque ad vltimum ſupplicium puniendi.§.5. Et ſola citatione domi executa, alios Iudices pręueniendi, ibidem. Super pœnia ab eo indictis,priuatiuè quoad alios procedendi,ibidem. Domique validè prout in perſonam,reos citandi §.6. Pœnas omnes arbitrio ſuo augendi & minuendi. §.7. Statutiſque Vrbis derogandi,§. 8. Bannimenta ſub quibuſcunque pœnis publicandi, & alia etiam de mandato Papæ edita interpretandi, & alterandi, §. 9. Appellari à ſententijs ſuæ Curiæ,in cauſis criminalibus,vel mercedum, & alijs vſque ad ducat. 10. auri, non poſſit. §. 11. Auocati inde cauſas, non niſi Papæ Motu proprio licet,§.12.Syndicatui nec ipſe, nec eius Officiales ſtare. aut de alijs in officio geſtis rationem reddere tenentur. §. 14. Irregularitatem minimè incurrunt. §.15.Et ita vbique,& ab omnibus, & non aliter iudicetur. §. 16. Mandataque ſua, & ſuorum Locatenentium,vel Auditorum. Bariſellus, & cæteri executores, indilatè exequantur. §. 17. Et hæc omnia, ad lites, & negotia præſentia,& futura extenduntur.§.18. Contraria quæcunque minimè obſtent.§.19. Gubernator ſolicite, & fideliter officium exerceat.§.20.

Schol. primum.

Quæro. Ampliſſima hæc facultas Gubernatoris, de qua in §. 2. & ſeqq. habet nè locum, etiam in cauſis commiſſarijs ita vt termini ſubſtantiales minime ſeruandi ſint?

RESPON. Sic profectò,ſi aduertimus illa verba.§.1. *etiam à nobis committendas*, & ita conſtitutionem iſtam intelligit Pariſ.conſ. 126.lib.4.nu.1. quem ſecuta eſt Rota in deciſ.Seraphin.290. num.18.in Nouis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Valebit proceſſus etiam non petito iuramento calumniæ?

RESP.

Digitized by Google

RESPON. Non; Quia iuramentum eſt iuris diuini Surd.deciſ.18.num 9. Et ampliſſima facultas ſupradicta, remittit ſolummodo ſolemnitates iuris ciuilis, & canonici, non autem diuini, Bartol. in extrauag. Ad reprimen. in V. figura num.11. Rota in deciſ. Putei 388. lib. 2. poſtremò impreſſis, & in deciſ. Manticæ in; vna Bononien. Arrentatorum die 24. vel 28. Octobris 1588.

X I.

Edita Anno 1515.

CVm ſicut nobis nuper exponi feciſtis, & infra pagina 480. Bullarij.

COMPENDIVM.

Moniales S. Claræ quædam dubia ſuper 1. & 2. earum Regula declarari, huic Pont. ſupplicant, in princ. Qui declarat Primum dubium exortum, ſuper recitatione Officij §. 1. 4. & 5. Et ſecundum ſuper neceſſitate, quæ excuſet à Choro. §. 2. & 6. Necnon Tertium ſuper Indulgentijs, §. 3. & 6. in verſ. Quantum. Dat quoque eiſdem licentiam, duplici officio celebrandi feſta Beatæ Agnetis, & vndecim millium Virginum. §. 7. Cauſas enunciat, ob quas huiuſmodi declarationes edidit. §. 8. Contrarijſque derogat. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Soror Matris noſtræ, quæ huius Ordinis Monialis eſt, in recitatione Officiorum, de qua in § 2. & 6. habet ferè ſemper ſcrupulum non fuiſſe attentam, quo igitur remedio ei ſuccurrendum?

RESP. Edoce quemcumq; ſcrupuloſum, quod ſufficit virtualis attentio, & quod quis non ſe diſtrahat ex propoſito, ſeu per notabilem negligētiam, ſecundum D. Th. 2. 2. quæſt. 83. & Caiet. ibi artic. 17. & alij communiter, & bene de his ſcribit etiam Nauarr. in Manuali Confeſſor. cap. 13. de Orat. num. 29. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod Mulieres magis, quam viri hiſce ſcrupulis abundant, & quæ remedia eis oportuna poſſunt vltra prędicta adhiberi?

RESP. Longo ſermone opus eſſet, quia multis de cauſis cauſatur ſcrupuloſitas in fœminis, & in maſculis quandoque, & etiam circa multa, & ideò plura ſunt à DD. excogitata remedia, quæ perlegas in Rodet. de Quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 66. artic. 2. & ſeqq. vbi late poſt Gerſon, Caiet. & alios, quos recenſet.

X.

Edita Anno 1515.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 481. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iudicibus exemptorum ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ pręcipit hic Pont. quod ita diligenter eorum correctione intendant, vt metu pœnæ à ſuis arceantur inſolentijs, & alij eorum exemplo à ſimilibus ſe abſtineant. §. 1. & 2. Et ſi ipſi negligentes fuerint, Ordinarij procedant. §. 3. Prothonotarij, & alij Sedis Apoſtolicæ Officiales, ſi actu eorum officia exercent, in cauſis tàm ciuilibus, quam criminalibus, ab Ordinariorum iuriſdictione exempti ſint. §. 4. Alij autem Notarij habitum, & rocchettum continuè non geſtantes, alijq; officia actu non exercentes in criminalibus necnon in ciuilibus cauſis auri duc. 25. ſummam non excedentibus Ordinarijs ſubiaceant ibid. Familiares etiam Cardinalium actu ſeruientes exempti ſint. §. 5. Diœceſani Monaſteria Monialium exempta ſemel in anno viſitent. §. 6. Exemptiones irrationabiles irritæ ſint. §. 7. Cauſę Eccleſiaſticæ, & beneficiales in primis inſtantijs, coram Ordinarijs cognoſcantur, dummodò beneficia ipſa non ſint de reſeruatis. §. 8. Conſeruatores à Sede Apoſtolica deputati, in altero iurium minime graduati, Aſſeſſorem partibus nō ſuſpectum requiſiti eligant, & iuxta eorum votum iudicent. §. 9. Impedientes iuriſdictionem Eccleſiaſticam multis pœnis ſubijcit §. 10. & ſeq. Concilia Prouincialia quolibet triennio celebrari mandat. §. 12. Clementinam 5. de Elect. ſeruari decernit, præterquam ex cauſa in Conſiſtorio approbanda. §. 13. Attentanda in contrarium irritat. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Qui ſunt exempti ab Ordinarijs, & ſuppoſiti Conſeruatoribus, de quibus in §. 9. poterunt Ordinariorum iuriſdictioni ſe ſubmittere?

RESP. Poterunt, ſed ſibi, & non alijs præiudicant, Ferret. conſ. 102. lib. 1. nu. 18. Corn. conſ. 214. lib. 2. num. 8. Rota in deciſ. Seraph. 595. num. 7. vbi ſubdit ſecus eſſe de exemptis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, de quibus ſupra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quoad cauſas exemptorum, & priuilegia, quid Concil. Trident. diffiniuit?

RESP. Multa, quæ videas in ſeſſ. 14. cap. 1. & 24. cap. 11. & alijs pleriſq; locis, quæ longum, & quaſi otioſum eſſet, hic transferre, quæ tamen compoſitè cumulauit Steph. Quaranta in ſua Summa aliquot Bullarum in verbo Exemptio.

X I.

INter multiplices noſtræ ſolicitudinis, & infra pag. 483. Bullarij.

COMPENDIVM.

Montes Pietatis in pleriſque Italiæ Ciuitatibus ad mutuandum pecunias pauperibus, & egenis instituti, & à ſanctis viris laudati, & Pontificibus prædeceſſoribus confirmati fuerunt. §. 1. Sed nonnulli eos illicitos putabant, vbi quid vltra ſortem exigitur à pauperibus, prǽſertim pro immoderatis impenſis ibidem. Alij autem recipere vltra ſortem, quod pro miniſtrorum impenſis & bonorum conſeruatione neceſſarium eſt, licere affirmabant. §. 2. Oſtendebantque à Sacris Viris, & Romanis Pontificibus hanc ſententiam probatam fuiſſe. §. 3. Hic ideo Pontifex declarat, Montes Sacro approbante Concilio huiuſmodi licitos eſſe, in quibus aliquid moderatum ad ſolas Miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem pertinentium recipitur. §. 4. Perfectiores autem eſſe, ſi gratuitò hi Montes inſtituerentur, vel ſaltem aliquo pacto huiuſmodi impenſæ pauperibus alleuientur ibidem. Contrarium prædicantes, aut diſputantes verbo, vel ſcriptis excōmunicationis ſententiam incurrunt. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hanc conciliarem diffinitionem nonne omnes DD. approbarunt?

RESP. Caietanus in ſuo tractatu de Monte Pietatis tom. 2. opuſc. tract. 6. contradixit, & etiam Sotus de Iuſtitia, & iure lib. 6. quæſt. 1. articu. 6. Sed Nauarr. in comment. de Vſur. num. 59. & ſeqq. eorum contradictionem non iure conſiſtere erudite more ſuo demonſtrat, & ſequitur Lupus de Vſur. comment. 3. §. 3. nu. 4. & Iacob. Graff. in ſuis deciſion. par. 1. lib. 2. cap. 110. ſub num. 16. Et hanc ſententiam benè tuetur Rebell. de obligat. Inſtitut. par. 2. lib. 8. quæſt. 13. per totam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis introduxit hos Montes Pietatis?

RESP. De certo authore mihi non conſtat, ſed certiſſimum eſt, quod diuini verbi Prædicatores compatientes inopiæ multorum pauperum, qui pecunia in ſuis neceſſitatibus indigentes ab Hebræorum vſuris vexabantur, efficacibus perſuaſionibus induxerunt Populum, vt Pietatis intuitu, quiſque voluntariè, quod ſibi placeret, offerret, vt ex multis oblatis, vna pecuniarum conſtitueretur ſumma integrè conſeruanda, vt cuique pauperi mutuari poſſet. Adunataque fuit pecunia ſub publicis, cuſtodibus repoſita, & Mons Pietatis nuncupari cœpit, prout recenſet Thom. de Vio, in ſuo tractat. de Monte Piet. in princip. quem ipſe edidit anno 1548. ante hanc Bullam, & diſcurrit circa tria capitula Montis, ſentiens eorum vltimum eſſe illicitum in eo, quod vltra ſortem, quid percipitur, cuius contrarium hic ſanctiſſimè diffinitum eſt, & eius rationes leues eſſe patet ex deductis à Nauarr. & Rebell. vbi ſupra.

XII.

Edita Anno 1515.

INter ſolicitudines noſtri humeros incumbentes, & infra pag. 484. Bullarij.

COM-

Digitized by Google

COMPENDIVM.

Libros,& alias Scripturas in Vrbe imprimi vetat, abſq; examine,& approbatione in ſcriptis ſui Vicarij, ac ſui Palatij Apoſtolici Magni Magiſtri.§.1.& 2. Et in alijs Diœceſibus Epiſcopi,& Inquiſitoris hæreticæ prauitatis,d.§.2. Contrarium præſumentes, libros amittunt, publicè libri comburuntur, ducatos centum Fabricæ S. Petri de Vrbe perſoluant,per annum ab exercitio imprimendi ſuſpendantur,& excommunicationis ſententiam incurrant. §. 3. Et creſcente eorum contumacia, ſupradicti Papæ Vicarius in Vrbe, & Epiſcopi alibi pœnas augeant. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Examinatio, vel licentia huiuſmodi quomodo probanda,& quid pro eis perſoluendum?

RESP. Licentia in ſcriptis habenda eſt, vt ex dom hic habetur, ſed etiam in Concil. Trident. ſeſſ.4.in decreto de [illegible]one Librorum: Gratis autem tam examen,quam pro[illegible]um fieri ibidem expreſsè cauetur.

Schol. ſecundum.

[illegible]ro. Regulares volentes edere Libros, nonne ſuorum quoque licentiam Superiorum impetrare debent?

RESP. Sic expreſsè diffinitur in d. Concilio, in quo idem ſtatuitur contra euulgantes Libros, aut communicantes. Sub qua prohibitione continentur etiam Lectiones, diſputationes,conciones,& his ſimilia,quæ Fratres inter ſe communicare ſolent,modo communicent ad effectum imprimendi, ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione d. Concilij teſte Capuccino in Compend.Priuileg. Ordin.Mendican.in verbo Imprimere, & ſeq. Roder.de Quæſt.Regular.tom.2.quæſt. 104. artic. 1. in fine.

XIII.

Edita Anno 1515.

INter graues ſolicitudines,& curas, & infra pag. 485. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. multa loca Sedis Apoſtolicæ recuperauit. §.1. Iſte Pont.Parmam quoque,& Placentiam recuperauit.§ 2. Et pro bonorum d. Sedis conſeruatione, innouat omnes conſtitutiones editas, contra illa detinentes, aut hoſtiliter inuadentes §.3.Pœnaſque multas eis infligit § 4. Loca, ad quæ illi declinauerint, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. §. 5. Fautoribus quoque pœnas imponit.§ 6. Abſolutionem que à cenſuris ſibi reſeruat. §.7. Prohibet milites recipi in Terris S. R. E. abſque ſcientia Papæ. §. 8. Contrarijs omnibus derogat.§ 9.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi aliqua factio vnius Ciuitatis, extans extra Ciuitatem,armata manu velit intrare, & ideò inuadat eam Ciuitatem, non vt eam ſubtrahat Eccleſiæ, ſed vt in ea regnet,vt regnat pars contraria?

RESP. Caiet. in Sum.§ Excommunicatio 17. tenet incidere in has pœnas, quia hæc inuaſio tendit ad turbandum regimen Eccleſiæ,quod pacificum habere nequit, vbi regnant eiuſmodi factiones, & Caietan. ſequuntur Sum. Armil § Excommunicatio 16.Nauar.in Manual. Confeſſ. cap.27.ſub num.72. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, à Greg.XIII.editæ, & Graff. poſt eius deciſ. in comment. ad ſimilem Bullam Six. V.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi facinoroſi homines,aliquam inuadant, Ciuitatem Papæ,& domos inimicorum,alijs trucidatis,deſtruant, bonaque ſurripiant?

RESP. Negatiuè, quia potius res priuatorum, quam Papæ inuadere, & deſtruere cenſentur, vt in ſpecie ſic reſpondet Vgolin. in ſuis comment. ad Bullam Cœnæ Domini editam à Clement.VIII.in cap.20.§.1.vbi refert exemplum de quodam famoſo Bannito Marco Sciarra nuncupato,qui Terras Eccleſiæ ingrediebatur olim,ad patran. huiuſmodi mala.

XIIII.

Edita Anno 1515.

SVmmi bonorum omnium largitoris, & infra pagina 486. Bullarij.

COMPENDIVM.

Literas Apoſtolicas ab Abbreuiatoribus nō ſubſcriptas, irritat.§.1.& 2. Solicitantibus eas, & vtentibus, penas infligit.§.3.Nobileſque,& Comites Palatini. & Notarij Sedis Apoſtolicæ,ſi Clerici ſint,creantur § 4. Familiares Papæ quoque,& continui commenſales.§ 5. Eorumque priuilegijs gaudent.§.6.Quinimò illis præferuntur. §. 7. Expectatiuarum gratijs perfruuntur.§.8 Eximit à ſuperioritate,& iuriſdictione quorumcumque § 9. Doctores creare,& baſtardos legitimare poſſunt.§ 10. Scriptorum literarum Apoſtolicarum priuilegijs vtuntur. §. 12. Contraria ſubmouentur.§ 17.

Schol. primum.

Quæro. Abbreuiatorum nomen, vnde ſumptum?

RESP. Abbreuiatores appellantur,quia ipſi breui compendio concipiunt, impetrata à Papa in ſupplicationibus, quæ poſtmodum latius in literis extendunt, ita inquit Pariſ. conſ. 112. lib.4.num.9.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eorum officium,quo tempore eſſe cepit?

RESP. Ante annum 1335. quo à Benedicto XII. edita fuit extrauag.13.incip. Ad regimen. de Præbend. Quia inde Abbreuiatorum beneficia collationi Sedis Apoſtolicę reſeruata fuerunt, & de qua meminit Puteus deciſ. 234. lib. 1.in Nouis,& Mandoſ. in 1. Reg. Cancell. quæſt. vlt.

X V.

Editæ Anno 1516.

SAluatoris Domini noſtri IESV Chriſti,& infra pag.490. *Item*, Ex ſupernæ, & infra pag. 492. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confratres Hoſpitalis B. Mariæ de Populo,& S.Iacobi in Auguſta de Vrbe,ſtatuerunt in eo de cætero recipi debere infirmos incurabiles,qui in alijs Vrbis hoſpitalibus non recipiebantur præterquam Epidimiæ, & Lepræ morbo infectos. §. 1. Illudq; regi à quatuor Cuſtodibus, & duodecim Conſiliarijs. §. 2. Syndicos etiam duos ad eius videnda computa.§. 3. Notarios quoque duos, ad ſcribenda ſpectantia ad hoſpitale. §. 4. Viſitatoreſque quatuor, pro recipiendis,& viſitandis infirmis.§.5. Hic Pontifex ad magis promouendum hoc pietatis opus, approbat ſupradicta, & illud erigit in Archihoſpitale, & caput omnium ſimilium hoſpitalium. §.6. & 7. Syndicis, & Viſitatoribus dat facultatem infirmos curabiles, vagantes per Vrbem ad alia hoſpitalia, incurabiles verò ad iſtud Archihoſpitale,etiam inuitos,ducendi.§. 8. Exemptionem à datijs, & gabellis elargitur.§.9.Priuilegioque aliorum hoſpitalium. §.10. Clerici etiam de bonis Eccleſiaſticis acquiſita poſſint ei donare,& relinquere.§. 11. Notarijs iubet,vt d. Hoſpitali,omnia ei relicta notificent. §. 13. Indulgentias Confratribus,& alijs elargitur.§.14.& ſeqq. Hoſpitale, & eius perſonas,ſibi immediatè ſubijcit,& ab aliorum iuriſdictione eximit.§.4. ſubſeq. Bullæ. Facultatem alienandi bona, certa obſeruata forma concedit.§. 5. Conſeruatores, Executores,& Defenſores huius bullæ deputat.§.6. & 8.Contrarijs derogat.§. 7.

Schol. primum.

Quæro. Iſtud Archihoſpitale poteſt ne dici beneficium Eccleſiaſticum?

RESP. Non,quia licet habeat Eccleſiam,& Capellanos ad adminiſtrationem Sacramentorum; Nihilominus ſolummodo locus pius eſt, quia regimen, & gubernium datur adminiſtratoribus, & fructus omnes diſtribuendi in curandis infirmis, & expreſsè non dicit Papa, quod erigit in beneficium Eccleſiaſticum, text. eſt in clem. 2. de Præben.& clem.2.de Religioſ. domib. Rota deciſ. 714. nu.3. & ſeq. & deciſ. 725. num. 7. par. 1. Diuerſ. & deciſ. 114. par.2.num. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa ſpecifica exemptio à iuriſdictione Ordinariorum, de qua in §.4.ſubſeq.Bullæ, nonne eſt ſuperflua, cum Papa ſub B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ ſua protectione ſuſcipit?

RESP. Non; ſiquidem tollit dubium, An hæc receptio ſub dicta protectione, eſſet ſpecialis, quod requiritur, vt impor-

importet exemptionem; capit. Ex parte 28. de Priuileg. Butr. ibi nu. 3. Henric. Boich. nu. 1. Seraphin. deciſ. 1025. num. 5. in nouiter impreſſis.

XVI.

Edita Anno 1516.

TEmerariorum quorumdam, & infra pag. 494. Bullarij.

COMPENDIVM.

Praua inoleuerat in Vrbe conſuetudo, quod durante Conclaui pro electione futuri Romani Pontificis de more cogi conſueto, ſi vox prodierat etiam non vera, quod quiſpiam ex Cardinalibus eſſet in Papam electus, deprædabantur eorum bona. §. 1. Contra hos ergo domorum Cardinalis inuadentes, hic Pont. pronunciat pœnas ab Honor. III. & Bonifac. in offendentes ipſos Cardinales inflictas. § 3. Contrarijs quibuſcumque derogat. §. 4. Sed prius eaſdem Hon. & Bonif. conſtitutiones approbat. § 2.

Schol. primum.

Quæro. Scio quod inter alias pœnas, quas Hon. & Bonif. indixerunt, in cap. Fælicis 5. de Pœnitent. in 6. eſt demolitio domus, quid ergò erit ſi delinquentis domus ſit cum altero communis?

RESP. Si maior pars eſt delinquentis, tota demolitur, & ſocio pars pretij perſoluitur: ſecus ſi delinquentis portio minor ſit, Clar. quæſt. 82. in Verb. Statutum. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis præparauit ſe ad diripiendum bona Cardinalis, & ante direptionem pœnituit?

RESP. Euitat hanc pœnam, ſi ad aliquem actum poſitiuum extrinſecum non deuenit, per ea, quæ poſt Caniſt. in capit. Fælicis 5. de Pœnis in 6. ſcribit Vgolin. de Cenſur. par. 2. in explicat. Bullæ Cœnæ Domini editæ à Clem. VIII. in verſ. Hoſtiliter inſequentes.

XVII.

Edita Anno 1516.

COnſtituti iuxta verbum Prophetæ, & infra pag. 494. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iul. II. in ſua conſtitut. 27. de qua ſupra pag. 90. Concilium Lateranenſe V. generale indixit. §. 1. Eo autem poſt indictam ſeſſ. 6. defuncto, hic Pont. illud proſequi mandauit. §. 2. Venientibuſque ad Concilium ſaluum conductum conceſſit. §. 3. Illud pro Principum Chriſtianorum vnione, vniuerſali reformatione, Pragmaticæque abrogatione congregatum fuit. §. 4. Cui imperator, & Reges conſenſerunt. §. 5. In eo Conciliabulum Piſanum à Iulio II. damnatum, pro damnato habitum fuit. §. 6. Concilium verò Lateranenſe Deo adiuuante actum, & abſolutum. §. 7. Pax, & concordia inter Principes Chriſtianos concluſa. §. 8. Hic Pont. d. Concilium Lateranenſe approbat. §. 9. Illius executores in Vrbe, Gubernatorem, Vicarium, & A. C. deputat. §. 10. Acta eiuſdem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia gloſſari, & interpretari prohibet d. §. 10. Expeditionem contra Turchas indicit. §. 11. Principes ad obſeruantiam pacis, & defenſionem Fidei hortatur. §. 12. Prelatos Concilij in pace dimiſit. §. 13. Sanctionem penalem apponit §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Abſque iſta confirmatione, ſi Concilium fuiſſet promulgatum, obligaſſet?

RESP. Vtique obligaſſet, quia Papa interfuit; Secus ſi non interfuiſſet, Nauarr. conſ. 4. incip. Reſponſiones, lib. 1. de Conſtitut. num. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa prohibitio gloſſandi acta huius Concilij, de qua in §. 10. quomodo intelligenda?

RESP. Ita, vt omnis interpretatio ſit interdicta, niſi forte illa, per quam verbum, ſenſus, ſeu conſtitutio grammaticaliter ad literam intelligibilis exponatur, ita docuit Bald. loquens de ſimili conſtitutione Nicolai III. in Auth. Si qua Mulier. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. num. 43. & ſeq. Prout nec dicitur reiecta interpretatio à communi obſeruantia Alex. conſ. 221. lib. 6. in fine.

XVIII.

Edita Anno 1516.

EX debito paſtoralis officij, & infra pag. 496. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Iulius II. in ſua conſtitut. 18. de qua ſup. pag. 86. duobus Prelatis Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, dedit facultatem alienandi eius bona iuxta conſtitutionem. 5. Pauli II. de qua ſupra pagina 68. §. 1. Hanc facultatem iuſta de cauſa hic Pont. concedit vni ex viſitatoribus, adiuncto tantum ſibi eius Socio, qui ſit d. Congregationis Prælatus in conuiſitatorem electo. §. 2. & 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si alienatio fiat ab huiuſmodi Prelatis, hanc Apoſtolicam authoritatem habentibus pro ſatisfaciendis creditoribus, debet ne emptor probare in eam cauſam [illegible] tium verſum fuiſſe?

RESP. Debet, ſecundum Bald. in auth. Hoc [illegible] de Sacroſ. Eccleſ nu. 22. Rota in deciſ. Seraph. 3, [illegible] vbi alij DD. allegantur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poterunt iſti Prælati, eorum conſanguineis aliquid concedere?

RESP. Regulariter huiuſmodi alienationes præſumuntur potius in fraudem, quam in vtilitatem Eccleſiæ, vt dicunt DD. communiter in auth. Quibuſcunque Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & dixit Rota in deciſ 710. par. 1. Diuerſor. num. 1. Sed ex hoc ſolum non reſcinditur alienatio. Et ſatis eſt Eccleſiæ, quod non lædatur, ſoluatque conſanguineus tantumdem, quod alius daret, Rota in deciſ. 335. Ceſ. de Graſſ. num. 22. & in deciſ. 1125. Seraphin. num. 7.

XIX.

Edita Anno 1516. & 1519.

INter curas multiplices, & infra pagina 497. *Item*, Cum ſicut, & infra pagina 498. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Sixt. IIII. edidiſſe eius conſt. 20. quæ eſt ſup. pag. 74. ſuper iure congrui, ad ornatum Vrbis. §. 1. Iul. II. eamdem approbaſſe. §. 2. Eaſdem hic Pont. innouat. §. 3. Extenditq; etiam ad bona locorum piorum. §. 4. Præuentionem inter ædificare volentes, admitti. §. 5. & 6. Poſt requiſitionem ædificare volentium, non licere dominis ad habitandum redire, declarat. §. 7. Appellari à ſententijs Magiſtrorum Viarum prohibet. §. 1. ſubſequentis Bullæ annexæ. Et extendit ad vineas, & viridaria. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrarijs derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Ius congrui, de quo in §. 1. Eſt ne fauorabile, vel odioſum?

RESP. In eo, quod cogit Dominos eorum domos vendere vicinis, odioſum eſt, tamquam valde exorbitans à iure communi, & diſpoſitione l. Dudum 14. Cod. de Contrah. empt. latè poſt alios Tiraquell. de Vtroq; retract. in præfat. num. 60. & Rota in deciſ. Seraph. 734. num. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si domum vendidi Petro, cum pacto, vt infra biennium eam poſſim redimere, poterit vicinus interim eam retrahere à d. Petro?

RESP. Poteſt, quia hæc venditio eſt vera venditio, & poſſet non redimi, ita tradit Neapodan. in ſuo tractat. de Iure congr. in prima conſuetudine in V. Emit. verſ. Sed quid ſi de ſimulatione. Et Afflict. deciſ. 338. nu. 9. vbi idem tenet in venditione facta, cum reſeruatione dominij, donec de pretio, ſit venditor ſatisfactus.

XX.

Edita Anno 1516. & 1517.

PAſtor æternus gregem ſuum, & inf. pag. 499. *Item*, Primitiua illa, & infra pag. 511. *Item*, Vitæ, ac morum, & infra pag. 506. *Item*, Diuina diſponente, & infra pag. 507. *Item*, Romanus Pōtifex, & infra pag. 507. Bullarij.

Digitized by Google

COMPENDIVM.

Iulius II. in ſua conſtitut. 27. de qua ſupra pag. 90. indixit Concilium Lateranenſe, & ibi de abrogatione pragmaticæ Sanctionis in Regno Galliæ editæ, agi iuſſit. §. 1. Galloſq; citauit pro d. abrogatione ad certum terminum. §. 2. Quem hic Pont. illo defuncto, prorogauit. §. 3. Quo elapſo ad illius reuocationem deueniri cenſuit. §. 4. Prout Leo I. reuocauit acta contra fidem in ſecunda Synodo Epheſina. §. 5. Pragmaticam deinde reuocat. §. 6. Nullamque eſſe decernit, & damnat. §. 7. Omnes Chriſti fideles Roman. Pont. ſubeſſe declarat, & conſtitutiones Bonifac. VIII. & Clem. V. innouat. §. 8. Vſum d. pragmaticæ omnibus interdicit. §. 8. Contrarijſque derogat die 19. Decembris 1516. §. 10. Illam antea abrogauerat Rex Ludouicus IX. tempore Pij II. Sed non obſeruabatur abrogatio, neque Bulla Sixt. IIII. edita ſuper concordatis expedita, vt in ſubſeq. §. 2. Iulius II. propterea indixit Concilium Lateranenſe. §. 3. Et eo defuncto, ad illius proſecutionem deuenit. §. 4. Rex autem Franciſcus huic Pontifici perſonaliter fidelem obedientiam Bononiæ præſtitit, & actum inter eos fuit de concordatis loco pragmaticæ. §. 5. & 27. Et concordata firmata fuerunt. §. 6. Super electionibus ad Cathedrales, & Metropolitanas Eccleſias. §. 7. Eccleſiaſque vacantes per obitum apud Sedem Apoſt. §. 8. Electionibus etiam conſanguineorum Regis. ſublimium perſonarum, & Mendicantium Reformatorum. §. 9. Monaſterijſq; & beneficijs eccleſiaſticis. §. 10. Expectatiuis, & reſeruationibus. §. 11. Collationibuſque Ordinariorum. §. 12. Eccleſiarum quoque parochialium. §. 13. Literis Papæ in forma mandati. §. 14. & ſeq. & §. 33. & 34. Vero valore exprimendo. §. 15. Cauſis in regno cognoſcendis, & earum appellationibus. §. 16. & ſeq. Triennali pacifico poſſeſſore. §. 19. Poſſidentibus beneficia ſine titulo. §. 20. Concubinarijs. §. 21. & ſeq. Conuerſatione cum excommunicatis. §. 24. Interdictus Eccleſiaſticis. §. 25. Reſignationibus beneficiorum. §. 26. His concordatis non erit derogandum. §. 28. Dummodo Rex illa acceptari faciat in ſuo Regno. §. 29. In cæteris non ſit Sedi Apoſtolicæ præiudicatum. §. 30. Hæ literæ à Rege publicentur. §. 31. Quæ à Papa ſignantur die 18. Auguſti 1516. Et Sacro approbante Concilio quatenus Rex etiam infra ſex menſes acceptari, & in ſuis Regnis ea obſeruari fecerit, iterum approbantur die 19. Decemb. 1516. vt in alio ſubſeq. bullæ. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vbi reuocationem pragmaticæ à Ludouico IX. promulgatam perlegere poſſem?

RESP. Eam editam habemus in actis Concilij Lateranenſis, ſeſſ. 4. pag. mihi 560. impreſſis Coloniæ Agrippinæ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Franciſcus Rex quid egit pro obſeruantia concordatorum, de qua hic in fine?

RESP. Obſeruari iuſſit, & publicari fecit Pariſijs in Parlamento die 22. Martij 1517. & obtenta prorogatione termini, in Curijs regiſtrari fecit 12. Aprilis 1518. Sed cum multi adhùc obſeruare recuſarent, hic Pont. die 15. Iunij 1518. horum concordatorum executorem deputauit ipſum Franciſcum, & Franciæ Regem pro tempore exiſtentem, & Franciſcus die 25. Octobris eiuſdem anni cunctis eius Parlamenti Officialibus obſeruantiam eorumdem Concordatorum, & tranſgredientium punitionem ſtrictiſſimè demandauit, vt hæc omnia enarrantur in nonnullis huius Papæ, & Regis literis à Rebuffo in ſuo præclariſſimo tractatu ſuper his Concordatis in lucem edito inſertis.

XXI.

Edita Anno 1516.

SVpernæ Maieſtatis præſidio, & infra pagina 508. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prædicationis munus in Eccleſia Dei præcipuum eſt, magnæq; vtilitatis, ſi rectè exerceatur, in princip. Aliqui tamen Prædicatores, aliter ſe gerebant. §. 1. Quos arguit S. Gregorius. §. 2. Eos iubet hic Pont. debere prius examinari de vita, & doctrina, & approbari mandat. §. 3. Quiduè prædicandum, & à quibus cauendum decernit. §. 4. & ſeq. Contrauenientibus excommunicationis pœnam, cuius abſolutionem Papæ reſeruatur, vltra alias iuris pœnas, imponit, & prædicationis munus interdicit. §. 8. Contrarijſque derogat. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Lutherus fortaſsè, dedit cauſam huic edicto?

RESPON. Crederem; ſed pro certo non affirmarem, quia cœperat iam tum Lutherus, qui Germaniam ſuis præſtigijs dementauit, virus ſuum diffundere; ſed non certum eſt, an adeò diffudiſſet, vt ſingularis tunc Romæ eius eſſet notitia, ſic ſcribit Pegna in Apoſtilla ad hanc inter alias Apoſtolicas editas conſtitutiones, poſt Director. Inquiſitor. pag. mihi. 87.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne quid vltra hodie diſpoſitum, contra huiuſmodi Prædicatores, ſcandala, & errores aſſerentes?

RESP. Paulus III. infra in conſtitut. 30. decreuit, eos ab inquiſitoribus coerceri, Concilium verò Trident. ſeſſione 5. cap. 2. verſ. ſi verò, hoc idem Epiſcopis demandauit.

XXII.

Edita Anno 1516. & 1518.

DVm intra mentis arcana reuoluimus, & infra pagina 509. *Item*, Nuper in Sacro Lateranenſi, & infra pag. 511. Bullarij.

COMPENDIVM.

Moderando priuilegia Ordinum Mendicantium ſtatuit, Epiſcopos eos viſitare, & corrigere poſſe, in concernentibus curam Parochianorum, & adminiſtrationem Sacramentorum. §. 3. Prælatoſq; & presbyteros ſæculares in eorum Eccleſijs Miſſas celebrare. §. 4. Fratres cogi à Prælatis prædictis ad proceſſiones, non tamen vltra vnum milliare. §. 5. Confeſſores ab Ordinarijs approbandos eſſe. §. 6. Fratres poſſe audire confeſſiones forenſium, indulget, ſed non abſoluere à ſententijs ab homine latis. §. 7. Et Sacramenta eorum obſequio inſiſtentibus, necnon alijs, ſi Parochi id facere recuſent, miniſtrare d. §. 8. Et Parochias intrare non poſſe cùm Cruce, ad leuanda corpora defunctorum, niſi cum conſenſu Parochi, vbi non vigeat alia conſuetudo prædictis Fratribus in contrarium. §. 9. Volentes ſepeliri cum habitu Tertiariorum, ſepulturam eligere poſſint. §. 10. Fratres ab Ordinarijs Sacros Ordines recipiant. §. 11. Et Eccleſiarum conſecrationes. §. 12. Sponſos non benedicant. §. 13. Campanam in die Sabathi Sancti, poſt Cathedralem, pulſent. §. 14. Cenſuras Ordinariorum publicent, & ſeruent. §. 15. Decimarum ſolutionem populis ſuadeant. §. 16. Conſeruatores habeant in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, ſed vltra duas dietas coram eis, neminem eorum trahant. §. 17. Excommunicatos ad Religionem non recipiant. §. 18. Tertiarij in proprijs domibus degentes, vti laici reputentur; ſed Confeſſorem, & ſepulturam eligere poſſint. §. 19. Tertiarij viri collegialiter viuentes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub d. habitu vitam ducentes, priuilegijs Fratrum gaudeant. §. 20. Non tamen votum ſolemne requiritur, vt in §. 2. ſubſeq. bullæ annexæ.

Schol. primum.

Quæro. An omnes Tertiarij etiam coniugati habeant priuilegium cap. Si quis ſuadente cauſ. 17. quæſt. 4.

RESP. Habent, cum viuant ſecundum modum approbatum à Sede Apoſt. prout ſic DD. tenere, & notãdum eſſe, quia ſæpe non aduertitur, notat Collect. Priuil. Mendic. in §. Tertiarij, & ſequitur Roder. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 55. artic. 14.

Schol. ſecundum.

Quæro. An hodie hæc priuilegia mulierum Tertiariarum, de quibus in §. 20. ſeruentur?

RESPON. Seruanda eſſe patet, ex decreto S. Congregationis Cardinalium interpretum Concilij Tridentini anno 1612. edito, vbi habetur etiam, quod hoc votum non includit votum paupertatis, & obedientiæ. Cuius decreti tenor hic ſubnectitur.

Sacro

Digitized by Google

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, conſulta reſpondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, alioſque ſimiles, itademum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum Clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu, vitam traduxerint, quemadmodum cauetur Conſtitutione Concilij Lateranen. ſub Leone Decimo, qua habetur ſeſſ. 11. in fi. Hoc autem voto Mulierum, alia duo, ſcilicet Paupertatis, & Obedientiæ nequaquam includi. Quinimò huiuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cælibem ſimpliciter, expreſſéque vouerint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut proprijs domibus, vel ſeorſum habitantes ſupradictis Priuilegijs Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarij iuriſdictione frui debere quemadmodum idem Leo poſtea declarauit conſtitutione edita die 1. Martij 1518. Quod ſi Fratres, ſororeſuè tertij Ordinis, quid amplius prætendant vigore conſuetudinis, poſſe ius ſuum proſequi in iudicio Ordinario.

Hieronymus Card. Pamphilius.

XIII.

Edita Anno 1517.

ITe, & vos in Vineam meam, & infra pagina 511. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recenſentur merita Religionis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, in proœm. Refertur differentia inter Conuentuales, & de Obſeruantia. §. 1. Et quod multi Principes inſtiterunt, pro eorum concordia, apud hunc Pontificem. §. 2. Qui propterea ſtatuit, eligendum totius Ordinis Miniſtrum Generalem ad ſex annos, quibus expletis, ipſo facto ſit abſolutus ab Officio. §. 4. Et eligatur de Fratribus Obſeruantiæ. §. 5. Et per vota Miniſtrorum, & Prouincialium. §. 6. Alternatiueque eligatur, ſemel de Vltramontanis, & ſemel de Citramontanis. §. 7. Et ipſe Miniſter quolibet triennio Commiſſarium deputet de Vltramontanis, ſi eſt de Citramontanis, & econtra. §. 7. Vicarijque de Obſeruantia veri Miniſtri cenſeantur. §. 8. Miniſtrorum Prouincialium officium triennio expleatur, quo elapſo, pro abſolutis habeantur. §. 10. Ipſique, & Cuſtodes à Capitulo Prouinciali deponi poſſint. §. 11. Et ſint de Obſeruantia. §. 12. Qui ſint Obſeruantes, declarat in §. 13. Omnes, Fratres Minores omiſſis alijs denominationibus, vocentur. §. 14. Obſeruantes ad Conuentuales non tranſeant. §. 15. Nouæque reformationes non inducantur. §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba §. 4. *Ipſo facto abſolutus*, & illa in §. 10. *pro abſolutis habeantur*, ſunt ne ita præciſè intelligenda, quin poſſit per menſem, vel menſes, officium protrahi, vel abbreuiari, ſecundum quod Capitula generalia protrahuntur, vel accelerantur?

RESP. Si agitur de Officio Miniſtrorum Prouincialium, ad Miniſtrum Generalem, vt quid agen. ſit ſtatuat, recurren. putat. Capuccin. additionator ad Collectorem Priuilegiorum Mendicantium in verbo Electio fol. mihi 214. & ſequitur Roder. tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 52. art. 2. verſ. Secundo eſt aduerten. Si verò agitur de officio Miniſtri Generalis, ad Summum Pont. recurren. eſſe ſentit, Capuc. & clarius tenet Roder. vbi ſupra ſubdens ſic in facti contingentia ſeruatum fuiſſe tempore Clement. VIII.

Schol. ſecundum.

Quæro. In §. 12. non explicatur, an debeant Prouinciales eligi de corpore Capituli, quid ergo dicen.?

RESP. Eligi poteſt Prouincialis de tota Prouincia, quamuis non ſit vocalis, &, ſic vſu receptum eſſe, teſtatur Roder. tom. 2. Quæſt. Regular. d. Quæſt. 52. artic. 6. in princip.

XXIV.

Edita Anno 1517 & 1518.

LIcet fel. record. Eugenius IIII. & Innocentius VIII. & infra pagina 514. item Sicut prudens Paterfamilias, & infra pagina 515. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia dubitatum fuit, an Camerarius, & Clerici Reuer. Cameræ Apoſtolicæ ſummariè procedere poſſint, inter priuatos in cauſis Fiſcalibus, & Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorumcunque. §. 1. Hic Pontifex quaſcunque cauſas ſummariè cognoſcere poſſe declarat. §. 2. Gubernium quarumdam Terrarum approbat, iteratóq; Clericis concedit. §. 4. Quæ ſit in illis eorum iuriſdictio, & emolumenta, decernit. §. 5. Quodque gubernium, & authoritatem in Vrbe, & extra, tam circa Datia, quàm circa Dohanas, Grafciam, Zeccam, Carceres, Vias Theſaurarios, & Depoſitarios, &c. quam hactenus exercere conſueuerunt, exercere poſſe indulget. §. 6. Facultatem Terras, Arces, & Officia Eccleſiæ quotannis corrigendi confirmat. §. 7. Statuta à Clericis edita, vltra Pontificias conſtitutiones, comprobat in §. 2. & ſeqq. alterius Bullæ annexæ. Quæ Statuta hæc ſunt. Primum, de Miſſa audienda in ipſa Camera. Secundum, Acceſſu ad eius Tribunal. Tertium, Audientia, & habitu. Quartum, Expeditione negociorum in Camera. Quintum, Ordine proponendi cauſas. Sextum, Facultate ſummariè procedendi. Septimum Propinis. Octauum, prohibitione participandi in affictibus Cameræ. Nonum, Forma afficinum. Decimum, Redditione computorum. Vndecimum, Theſaurarij iuramento, ſoluendi ſalaria. Duodecimum Eiuſdemque munere, quoad Arcium Caſtellanos. Decimumtertium, & Decimumquartum, Officialium coercitione. Decimumquintũ, Conſultationibus cum Papa, vel Camerario, in arduis. Decimumſextum, Adminiſtratione iuſtitiæ. Decimũſeptimũ, Officio Decani. Decimumoctauũ, Munere Clerici menſarij. Decimumnonum, Examine promouendorum ad Ordines. Vigeſimũ, Clericorum humanitate. Vigeſimũprimũ, Aduocati Pauperum munere. Vigeſimũſecũdum, Aduocati, & Procuratoris Fiſcalis munere. Vigeſimumtertium, Notariorum reformatione. Vigeſimũquartũ, Regiſtrandis ſcripturis Cameræ. Vigeſimumquintum, Bulliſque. Vigeſimumſextum, Regiſtrationum taxa. Vigeſimumſeptimum, Bullarum expeditione, & Librorum Cameræ cuſtodia cap. 28. Sequitur præceptum obſeruandi Bullam Iulij II. §. 9. Notarij officium quod. §. 10. & ſeqq. Decretum Camerarij circa Beneficiorum reſignationes à Notarijs recipiendas §. 11. & ſeqq. Mandata procuratoria in cauſis Cameræ, vt regiſtranda. §. 17. Clerici abſentes, vt participant §. 18. loca, & admiſſiones Clericorum, & Notariorum, quæ. §. 19. Cauſæ Clericorum, & Officiorum Cameræ, vt tuendæ. §. 20. Infirmi vt viſitandi. §. 21. Funeralia quæ. §. 22. Obſeruãtia prędictorum omnibus demandatur. §. 23. Iſtaq; Conſtitutio quotannis in proxima Camera publicè legatur. §. 24.

Schol. primum.

Quæro. Camera, & Clerici cur ſic appellati?

RESP. Camera eſt locus, in quo primum erat audientia Pontificis domeſtica de multis, quæ per ſeipſum tractabat, & audiebat, Pro quibus facilius gerendis adſciuerat ſibi Papa aliquot Pręlatos domeſticos, quos propterea Cameræ Apoſtolicæ Clericos, quaſi ad Cameram, ſeu Cameralem audientiam electos, vocamus vt ſcribit Veſtrius in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 1. & Petrus Greg. par. 2. Syntagm. Iur. lib. 15. cap. fin. num. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne verum, quod in illa audientia domeſtica, antiquis ijs temporibus Papa, Vrbi, & Prouincijs, Magiſtratus dabat?

RESP. Sic ſcribit Veſtrius vbi ſupra, ſubdens, quod hac de cauſa omnes ad Magiſtratum delecti, etiam hodie iuramentum de fido exercitio præſtant, in manibus Cardinalis Camerarij.

Digitized by Google

X X V.

Edita Anno 1517.

INtellexi mus quoſdam in dubium reuocare, & infra pag. 519. Bullarij

COMPENDIVM.

Dubium exortum, an Chriſti fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, ſi eam audiunt extra Eccleſias parochiales, in Eccleſijs Ordinum Mendicantium, hic Pontifex affirmatiuè reſoluit, dummodò non fiat in cõtemptum proprij Sacerdotis Parochialis. §. 1. Contrarijs derogat. §. 2. Tranſumptis credi iubet. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. in Decreto de Obſeru. & euit. in celebrat. Miſſar. quatenus habet, quod Epiſcopi moneant Populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus feſtis, & dominicis, accedant, obſtat ne huic ſanctioni?

RESP. Non, quia Concilium non præcipit, quod hoc iubeant Epiſcopi, ſed moneant, vt in ſpecie ſit reſpondet Roder. de Quæſtionibus Regul. tom. 1. quæſt. 43. articul. 7. vbi ſubdit in verſi. Præterea, quod ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concil. Tridentini,

Schol. ſecundum.

Quæro. Cum ſubdat ibidem dictum Concilium, quod Epiſcopi quæcumque alia huc pertinentia viſa fuerint, inuiolatè cenſuris Eccleſiaſticis Populum obſeruare compellant, nonne ipſi poterunt iubere, vt Miſſæ audiantur in Eccleſijs Parochialibus, quaſi id valdè pertinere videatur, ad frequentationem Parochiarum?

RESP. Non iure poſſent, quia generalis eſt totius Orbis conſuetudo, vt etiam in alijs Eccleſijs Miſſas audiãt & Chriſti fidelibus eſt valdè proficua, pro eorum ſalute, vt docet Syl. in ſua Summa in verbo Miſſa. §. 2. ſub nu. 5. & ſequitur Roderic. vbi ſupra. Quorum ſententiæ illud adſtipulatur, quod ſicuti huiuſmodi arbitrium Epiſcopis à Cõcilio conceſſum, ſemper eſt reſtringendum ad terminos iuris. Bart. in extrauag. Ad reprimendum, in verbo Videtur, nu. 8. Rota in deciſ. 100. Cæſ. de Graſſ. nu. 7. & deciſ. Seraphin. 29. numer. 4. Ita & multo magis reſtringendum intra cancellos dictæ conſuetudinis vniuerſalis, & Chriſti fidelibus fructuoſæ, vt notant omnes DD. in rubr. Cod. de Decurion. lib. 10. Et in terminis ſupradicti Concilij. Ioan. Gutier. Canon. quæſt. lib. 1. cap. 31. num. 22.

X X V I.

Edita Anno 1517.

LIcet aliàs poſtquam ſtatueramus, & infra pagin. 520. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, quod tàm Fratres Conuentuales, quàm de Obſeruantia S. Franciſci in proceſſionibus & alijs actibus, Crucem ſuam deferre poſſint, ſed quod Crux Fratrum de Obſeruantia, digniori loco deferatur. §. 1. & ſeqq. Declarat etiam hos Fratres de Obſeruantia fuiſſe, & eſſe veros Fratres S. Franciſc: §. 4. Imponit pœnas perturbatoribus. §. 5. Derogatque omnibus, quæ obſtant. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Delatio Crucis in digniori loco, de qua hic, ſupponit proculdubio, totalem præcedentiam Fratrum de Obſeruantia, vt Genitor tuus ſpeciali bulla diffinitum eſse in bulla adnotauit. Quid ergo dicen ſi Fratres S. Auguſtini, vel alterius Ordinis vellent inter dictos Fratres de Obſeruantia, & Conuentuales in proceſſionibus ſe interponere?

RESP. Hanc quæſtionem diffiniuit iam Alex. VI. id eis non licere in ſpeciali eius conſtitutione, quam propterea hic imprimendam duxi.

Dilecto filio Hieronymo de Torniellis, Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, VI. Generali citra montes, Commiſſario noſtro.

ALEXANDER Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper feciſti, quod licet aliàs pro bono pacis, & concordia, ac ad euitandas diſſenſiones, quibus Religioſi omnino carere debent, voluerimus, & decreuimus, quoad præcedentiam inter Fratrum Minorum. & Eremitarum Sancti Auguſtini, de Obſeruantia nuncupatorum, Ordinum profeſſores, in proceſſionibus, in quibus præfati profeſſores pro tempore interueniunt, Ciuitatum, ac locorum conſuetudinem, vbi aliud non appareat obſeruari debere; tamen aliquando contingit, profeſſores dicti Ordinis Sancti Auguſtini Conuentuales, velle ſe inter Fratres Conuentuales Ordinis Fratrum Minorum, & præfatos Obſeruantes Ordinis eiuſdem Minorum intromittere. Quare nobis de remedio ſupplicari feciſti opportuno. Propoſitio dubij.

§. 2. Nos igitur attendentes æquum, & conueniens fore, quod profeſſores dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia in dictis proceſſionibus, à Fratribus Conuentualibus non ſeparentur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, in dictis proceſſionibus illum modum, & ordinem circa præcedentiam obſeruari debere in Obſeruantibus Ordinis tui, quem Conuentualibus obſeruatur, ita vt nulla inter eos ſeparatio, & diuiſio fiat. Eius diffinitio.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus ordinum prædictorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Iuly, 1501. Pontificatus noſtri anno nono. Dat. 24. Iulij 1501.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nunquid præcedentiæ in Religionibus laudandæ?

RESP. Proculdubio: vt præter alios ſcribit Roderic de Quæſtionibus regularibus tom. 3. quæſt. 37. articu. 2. & reſpondet ad illud Euangelij; *Neſcitis quid, petatis.* pag. mihi. 112.

X X V I I.

INhærendo veſtigijs Prædeceſſorum, & infra pagina. 520. Bullarij. Edita Anno 1517.

COMPENDIVM.

Fraudibus prouidere volens mentientium ſe in literis Apoſtolicis, vt earum expeditionem gratis obtineant, eos excommunicationi ſubijcit, à qua non niſi per Rom. Pont. (excepto mortis articulo, & debita ſatisfactione præuia) abſolui poſſit. §. 1. Officialibus fraudis complicibus, eamdem pœnam infligit, & à perceptione emolumentorum per annum ſuſpendit. §. 2. Gratias nullas declarat §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4. Hoc decretum, publicari iubet. §. 5. Contrarijs derogat. §. 6. Publicatio habetur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Cur Prædeceſſorum veſtigijs inquit inhærere, cum ſolus Innocen. VIII. ſup. in conſtitu. 11. pagina 78. deſuper conſtitutionem ediderit?

RESPON. Quia Alexander VI. non abſimilem edidit, licet eam Genitor non potuerit, ſic etenim teſtantur Rebuff. in Pract. Benef. part. 2. in titul. de Reſcript. etiam & Petin. Val. numer. 65. & Pariſi. ante eum in conſil. 77. libr. 4. numer. 10.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc fraus, ſiue delictum, quando dicetur conſummatum & eius pœna incurſa?

RESP. Statim ſignata ſupplicatione gratiæ, ad deciſ. Rot. vltim. de reſcript. in Antiq. quam ſequitur Pariſi. conſil. citat. numer. 12. & 15.

X X V I I I.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 521. Bullarij. Edita Anno 1518.

COM-

Digitized by Google

COMPENDIVM.

Enunciat à Iul. II. editam fuiſſe conſtitutionem contra Barones, & Communitates Status Eccleſiaſtici, non cuſtodientes eorum loca à furibus, & alijs delinquentibus. §. 1. Eam approbat. §. 2. Declarat rerum ablatarum valorem æſtimandum eſſe à Clericis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, conſiderata qualitate perſonarum, furtorum, & alijs circumſtantijs, & coniecturis, receptoque iuramento partium derobatarum. §. 3. Et ſi furtum fiat in confinibus plurium locorum, damnum paſſus eligat, quem conuenire velit. §. 4. Eoſdem Barones, & Communitates, ad viarum ſecuritatem latibula prope eas, amouere debere, decernit. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Poterit ne aduerſus iuramentum damnum paſſi, de quo in §. 3. admitti probatio in contrarium?

RESP. Poteſt, & debet, niſi aliter expreſſè caueatur, iuxta communem Doctorum ſententiam, de qua Angel. de Malefic. in §. Necnon ad denunciationem num. 16. & 17. & Clar. in quæſt. 82. ſub nu. 2. Menoch. de Arbitr. iudic. quæſt. 76. num. 17. quem, & alios congerit Baiard. d. quæſt. 82. num. 25.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi damnum paſſus ſit de illa Vniuerſitate, in cuius territorio damnum ſecutum eſt, tenebitur ne etiã ipſe contribuere?

RESP. Affirmatiuè cum Paul. de Caſtro in l. ab omnibus 107. §. Titio ff. de Legat. 1. num. 1. poſt Bart. ibidem, num. 1. Soc. in cap. Dilecta 14. de Exceſſib. Prælat. num. 53. Baiard. quæſtion. 82. num. 37.

Edita Anno 1518.

XXIX.

INtelleximus, quod in Hiſpania, & infra pag. 521. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum ex teſtium falſis depoſitionibus in cauſis hæreticæ prauitatis, plerumque damnentur inſontes, vel culpabiles veniam conſequantur, hic Pont. vt acriori longè ſupplicio puniantur, quam cæteri alij falſidici teſtes plecti ſoleant, dat facultatem Inquiſitoribus, procedendi contra eos, quos eis legitimè conſtiterit in crimine hæreſis ſcienter depoſuiſſe, aut alium ad falſum deponendum, aut verum tacendum, induxiſſe, vel quempiam ob huiuſmodi teſtimonium occidiſſe, aut membro aliquo mutilaſſe, vel maiori parte bonorum ſpoliaſſe, vel atrociſſima iniuria affeciſſe. §. 1. Eoſque pœnis, de quibus ipſis videbitur, condemnandi & etiam Curiæ ſæculari tradendi d §. 1. Quibuſcunque non obſtan. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi ſpontè falſum teſtis depoſuiſſe fatetur, & errati veniam poſtulet?

RESP. Mitigari pœna conſueuit, vt in ſpecie ad hanc Bullam notat Pegna in Director. Inquiſitor. part. 3. Comment. 73. verſ. Multis modis, Quod intelligendum venit, ſi ita fatetur teſtis, antequam reus de hæreſi puniatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi huiuſmodi veniam non petat, ſed eius depoſitio defectu iuramenti, vel aliàs fuit inualida?

RESP. Non minui ex hoc pœnam, communiter à DD. tenetur eo, quod fecit ipſe quantum in ſe potuit, teſte Claro in §. Falſum num. 11. quem in terminis huius Bullæ ſequitur Pegna vbi ſupra verſ. Id eſt autem.

Edita Anno 1518.

XXX.

IN ſupremo Apoſtolicæ Sedis ſolio, & infra pagina 522. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifacius IX. literas Apoſtolicas vbique liberè iuſſit exequi debere, non obſtante indulto per Vrbanum VI. quibuſdam Prælatis dato, quod prius ipſi eas viderent, & exequi mandarent. §. 1. Hic Pont. illius ſanctionem approbat. §. 2. Contrarias vbicunque editas conſtitutiones irritas decernit. §. 3. Prælatis liberam executionem literarum Apoſtolicarum præcipit. §. 4. Quibuſcunque contrarijs derogat. §. 5. Sanctionem pœnalem adijcit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Cur hæc Bulla in §. 1. habet illa verba *conceſſionem Vrbani*, & alia vſque ad finem. §. quæ non extant in hac eadem bulla aliàs à tuo Genitore edita in antiquo eius Bullario?

RESP. Quia ex probato Codice, quæ deficiebant reſtituit, & propterea hoc ſignum ☞ ibi appoſitum eſt, prout in pleriſq; alijs locis reſtitutis illud, vel iſtud ſignum ✶ pro indice apponi voluit, quam reſtitutionem probat etiam tex. Bullæ 39. Clem. VII. in §. 3. in priori Bullar. fol. 347. & in hoc nouo fol. 606. Et hinc corrigenda eſt, vel potius ſupplenda hæc eadem bulla, abſque dictis verbis inſerta à Rebuff. in Pract. Benef. in explanatione bullæ Cœnæ Domini Paul. III.

Schol. ſecundum.

Quæro. In ſanctione pœnali, de qua in §. 7. Extat comminatio indignationis Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, Quæ eſt ergo huiuſmodi pœna indignationis?

RESP Communiter tenetur, pœnam eſſe arbitrariam, Menoch. de Arbitrar. iud. caſu 365. num. 4. Et quamuis vis ſubdat extendi vſque ad pœnam mortis, hoc intelligo in grauibus, & quoad Principes ſæculares, ſed in Papa non, cum loquatur, vt Paſtor bonus, vt errantes moneat ad reſipiſcentiam, ita ſentit Bellen. de Charit. ſubſid. cap. 44. num. 14. per text. in cap. 46. de Pœnitent. diſt. 1. Et propterea Vgolin. de Cenſur. par. 3. ſup. interpret. huius clauſulæ in Bulla Cœnæ Domini Clem. VIII. ſcribit non ſe extendere ad beneficiorum priuationem, refellendo Rebuff. aliter dicentem, in ſuo tract. de Nominat. num. 4. quæſt. 19. quem videas, & etiam Iaſ. in l. vnica Cod. ſi quiſ. Iud. non obtemper. num. 2.

XXXI.

QVam Deo, & hominibus abominabiles, & infra pag. 552. Bullarij.

Edita Anno 1519.

COMPENDIVM.

Iul. II. in ſua conſtitut. 19. de qua ſupra pag. 88. duellorum vſum in Statu Eccleſiaſtico interdixit. §. 1. Hic Pont. eam approbat. §. 2. Pugnantibus pœnam damnationis memoriæ, & confiſcationis bonorum addit. §. 3. Campum ad pugnandum præſtantibus, pœnam deuolutionis omnis iuris in ſuis territorijs obtinentibus, abſque alia declaratione adiungit. §. 4. Spectantibus pœnam excommunicationis, & perpetuæ maledictionis, & pecuniariam infligit. § 5. Locus duelli interdicto Eccleſiaſtico ſupponitur ibidem Iulij II. conſtitutionem perpetuò ſeruari præcipit. §. 6. Camerarium, & Clericos Cameræ executores deputat. §. 7. Contraria non obſtare decernit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Num aliqua longa conſuetudo poſſit permittere duellum aduerſus hanc, & alias conſtitutiones Pontificias, contra duellos editas?

RESP. Non, quia inuitaret ad delicta, iurgia, inimicitias, cædes, & alia pleraq; mala; Et ideò præſcriptibilis non eſt, teſte Oldrad. in conſ. 191. num. 2. & ſequitur Tuſch. in verbo, Duellum concluſ. 805. nu. 5. & benè Afflict. viden. ſuper Feud. in tit. de Pace tenen. verſ. ſi quis hominem num. 1. & ſeqq. Vltra quod Iul. II. in ſua conſtit. 19. de qua ſupra. §. 3. in fine, derogauit quibuſcunque conſuetudinibus, & ſucceſſores Pontifices eam confirmarunt, & ampliarunt, vt Genitor meus notauit in rubr. huius bullæ, Et ſupradicta reprobatio conſuetudinis extenditur etiam ad futurum, ſecundum Afflict. vbi ſupra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num iure ciuili duellum erat licitum?

RESP. Videbatur licitum per text. in l. Qua actione. 7. §. 8. Si quis in colluctatione ff. ad Leg. Aquil. Sed ea mihi placet opinio, vt ille tex. intelligatur de antiquo more colluctandi, ſeu pugnandi, non autem formiter duellandi,

vt inquit Roſfred.in libell. Iur. Canon. in rubr. de Purgat. Canonic. Additionator ad Bertazzol.conſ.152.lib. 1. litera E. Sed omnis ceſſat hæſitatio per text. in l. vnica C. de Gladiator.vbi clare legitur eiuſmodi prohibitio.

XXXII.

Edita Anno 1519.

DVdum per nos accepto,& infra pagina 524. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quod aliqui Pontifices Ordini Prædicatorum, alij Ordini Minorum, alij Ordini Eremitarum S. Auguſtini, & alij Ordini Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, diuerſas gratias, prærogatiuas, & priuilegia conceſſerunt,in princip. Subdit omnia indulta ipſis Ordinibus, ac Ordini Fratrum Seruorum B.Mariæ, ac Minimorum, illorumque perſonis,& locis, Eccleſijs, vel eas viſitantibus, necnõ Monialibus,Tertiarijs,Conuerſis, & Oblatis vtriuſque ſexus elargita,vel elargienda,fuiſſe,& eſſe eiſdem communia.§. 1.Quibuſcunque non obſtan.§.2.

Schol. primum.

Quæro. In iſta communicatione Priuilegiorum, continetur ne etiam communicatus vſus,& non vſus eorum?

RESPON. Non vſus, non eſt communicatus,ideſt ſi vnus Ordo non vtitur, alteri non præiudicat, ſecundum Panormit.in cap. Cum acceſſiſſent. 8. de Conſtitut. in fin. & Syluestr. in ſua Summa in verbo Priuilegium. §. 11. num. 11.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ne integer contextus huius Bullæ, vel potius diminutus in fine.§.1.?

RESP. Non eſt integer, ſed impreſſorum incuria, de qua Genitor meus millies queſtus eſt, deeſt pars quatuor §§. quam propterea ipſe in Appendice huius Bullarij fol. 21. edere non prætermiſit. Et circa hanc, quæ deeſt, partem, aliud quæſitum mihi proponere, tunc non omittas.

XXXIII.

Edita Anno 1519.

PAſtoralis officij debitum,& infra pagina 524. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vniuerſitas Mercatorum Florentinorum, ad vtilitatem ipſorum, & aliorum Ciuitatis Florentiæ ſubditorum, in Vrbe commorantium, nonnullas fecit Conſtitutiones inter eos obſeruandas, & inter alia, quod inter ipſos eligant vnum Conſulem, cum duobus Conſiliarijs, ac Notario, qui de litibus inter eos ciuilibus cognoſcerent. §. 1. Quas hic Pontifex iam approbauit. §. 2. Et d. facultatem prædictas lites cognoſcendi, exceptis his, in quibus agetur vigore obligationis cameralis, & perſonis, qui Mercatores non eſſent, confirmauit. §. 3. Dictumque eorum Notarium non teneri,acta, & inſtrumenta ad Archiuium Romanæ Curiæ portare, decreuit. §. 4. Modo excommunicationis pœnam impoſuit, quibuſcunque debitoribus d. Vniuerſitatis, pecunias occupatas non reſtituentibus, aut rationem non reddentibus. §. 5. & 6. Homines d. Nationis,pro criminibus captos à Iudicibus Vrbis, præſente d. Conſule, vel vno ex Conſiliarijs examinari iubet. §. 7. Conſuli, & Conſiliarijs, armorum delationem permittit. § 8. Carceres publicos penes Conſulatum pro hominibus d.Vniuerſitatis conſtrui poſſe,indulget.§.9. Executores huius bullæ deputat. §. 10. Contrarijs derogat. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Notarius à Natione eligendus,vt in §. 1.nonne matriculatus eſſe debet?

RESP. Debet eſſe matriculatus in Archiuio Romanæ Curiæ, & debet eſſe Ciuis Florentinus, eligendus ad vitam,vel ad tempus arbitrio ipſius Nationis, ſpecialemque taxam habet, vt videre eſt in alia huius Pontificis conſtitutione edita,die 12.Iunij 1515. hic enunciata, & à Genitore meo ideò prætermiſſa, quod alia, quam particularia Nationis capitula non contineat,quæ tamen in eius archiuio diligenter aſſeruatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Mercator Florentinus huic ſuæ Nationis iuriſdictioni ſubiectus, vt in §.1. efficeretur ciuis Romanus, acquireret Priuilegium Ciuium Romanorum?

RESP. Accipe verba alterius Priuilegij à Pio IIII. poſt Iul. III. & Paulum III. eidem Nationi, Motu proprio die 18. Martij 1513. conceſſi, & apud eam accuratè præſeruati, & inde dubij reſolutionem elicias. *Quod dicti Mercatores Florentini, ac omnes alij ſubditi Ciuitatis Florentiæ, & etiam eius dominij, etiam ſi diù in Romana Curia, & alma Vrbe moram traxerint, propterea que, ſeu etiam ex priuilegio expreſſo, Romanam Ciuitatem acquiſiuerint, nihilominus eiſdem Conſulatui, ac Tribunali Florentinorum ſubiecti exiſtant, & eſſe cenſeantur, nec vllo pacto ad Capitolinos, ſeù alios Curiæ, & Vrbis prædictæ Iudices vitare, & d. Conſulatum declinare valeant, ſed ſemper, & perpetuò forum d. Conſulatus ſortiri debeant.*

XXXIV.

Edita Anno 1519.

DVdum dum ad Eccleſiam Sebaſten. & infra pagina 525. Bullarij.

COMPENDIVM.

Zaccharias Canonicus Regularis Lateranenſis promotus fuit ad Epiſcopatum Sebaſten.incedebatque in habitu coloris, Prælatis ſecularibus permiſſo, dubitatumq; fuit, an id ei liceret.§.1. Hic Pontifex hoc dubium maturè conſiderandum commiſit Cardinali de Fliſco. §.2. A quo habita relatione, quod ab antiquo hoc habitu alij huiuſmodi Canonici, in Capella Papæ, & extra eam vſi ſunt, habitum prędictum ei licere declarat.§. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ex conſuetudine ergo,de qua in §.2.declaratio dubij iure ſumi potuit?

RESP. Rectè quidem, probat tex. in cap. Cum dilectus 8. de Conſuetud. & in l. Si de interpretatione. 37. ff. de Legib.Bart.conſ.59.nu. 3.Dec.conſ. 285. num. 2. Aym. conſ.201.num.11. Ludouic.concluſ.38. illatione 23.

Schol. ſecundum.

Quæro. Erat ne etiam dubitandum, an iſte Canonicus ad Epiſcopatum translatus, quæ poſtea acquiſiuit, Eccleſiæ,vel Monaſterio acquiſiuerit?

RESP. Hoc dubium deciditur in cap.3. cauſ.21. q.2. & in cap.37.cauſ.16.q. 1. vbi Eccleſiæ ſuæ acquirere cauetur, Quod apertè conſulendo tenet Nauar. per dicta iura in conſ.70. lib. 3.de Regularibus, ſub num.6.

XXXV.

Edita Anno 1520.

CVm Sixtus IIII. & Iulius II. & infra pag. 525. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IV. & Iulius II.ad tollendum occaſionem litigãdi,quæ ex prorogatione Cõſiſtorij oriri poſſet, ordinarũt, vt ſupplicationes impetrationum Eccleſiarũ Cathedraliũ, & Metropolitanarum, & Monaſteriorum Cõſiſtorialium ſignarentur, & datarentur, ad quarum Datas retrotraherentur cedulæ conſiſtoriales, aliàs nullæ eſſent, in princip. Et ne Collegium Cardinalium, & Cam. Apoſt. his prouentibus fraudarentur, ordinarũt, vt dictæ literæ prouiſionum prædictarum Eccleſiarum,& Monaſteriorum non expedirentur, ſine literis diſpenſationum, retentionis beneficiorum, & penſionum ibid. Hic Pont. pręcipit in dictis cedulis Conſiſtorialibus, omnino mentionem fieri debere harum diſpenſationum, aliàs non ſuffragentur. §. 1. Omnibuſque Officialibus ſic obſeruari præcipit. §. 2. Neque huic Bullæ,niſi per ſpeciale mandatum Papæ, derogatum cenſeatur.§.3.Contrarijs non obſtantibus.§. 4.

Schol. primum.

Quæro. Appelletione Eccleſiarum, & Monaſteriorum

Conſi-

Digitized by Google

Conſiſtorialium, de quibus in princip. veniunt etiam Abbatiæ?

R E S P. Veniunt, & de eis conſiſtorialiter Papa prouidet, ſicut de Epiſcopatibus, vt ſcribit Lapus allegat. 83. incipien. Dominus Papa n. 11. verſ. item; Et ſequitur Mandoſ. in Regula de Annali poſſeſſ. quæſt. 16. num. 2. & 7. & Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancellar. gloſ. 9. num. 38.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ eſt hæc prouiſio Conſiſtorialis, & non Conſiſtorialis?

R E S P. Non Conſiſtorialis eſt, quam facit ſolus Papa, ſignando ſupplicationem impetrantis; Conſiſtorialis vero eſt, quam facit Papa in Conſiſtorio ſecreto, aſſentientibus Cardinalibus, vt notorium eſt, & tradunt Mandoſ. d. quæſt. 16. ſub nu. 1. & Gonzal. vbi ſupra.

XXXVI.

Edita Anno 1520.

OMnes quidem Chriſti fideles, & infra pag. 526. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. ſuam conſt. 2. de qua ſup. pag. 83. edidit contra Barones, & Communitates, non cuſtodientes eorum territoria à Bannitis, &c. multis impoſitis pœnis, vltra refectionem damnorum, & intereſſe, damnum paſſis in eorum territorijs. §. 1. Hic Pontifex eam approbat. §. 2. Imò ampliat pœnas, & extendit ad eos non capientes. §. 3. Executores huius Bullæ Camerarium, & Clericos Cameræ deputat. §. 4. Contrarijſq; derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Iſta Conſtitutio habet ne locum, ſi damnum paſſus, per viam inſolitam iter faceret?

R E S P. Videretur dicen. non teneri, ex textu l. 1. §. ſumma. ff. de His qui eiecer. vel effud. Sed contrarium puto verius, quia ille textus loquitur de effundentibus aliquid in itinere communi, Vnde Bart. ibi arguit ad Statutum de tenentibus ſtratam ſecuram, num. 2. Conſtitutio autem Iulij II. hic approbata, non præcipit teneri itinera communia ſecura, quia tunc iter facientibus prouidere voluiſſe cenſeretur, vt voluit Prætor in d. §. ſumma. Sed præcipit territoria cuſtodiri ſecura, & libera à ſicarijs, furibus, & alijs delinquentibus, volens quemquam in quocunque loco territorij, ſecurum degere, & in quacunque parte illius, delinquentes exulare; Lata eſt enim ſignificatio Territorij, quod eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque Ciuitatis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi damnum ſit illatum ab hominum multitudine, cui Baro, vel Communitas non potuiſſet cum tota eius gente reſiſtere?

R E S P. Excuſatur, quia ad impoſſibile non obligatur, & pœna abſque culpa non irrogatur, vt in puncto docet Bart. in l. 1. §. Occiſorum. ff. ad Senatuſc. Syllan. n. 2. Oſaſc. in deciſ. Pedemont. 138. nu. 34. & Farinac. q. 24. num. 203.

XXXVII.

Edita Anno 1520.

ILlius, qui Charitas eſt, & infra pagina 327. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius Cardinalis S. R. E. Vicecancellarius promouit in Vrbe, Confraternitatem Charitatis, nonnullorum Curialium, ad pauperum mendicare erubeſcentium, carceratorumque in Vrbe ſubuentionem, mortuorumque ſepulturam. §. 1. Quæ Confraternitas impenſis d. Cardinalis huiuſmodi pia opera exercere cœpit. §. 2. Eam hic Pont. approbat, & in Archiconfraternitatem erigit. §. 3. Facultatem opportuna Statuta condendi tribuit. §. 4. Confratribus, & benefactoribus, indulgentias elargitur. §. 5. Bona quæcunque etiam feudalia, & emphiteotica, etiam Eccleſiaſtica, ei relinqui poſſe concedit, ita vt Archiconfraternitas, ſpatio 20. annorum pro qualibet generatione, ea, retinere poſſit. §. 6. Et hæc omnia obſeruari diſtricte præcipit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne de iure licitum, hanc Confraternitatem, abſque Summi Pontificis licentia promouere?

RESPON. Religionis cauſa, etiam de iure ciuili eam promouere licuit text. eſt in l. 1. ff. de Colleg. illicit. §. Sed religionis, vbi Bart. ex eo infert Diſciplinatorum, & Miſericordiæ Collegia, & ſimilia, eſſe licita, idemque ſcribit in l. 1. per illum tex. ff. Quod cuiuſque Vniuerſit. nom. num. 2. in fine. His autem temporibus, in erigendis his Confraternitatibus, ſeruanda erit forma tradita à Clem. VIII. in eius conſtit. 115. de qua infra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ad quid ergo iſta Pontificis approbatio?

R E S P. Vt maioris ſit authoritatis, vt locupletaretur indulgentijs, & priuilegijs, in approbatione, vtque tollatur dubium, quod eſſe poſſet, circa facultatem condendi Statuta, ita loquendo de Confraternitate Roſarij, ſcribit Nauarr. in Miſcellan. de Orat. nu. 19.

XXXVIII.

Edita Anno 1519. & 1521.

EXcelſus Dominus militantem Eccleſiam, & infra pagina 528. *Item*, Licet per alias noſtras, & infra pagina 533. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Deum pretioſiſſimis lapidibus Eccleſiam ſuam conſtruxiſſe, in princ. Eiuſque primos fundatores fuiſſe, Patriarchas. §. 1. Apoſtolos deinde. §. 2. Martyres. §. 3. Doctores. §. 4. Confeſſores. §. 5. Virgines. & Viduas. § 6. Et nouiſſimæ B. Franciſcum de Paula ad ſuæ vineæ culturam adduxiſſe § 7. Cuius origo refertur. § 8. Eumque ſemper religionem dilexiſſe. §. 9. Semper etiam oraſſe, vel laboraſſe §. 10 Ordinemque ſuum, Minimorum appellaſſe, §. 12. Super ignem, & ſpinas ambulaſſe. §. 13. Miraculis claruiſſe, §. 14. Spiritum Prophetiæ habuiſſe. §. 15. Ignem præ manibus tenuiſſe. §. 16. Apoſtema incurabile Iacobi ſanaſſe. §. 17. Paralyticum, & leproſum curaſſe. §. 18. Mutum à natiuitate liberaſſe. §. 19. Cæcum ſanaſſe. §. 20. Laborantes terram effodiendo obrutos, illæſos eius gratia repertos fuiſſe. §. 21. Fabas ſine igne coxiſſe. §. 22. Lampadem abſque igne accendiſſe. §. 23. Ferè mortuum ſanaſſe. §. 24. Oculi albuginem abſtuliſſe §. 25. Mortuum ſepeliendum, incolumem reddidiſſe. §. 26. Ignis fornacem intraſſe, & incolumem inde exijſſe. §. 27. Iulium ab euidenti mortis periculo liberaſſe. §. 28. Ardentes titiones manibus ad proximi ſalutem accepiſſe. §. 29. Regulaſq; tres inſtituiſſe. §. 31. Et præuiſa die mortis, in Domino obdormijſſe. §. 33. Miraculis poſt obitum claruiſſe. §. 34. Regemq; Franciæ, & alios propterea, pro illius Canonizatione inſtitiſſe. §. 35. Vnde hic Pont. proceſſum deſuper fieri iuſſit. §. 36. Quo relato in publico Conſiſtorio, præuijs ſolemnitatibus, illum Sanctorum Cathalogo adſcribit. §. 37. & ſeqq. Eiuſque Feſtum die 2. Aprilis celebrari iubet. §. 40. Octauamque d. Feſti inſtituit in §. 1. Conſtitutioni præcedenti annexæ.

Schol. primum.

Quæro. Vberius ne quiſquam huius Sancti acta conſcripſit?

R E S P. Romeus Neapolitanus copioſiſſime, & etiam F. Gaſpar. Paſſarellus in fine Collectionis Priuilegiorum huius ordinis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ eſt forma decreti, quo Papa aliquem Sanctum pronunciat?

R E S P. Eam conſcriptam habemus in libris cærimoniarum Sacrarij Pontificij, & paucis interiectis, aliam tradit, vltra prædictam, Rocca de Canoniz. SS. cap. 38.

XXXIX.

Edita Anno 1520.

SAluator noſter IESVS Chriſtus, & infra pag. 533. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſterium pro Mulieribus in Vrbe inhoneſte viuentibus, ad honeſtam vitam ſe conuertentibus, erexit

ſub inuocatione S. Mariæ Magdalenæ. §. 1. & 2. Abbatiſſam modò illis præficit. § 3. Pœnitentes recipi ſub regula Sancti Auguſtini, & in manibus Abbatiſſę profeſſionem emittere, decernit. §. 4. Regimen Monaſterij Archiconfraternitati Charitatis de Vrbe delegat. §. 5. Moniales S. Mariæ Magdalenæ vocari iubet. §. 6. Meretricum in Vrbe ab inteſtato, vel non relicta his Monialibus quinta parte ad minus bonorum ſuorum, decedentium ſpolia, Monaſterio applicat. §. 7. Confeſſoribus Monialium amplam eas abſoluendi authoritatem, concedit. §. 8. Monaſterium, bona, & perſonas, ſub protectione Sedis Apoſt. recipit § 9. Indulgentias elargitur. §. 10. Notitiam dictorum ſpoliorum habentes, reuelare præcipit. §. 12. Contrarijſq; derogat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Hæc diſpoſitio habet locum in muliere, quæ ante obitum, redijt ad honeſtam vitam?

R E S P. Non, vt tenuit Rota in deciſ. Seraphin. 999. num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si filiafamilias impudica teſtaretur relicta quinta parte Monaſterio, tenet eius teſtamentum?

R E S P. Non tenet, ſecundum Gabriel. conſ. 17. lib. 2. num. 1. & ſeqq. eo, quod hæc Bulla aufert ſolummodo impedimentum impudicitiæ his, qui aliàs de iure teſtari poſſent. Quod credo verum, ſed diſcedo à Gabr. in eo, quod ſubdit, admitti hæredes ab inteſtato, excluſo Monaſterio, Quia, ni fallor, clarè eſt hic diſpoſitum, quod ab inteſtato ſuccedat Monaſterium; Quinimò etiam filij reſeruatis alimentis ſunt excluſi in Bulla 14. Clem. V I I. vt ibi videre eſt; Vnum tamen aduerten. eſt, quod ſi mater impudicè vixiſſet cum lenocinio filiorum, tunc tabiet excluderetur ex his, quæ de Patre lenocinium præſtante ſcripſit Gabr. vbi ſupra num. 11.

X L.

Edita Anno 1520.

EXurge Domine, & iudica cauſam tuam, & infra pag. 536. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Martinus Lutherus, eiuſq; ſectatores, quamplures errores ſuſcitarunt, quorum aliquos hic Pôt. recenſet. § 1. & 2. Eoſque vti falſos, & hæreticos damnat. §. 3. & 4. Eius ſcripta interdicit §. 5. Pro reductione Martini, ipſum Pontifex citari fecit, & deinde hortatus eſt, vt ab erroribus deſiſteret § 6. Ille autem ad futurum Concilium prouocauit. §. 7. Et nihilominus Martinum, & ſequaces iterum hic Pont. ad conuerſionem hortatus fuit §. 8. Poſtea ei inhibet prædicationis officium §. 9. Martino, & ſequacibus terminum præfixit, ad deſiſten. ab huiuſmodi erroribus. §. 10. Et inobedientes in d. termino, vti hæreticos pronunciauit. §. 11. Opera eius omnia prohibuit. §. 12. Chriſti fideles monet, vt hos hæreticos euitent §. 13. Capi etiam mandat. §. 14. Loca, ad quæ declinauerint, interdicto ſupponit. §. 15. Vt hæreticos publicari iubet. §. 16. Iſtamq; bullam publicari, & impedientes excommunicari præcipit. §. 17. Tranſumptis credi iubet. §. 18. Contrarijs derogat. §. 20. Sanctionem pęnalem addit §. 21.

Schol. primum.

Quæro. Quamuis Papa in §. 14. Martinum, & ſequaces poſt lapſum terminum, hæreticos declaratos capi non iuſſiſſet, nonne vbique capi potuiſſent?

R E S P. Sine dubio capi potuiſſent, & puniri. Zabar. in clem. 2. de Sent. & re iud. num. 12. ſiquidem ipſi vbique delinquunt Bald. in l. Et ſi excepta. 7. Cod. de Maleſic. & Mathem. in fine. Carrer. in ſuo tract. de Hæret. num. 153. Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 91. verſ. hæc tamen, Et ſignanter capi poſſe in Eccleſijs, diffiniuit in conſt. 1. Ioann. 22. de qua ſupra pag. 37.

Schol. ſecundum.

Quæro. Potuiſſet quis de cibo ſubuenire alicui ex ſupradictis hæreticis, in extrema neceſſitate, ſolum cauſa pietatis?

R E S P. Potuiſſet, quia de nemine eſt deſperandum, donec viuit, iuxta gloſ. in cap. In eos. 6. de Hæretic. & Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. pag. mihi 147. n. 2. ac Nauar. conſ. 57. Quidā lib. 5. de Sent. excōmunicat. 7. & ſeqq.

X L I.

Edita Anno 1521.

DEcet Roman. Pontif. ex tradita, & infra pagina 540. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, contra Martinum Lutherum precedentem conſtitutionem edidiſſe. §. 1. Poſt eiuſ publicationem multi eius ſequaces, ad fidem Catholicam conuerſi ſunt, ipſe autem impęnitens cum alijs fuit, & peiora patrauit. §. 2. Quos anathematis, & alias pęnas incurriſſe declarat. §. 3. Loca, ad quæ declinauerint, interdicto Eccleſiaſtico ſupponit. §. 4. Illoſq; à Prȩlatis excommunicatos declarari mandat. §. 5. Contra Martini hæreſes, ardentius prædicari iubet. §. 6. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Quam nefanda mala Lutherana hæreſis peperit, nemo eſt, qui ignoret; ſed nonne ex his, aliqua commoda, & vtilitates ſortitæ ſunt?

R E S P. Tria potiſſimum commoda hæreſes parere certiſſimum eſt; Primum eſt, Chriſti fidelium exercitatio in intelligentia ſcripturarum; Secundum, Vt in hæreſim lapſi, humiliores fiant, & pęnitentiæ operibus exerceantur; Tertium, Vt qui probati ſunt, manifeſti fiant; Hæc omnia poſt SS. Paulum, & Auguſtinum, & alios, recenſet Pegna, in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 44. verſ. Ac in ſumma.

Schol. ſecundum.

Quæro. Infame, de quo tempore cæpit eſſe nomen hæreſis?

R E S P. Poſt conſtituta Chriſtianæ Religionis fundamenta, execrabilis apud nos, vox hæreſis haberi cæpit; Quia cum lex noſtra data ſit ab omnipotenti Deo, per I E S V M Chriſtum filium eius, aliam legem nemo eligere poteſt; Proinde quiſquis aliam fidem, & doctrinam eligit, meritò hæreticus, & infamis eſt, vt ſcripſit Pegna, vbi ſupra par. 2. Comment. 16. verſ. Nomen verò, vbi inquit etiam, quod antea ſectæ Philoſophorum vocabantur hæreſes, quia hæc vox illis temporibus in bonam partem accipiebatur.

X L I I.

Edita Anno 1521.

INter cætera noſtro regimini credita, & infra pag. 541. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Nicolaus IIII. in ſua conſtitut. 2. de qua ſup. pagina 33. Regulam S. Franciſci pro Tertiarijs editam, approbauit. §. 1. Cui Regulæ non ſolum ſeculares, ſed etiam regulares ſe addixerunt. §. 2. Hic Pont. eam Regulam pro Regularibus accommodatam promulgat, obſeruandamque tradit. § 3. Nempe ſuper Nouitiorum receptione cap. 1. Forma habitus, & profeſſionis cap. 2. Ieiunio cap. 3. Diuino Officio, & Oratione cap. 4. Prȩlatorum, & officiorum Ordinatione cap. 5. Modo conuertendi cap. 6. Viſitatione, & cura infirmorum cap. 7. Viſitatione Prælati, ac Fratribus, & Sororibus cap. 8. Officijs Mortuorum cap. 9. Obligatione contentorum in Regula. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. B. Franciſcus hunc tertium Ordinem Regularium, quando inſtituit?

R E S P. Non eum inſtituit, ſed ſecularium ſolutorum, & vxoratorum, qui quadam recta viuendi norma præſcripta, in ſeculo viuerent; cui certam Regulam poſtea præfiniuit Nicolaus I I I I. à Genitore meo in hac Bulla indicatus.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hunc ergo Tertium Ordinem Regularium quis promouit?

R E S P O N. Ante Pontificatum Martini V. qui annò 1413. in ſolio B. Petri ſedit, Illuſtriſſima, & pientiſſima Angelina à Thermis Ciuitellæ, apud Brutios Comitiſſa, coacta bona illuſtrium iuuencularum manu, in Ciuitate Fulginaten. Prouinciæ Vmbriæ, Conuentum ſub titulo S. Annæ, ſibi conſtruxit, & illum cum Socijs ingreſſa,

tribus

tribus monaſticis votis, Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis emiſſis, ibidem vſque ad mortem ſanctiſſimè perſeuerauit. A cuius exemplo aliæ Virgines permotæ, collatis in medium proprijs facultatibus octo Monaſteria, in quibus ſub habitu, atque legibus Tertij Ordinis S. Franciſci conuenirent, in diuerſis Italiæ partibus poſt breuiſſimi temporis ſpatium, ædificari curarunt. Et ideò hic Pont. hunc Ordinem confirmauit, & Regulam ei præfiniuit, de qua hic, teſte Roder. de Quæſt. Regul. tom. 3. q 72. art. 1.

X L I I I.

Edita Anno 1521.

HOneſtis petentium votis, & infra pagina 543. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat Inquiſitores hæreticæ prauitatis procedere poſſe contra Maleficos, & Sortilegos, etiam ſi aliquis alius Iudex à Papa fuiſſet adiunctus. §. 2. Et Iudices ſæculares eorum proceſſus, aut ſententias reuidere non poſſe, declarat. d. §. 2. Et contradictores Eccleſiaſticis cenſuris ad id compelli. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Malefici quomodo poſſunt homines lædere?

RESP. Inducunt Dæmones precibus ad hoc, vel promiſſionibus, & alijs modis, & illi non apparenter Deo permittente homines lædunt in rebus, fama, corpore, vſu rationis, & vita, vt ſcribit, & exempla refert Martin. de Arles in ſuo Tract. de Superſtitionibus. num. 65. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Malefica poteſt ne cenſeri mulier, quæ ſemel maleficium fecit?

RESP. Si agitur de maleficio, quod ſapit manifeſtam hæreſim, & de qua agitur coram Inquiſitoribus, malefica cenſetur; In alijs autem maleficijs, attendendus videtur communis vſus loquendi, ſecundum quem illa mulier malefica nuncupatur, quæ artem ſuperſtitionum exercet, & ad quam confluunt homines pro maleficijs, & ſuperſtitionibus, ita poſt alios ſcribit M. Antonius Genuenſis Iſerniæ Epiſcopus in Praxi. Archiep. Neapol. cap. 23. numer. 15. Hoc tamen ſentit ipſe procedere, non quoad punitionem ipſius mulieris, ſed eius, qui ipſam maleficam officio non detulit, & in hoc ſenſu bene loquitur.

X L I I I I.

Edita Anno 1521.

IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, & infra pag. 543. Bullarij.

COMPENDIVM.

Honorius III. exemptionem à decimis, de Terris ſuis Ordini Ciſtercienſi cõceſſit. §. 1. Martinus V. eam ampliauit. §. 2. Et pariter Six. IV. §. 3. Innocen. VIII. omnia loca Ordinis ſub Sedis Apoſt. protectione recepit, & à iuriſdictione Ordinariorum, & à ſolutione collectarum, & ſubſidiorum exemit. §. 4. Carolus Imperator perpetuus adminiſtrator Militiæ de Alcantara eiuſdem Ordinis Ciſtercien. impetrat ab iſto Pont. communicationem omnium gratiarum d. Ordinis. §. 5. & ſeqq. Contrarijs derogatur. §. 8. Tranſumpti fides approbatur. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Vnde hæc Militia nomen ſortita eſt?

RESP. Ab Alcantara oppido in Regno Caſtellæ, vt ſcribit Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi. part. 9. conſi. 9. & Petrus Calefat. de Equeſt. dignit. num. 27. & Roder. tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 6. artic. 4. in fine vbi recenſet, quod antea vocabatur Militia del Pereyro.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis huius Militiæ promotor fuit, & quando à Seda Apoſtolica approbationem recepit?

RESP. Roderic. in loco præcit. inquit, eam à Gomerio Hernandez, tempore Ferdinandi II. Regis Legionis inſtitutam, & anno 1183 ab Alexan. III. & à Lucio III. & poſtea anno 1205. ab Innocen. IV. comprobatam fuiſſe; Corrigendus tamen eſt Rodericus, quia anno 1183. Lucius III. non Alexand. III. & an. 1205. Innocen. III. non Innocen. IV. in ſolio Petri ſederunt.

X L V.

Edita Anno 1521.

EX ſupernæ diſpoſitionis, & infra pagina 545. Bullarij.

COMPENDIVM.

Henricus VIII. Angliæ Rex contra Martinum Lutherū librum conſcripſit, & huic Pont. approbandum tranſmiſit. §. 1. Qui illum approbat. §. 2. Titulumque Defenſoris fidei illi donat. §. 3. Eumque, & coniugem benedicit. §. 4. Sanctionem pœnalem apponit. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Angliæ Regnum cenſuale ſe fecit Sedi Apoſtolicæ?

RESP. Sub Innoc. III. Ioannes Rex anno 1212. Angliam, & Hyberniam beneficiario iure ſubiecit, vt inquit Franciſcus Ioannet. de Vit. Rom. Pont. vbi fol. mihi 244. ponit priuilegium ſubiectionis Regnorum Angliç, & Hyberniæ, & de ea meminit gloſſ. 1. in cap. Ea quæ 12. de Electiõ. Sed eiuſdem Regis literarum met tenorem, cum fidelitatis iuramento, tranſcripſit Ciaçon. in Vita Innocent. III. fol. mihi 524.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod fertur de dicti Innocen. III. dono anulorum, Regi Angliæ tranſmiſſo, ante, vel poſt d. Regni ſubiectionem euenit?

RESP. Accipe contextum Epiſtolæ ipſius Innocen. vbi anno 1205. eam eduam, ac doni qualitates ſimul, & myſteria, diſertè indicatas fuiſſe perſpicies.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei.* — Edita. A. D. 1205.

ILLVSTRI REGI ANGLIÆ.

Exordium

Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiſcit, quaſi cariora deſiderat, aurum obryzum, & lapides pretioſos.

Donū quatuor anulorum.

§. 1. Licet autem his, alijſque diuitijs excellentia regalis abundet, in ſignum tamen dilectionis, & gratiæ, quatuor anulos aureos, cum diuerſis lapidibus pretioſis tuæ magnitudini deſtinamus.

In quorū ſingulis myſterium habetur.

§. 2. In quibus volumus ſpiritualiter intelligere formam, & numerum, materiam, & colorem, vt myſterium potius, quam donum attendas.

Formę anulorum myſterium.

§. 3. Rotunditas enim æternitatem ſignificat, quæ initio caret, & fine. Habet igitur regalis prudentia, quid in anuli forma requirit, vt de terrenis tranſeat ad cœleſtia, de temporalibus ad æterna procedat.

Numeri myſteriū.

§. 4. Quaternarius autem, qui numerus eſt quadratus, conſtantiam mentis inſinuat, quæ nec deprimi debet aduerſis, nec proſperis eleuari. Quod tunc laudabiliter adimplebit, cum quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, videlicet Iuſtitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia. Intelligas igitur in primo iuſtitiam, quam exerceas in iudicijs, & in ſecundo fortitudinem, quam exhibeas in aduerſis, in tertio prudentiam, quam obſerues in dubijs, in quarto temperantiam, quam in proſperis non amittas.

Materiæ myſterium.

§. 5. Per aurum verò ſapientia deſignatur, quia ſicut aurum præeminet vniuerſis metallis, ſic ſapientia donis omnibus antecellit, Propheta teſtante, qui ait. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Sapientiæ, & intellectus, *&c. Nihil eſt, quod magis oportet Regem habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon, ſolum à Deo ſapientiam poſtulauit, vt populum ſibi commiſſum ſciret prouidè gubernare.*

Colorū myſterium.

§. 6. Porrò Smaragdi viriditas, fidem, Sapphiri ſerenitas, ſpem; Granati rubicunditas, charitatem; Topatij claritas, operationem ſignificat, de qua Dominus ait. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.

Epilogus Prædictorum.

§. 7. Habes igitur in Smaragado, quod credas, in Sapphiro, quod ſperes, in Granato quod diligas, in Topatio quod exerceas, vt de virtute in virtutem aſcendas, donec Deum Deorum videas in Syon.

D. P. An. 8 die 29. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum 4. Calendas Iunij.

ADRIA-

ADRIANVS VI. Germanus, creatus anno 1522.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1522.

DVm intra noſtræ mentis arcana, & infra pag. 546. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert nonnulla à Mauris regna occupata, opere Militum S. Iacobi de Spatha, Alcantara, & Calatraua, & Caroli V. Imperatoris recuperata fuiſſe, in princip. Similiaque facinora à Ferdinando Rege glorioſè acta extitiſſe. §.1. Et ad hæc peragenda, has Militias inſtitutas. §.2. Eaſq; aliquando in adminiſtrationem Regibus datas. §.3. Et ſic dari expedit. dict. §.3. Propterea eas Coronæ Regiæ Hiſpaniæ perpetuò vnit. §.4. Contrarijſque derogat. §.5. Alienationem bonorum ipſarum prohibet. §.6. Iura Magiſtris præſtari ſolita, per ipſos Reges exigi, permittit. §.7. Conceſſionem huius Priuilegij, & gratiæ, certis caſibus irritam decernit. §.8.

Schol. primum.

Quæro. Quis omnium primus fuit Militiæ S. Iacobi Magiſter?

RESP. Fuit Petrus Ferdinandus, vt ſcribit Chaſſan. in Catalog. Glor. Mundi part.9. conſid.7. Idemque tenet Petrus Caleſar. de Equeſtr. dignit. num. 24.

Schol. ſecundum.

Quæro. Milites S. Iacobi, qui coniugem ducere poſſunt ex indulto Alexand. III. hic in rubr. à Genitore tuo citati, hocne gaudent priuilegio, ſi ex alia probata religione, in qua tria vota ſubſtantialia vouiſſent ex indulto Papæ ad hanc tranſirent?

RESP. Nequaquam ducere poterunt vxorem, niſi Papæ dicta profeſſio votorum narrata fuiſſet, & ex vrgenti cauſa expreſſè diſpenſaſſet, vt conſulendo voluit Nauar. in conſil. 13. de Sponſalibus lib.4. in Antiquis num. 3. vbi rationes ſuæ opinionis explicat.

II.

Edita Anno 1522.

DVdum vti nobis exponi feciſti, & infra pagina 548. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitores Ciuitatis Cremonæ procedebant contra Sortilegos, & Diabolo obedientiam præſtantes, & Maleficos. §.1. Aliqui tamen eis ſe opponebant. §.2. Iulius itaquè II. illis mandauit, vt contra eoſdem omnino procederent. §.3. Et habita relatione ab Inquiſitore Comenſi, quod hæc labes augebatur. §.4. Hanc eamdem facultatem ad quoſcumque alios Inquiſitores, hic Pontif. extendit. §.5. Contrarijſque derogat. §.6.

Schol. primum.

Quæro. Quis me edocebit, quæ ſint ſortilegia, & maleficia ſapientia manifeſtam hæreſim, de quibus cognoſcunt Inquiſitores?

RESPON. Perbellè hæc explicat Eymeric. In Directot. Inquiſit. part. 2. quæſt. 42. & Pegna ibid. in Commen. 67.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si erit dubium, an maleficium, vel ſortilegium aliquod hæreſim manifeſtè ſapiat, poterit ne Inquiſitor ipſe id cognoſcere?

RESPON. In capitul. Accuſatus. 8. §. Sanè de Hæretic. in 6. gloſſ. & Canon. communiter tenent, quod Inquiſitor debet reum remittere ad Iudicem ſuum, & cum eis ſtat Eymeric. d. quæſt. 42. in fine. Quod tamen intelligendum eſt, ſi maleficium, vel ſortilegium, de quo agitur, non ſapit hæreſim; ſed ſi hæreſim ſaperet, Inquiſitoris eſt iuriſdictio, an illa hæreſis ſit manifeſta, necne, vt declarat Panormit. in cap. 1. de Sortileg. ſub num. 4. quem ſequitur Carrer. in titul. de Hæretic. numer. 24. in fine. & Bernard. Comenſ. in Lucerna Iuris in verbo Inquiſitor. numer. 29. & Pegna d. comment. 57. in fine.

III.

Edita Anno 1522.

SAnctiſſimus D. N. D. Adrianus Papa VI. & infra pag. 549. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat omnes conceſſiones iurispatronatus, quoad beneficia electiua, ab anno primo Innocentij VIII. factas etiam conſiſtorialiter, & ad fauorem cuiuſcumque perſonæ, vel locis pijs. §.1. Reuocat eaſdem quoad beneficia non electiua, ſi impetrantes fructus eorum ad medietatem veri valoris non auxerint, vel Eccleſias de nouo non conſtruxerint, ſeu funditùs dirutas non reædificauerint. §.2.

Schol. primum.

Quæro. Si quis eſt in poſſeſſione huiuſmodi patronatus, nonne releuatur ab onere probandi dotationem, aut fundationem, de qua in §. 2.?

RESPON. Non releuat, quia iſta conſtitutio, nedum tollit poſſeſſionem de præterito, ſed etiam de futuro, ex prægnantia diſpoſitionis, vt in ſpecie de hac conſtitutione loquendo diffiniuit Rota in deciſi. 269. part. 2. Diuerſ. numer. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis habeat priuilegium Sedis Apoſtolicæ de aliquo iurepatronatu ei conceſſum, ob reparationem Eccleſiæ, in quæ ruinam minabatur?

RESPON. Comprehenditur proculdubio in hac reuocatione, quia id non eſt ædificare, neque reædificare, ſed reparare, vt dixit Rota in dict. deciſi. numer. 1. & 2. & poſt Beroum, quem allegat, ſcribit Tuſch. in verbo Iuſpatronatus concluſ. 601. in fine.

IIII.

Edita Anno 1522.

SAtis & pluſquam ſatis ſuſtinuimus, & infra pag. 548. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X. monuit Ducem Saxoniæ, vt Martinum Lutherum dimitteret, in princip. Dux nihilominus magis reprobus eſt: §.1. Hic Pont. eum propterea monet ad reſipiſcendum, ibidem Saxones Fidei propugnatores fuiſſe, & Gregorium Papam V. Ducem Saxoniæ in electorem Rom. Imperatoris conſtituiſſe. §.2. Refert d. Lutheri improba facta. §.3. Eiuſdem furorem & immanem audaciam. §.4. Improbaque mandata. §.5. Detractioneſque & licentioſæ vitæ normam. §.6. Prophetiæ iactantiam. §.7. Sermones iniquiſſimos. §.8. Sermonis perfidiam. §.9. Præſertim contra Papam, & Sacerdotes. §.10. Hortatur ergo Ducem, vt deſiſtat à perſecutione Eccleſiæ, & D. Paulum imitetur. §.11. Præmia conuerſionis ei proponit. §.12. Pœnas impœnitentiæ enunciat. §.13.

Schol. primum.

Quæro. Si Lutheri imaginem domi ſuæ ſcienter quis honorificè collocaſſet, hæreſis ſuſpitionem incurriſſet?

RESP. Ea ſuſpicione non careret, vt ſcribit Pegna in Directot. Inquiſit. par. 2. Comm. 4. verſi. Ex his, vbi tradit, quòd cum dedecore tantum, & ignominia pingi poſſet. Refertq; Longolium, defuncto impio Luthero, ingenioſè in tabula Lupum nigrum, Lutherum indicantem, depingi feciſſe, adiecto eleganti tetraſticho, quod apud eum legere poteris.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ ergo eiuſmodi Lupi nomen, & natura dicitur?

RESP. Lupus à Græco tranſlatus eſt; Græce enim Licos dicitur, quod rabie rapacitatis, quicquid inuenit, trucidat. Et eſt beſtia, quæ ouibus inſidiatur, quarum guttur inuadit, vt citius ſtranguler; Ideoque & pro hæretico (& ſic multo magis pro Luthero hæreſiarca, Lupus congruè deſignatus videtur) cap. Sunt quidam 6. cauſ. 25. q. 1. in vltim. verb. Hæc habet Archidiac. in cap. Vt officium 11. de Hæretic. in 6. numer. 1.

CLE-

Digitized by Google

CLEMENS VII. Italus, creatus Anno 1523.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1523.

RAtioni congruit,& conuenit honeſtati, &c infra pag. 553. Bullarij.

COMPENDIVM.

Angelos primum pro ſalute hominis in hunc Mundum Deus deſtinauit. §. 1. Patriarchas poſtea. §. 2. Prophetas deinde. §. 3. Filium denique proprium. §. 4. Leo ergo predeceſſor cognoſcens glorificari Dei nomen, dum eius Sancti venerantur in terris. §. 5. Sanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentinum SS. Cathalogo adſcribere cogitauit, cum pro illius canonizatione, apud eum inſtatum fuiſſet. §. 5. & 6. Proceſſumq; deſuper fieri commiſit. §. 7. Et perfectum, ad ſeq; tranſmiſſum recepit. §. 8. Illum examinari, & alios vlterius teſtes recipi voluit. d. §. 8. & ſeq. Eoque ſibi relato in Conſiſtorio ſecreto, publicum pro abſoluenda canonizatione, Conſiſtorium indixit. §. 13. & ſeq. Adrianus VI. ſucceſſor illum poſtea canonizandum duxit. §. 16. Virtutibus namque, & miraculis claruit, quorum aliqua referuntur. §. 17. & ſeqq. Illum ideò ſeruatis ſeruandis SS Confeſſorum, & Pontificum numero adiunxit. §. 29. & ſeqq. Eius feſtum die 2. Maij celebrari iuſſit. §. 32. Indulgentiam illic aſſiſtentibus, elargitur. §. 36. Et quia Adrianus VI. obijt, literis non expeditis, eas hic Pont. expediuit. §. 37. Eaſdem publicari iubet. §. 38. Huius bullæ tranſumptis credi mandat. §. 39. Sanctionem pœnalem apponit. §. 40.

Schol. primum.

Quæro. Huius Sancti præclara acta, & miracula, quis mihi copioſius explicabit?

R E S P. Frater Vincentius Maynardus Geminianenſis Procurator Ordinis Fratrum Prædicatorum, luculenter conſcripſit, refertque Surius de Vit. Sanctor. tom. 3. ſub die 2. Maij.

Schol. ſecundum.

Quæro. Canonizatio Sanctorum habetur per traditionem, vel alias, in Eccleſia Dei?

R E S P. Per traditionem, ſecundum Pegnam, qui poſt Melchior. Canum de Loc. Theolog. lib. 3. cap. 3. ſic ex Synodo Nicæna act. 3. §. his itaque, id ſibi probari ſcribit, in Director. Inquiſit. par. 2. Comment. 42. in fine. Et bene congruunt, quæ de Antiquit. canonizat. refert. Rocca de Canoniz. Sanctor. cap. 5.

II.

Edita Anno 1523.

RAtioni congruit, &c infra pagina 558. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontifices multas gratias, & priuilegia Ordini S. Antonij Viennenſis, vbi eius corpus requieſcit, & horrendo morbo ignis S. Antonij nuncupato languentes, vltra alios recipiuntur, conceſſerunt, & ſignanter ius quæſtuandi, pro obſeruanda hoſpitalitate. §. 1. & ſequentibus Sixtus IV. & alij beneficia dicti Ordinis, illum expreſsè profeſſis, & non alijs conſerri ſtatuerunt. §. 4. Et nonnulli Pontt. quamuis aliorum locorum, vel religiosorum priuilegia ſuſpenderint, hunc tamen Ordinem præſeruarunt. §. 5. Et à ſolutione decimarum, & onerum exemerunt. §. 6. Legata pijs locis S. Antonij relicta, huius Ordinis eſſe declararunt. §. 7. Priuilegijs eius derogari prohibuerunt. §. 8. Leo X. Hæc omnia approbauit. §. 9. Et innouauit. §. 13. Et non niſi certa obſeruata forma, eis derogari poſſe iuſſit. §. 14. Quæſtuandi facultatem iteratò conceſſit. §. 15. Et exemptione ab oneribus. §. 17. Supplicationes gratiam, vel iuſtitiam concernentes, in cauſis Ordinis, non niſi certa ſeruata forma, expediri poſſe decreuit. §. 17. Beneficia huius Ordinis eius Religioſis tantum conferri iuſſit. §. 18. Loca omnia ſub inuocatione Sancti Antonij constructa, Abbati S. Antonij ſubijcit. §. 19. Eleemoſynas nolis ſonantibus quærere, eaſq; animalibus appendere poſſe voluit. §. 20. Vniones, & ſuppreſſiones beneficiorum Ordinis, prohibuit. §. 21. Quibuſcunque contrarijs derogauit: §. 23. Et quia ſuperueniente Leonis X. obitu, eius bulla non fuit expedita, hic Pont. eam edit, ac ſeruari præcipit. §. 25. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Cur tam celebris eſt cultus S. Antonij apud eos, qui lue ignis ſacri corripiuntur?

R E S P. Anno 1089. huiuſmodi lues adeo excreuit, quod multos conſumpſit, & multos deformes reliquit, & qui eo morbo tacti, ad corpus S. Antonij Viennen. concurrebant, confeſtim ſanabantur, vt poſt alios recenſet Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 617.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hinc fortaſſe aucta eſt etiam erga eumdem S. Antonium, reuerentia eorum, qui in ipſum peccant periurium, blaſphemia, aut alia contumelia?

R E S P. Sic ſcribit Baron. vbi ſupra dicens, quod ſicut eo ignis morbo laborantes ſanantur, ita ſani in eum, vt præfertur, peccantes, eumdem ſolent experiri vltorem, ſacri ignis morbo ſtatim correpti. Quod pauendum cunctis prodigium ita perſeuerat, vt prouerbium ſit, in S. Antonium neminem impunè peccare.

III.

Edita Anno 1523.

ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis pagina 562. Bullarij.

COMPENDIVM.

SS. Petrus, & Paulus Principes Apoſtolorum, Romæ fidem Catholicam firmarunt, in princip. Imperator Conſtantinus eorum Baſilicam ibid. ædificauit. §. 2. Iulius II. eam cenſuit ampliandam ibid. Pro cuius perfectione, hic Pontifex erigit Collegium ſexaginta virorum Curialium, d. §. 2. Illud ſibi ſoli ſubijcit. §. 3. Cui dat facultatem deputandi Iudicem ad cognitionem cauſarum Fabricæ, §. 4. Eleemoſynas, & oblationes in opus d. Fabricæ exponendi. §. 6. Cum eius debitoribus tranſigendi. §. 7. Collectorem ad exigenda legata deputandi. §. 8. Pecuniam inde redigendam, in opus Fabricæ impendendi. §. 9. Iuriſdictionem præfato Iudici concedit, vt tamquam Iudex Ordinarius cauſas Fabricæ ſummariè, abſque alia tela iudiciaria, & ſingulis diebus, & horis in honorem Dei non feriatis, etiam Papa abſente, vel mortuo, cognoſcat. §. 10. Cenſuraſque, & pœnas infligit. §. 11. Et ab eius ſententia, ſemel tantum appellari poſſit. §. 12. Omnes eius mandata exequantur. §. 13. Diſpoſitiones ad fauorem Fabricæ non impediantur, neque occultentur. §. 14. Notarij omnea relicta Fabricæ notificent. §. 15. Clauſulæ præſeruatiuæ apponuntur. §. 16. Executores deputantur. §. 17. Contraria ſublata remaneant. §. 18. Tranſumptiſque fides detur. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Eleemoſynæ, & oblationes, de quibus in §. 6. in quo differunt?

R E S P. Eleemoſinæ dicuntur quæ ſecretò. oblationes verò, quæ publicè fiunt, ſecundum Anchar. conſ. 429. ſub num. 3. Intellige tamen de his, quæ fiunt à Chriſti fidelibus, ſecus ſi fiant ab hæreticis, Iudæis, Excommunicatis, Vſurarijſque nolentibus ſe emendare, Graff. par. 2. ſuarum deciſ. cap. 27. de Decim. ſub. num. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Papa reuocaret facultatem deputandi Collectores Eleemoſynarum quibuſuis Prælatis, & perſonis conceſſam, comprehenderet ne iſtam Collegij facultatem, de qua in §. 8.

R E S P. Non, quia appellatione Prælatorum, & perſonarum non veniret Collegium Fabricæ l. metum. 9. §. animaduertendum, ibi perſona, vel populus ff. de Eo quod met. cauſ. per quem text. ſic cenſuit, Rota ad fauorem huius Collegij, in deciſ. 42. Caputaq; par. 5. num. 1. & ſeq.

Nuper

Digitized by Google

Edita Anno 1524.

IIII.

NVper fel. record. Adrianus Papa VI. & infra pag. 565. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Adrianum VI. approbaſſe Statuta Vniuerſitatis Barcarolorum Ripettæ Vrbis, vbi inter alia cauebatur, Conſules eorum cognoſcere lites, ſuper rebus vectis ad Ripettam, vſque ad certam quantitatem. Hic modò Pontifex Iudici Curiæ Ripettæ Vrbis, à Reuer. Cam. Apoſt. Riparum Præſide deputando, dat iuriſdictionem cognoſcendi cauſas ciuiles, ſuper quibuſuis rebus, & bonis, ac mercibus, per Flumen ad Vrbem deuectis mouendas; Necnon cauſas criminales per Barcatolos, & Mercatores Ripæ, in quibus pecuniaria, & non ſanguinis pœna veniat imponenda, cum earum inciden. emergen. annexis, & connexis. §. 1. & ſeqq. Et cum facultate ſummariè, ſimpliciter, de plano, & manu regia, eas terminandi. §. 3. Et quod nemo ex prædictis ad aliud Tribunal trahi poſſit ibidem. Executores huius Bullæ deputat Clericos Cameræ, & Conſules Vniuerſitatis Barcarolorum. §. 4. Obſtantia tollit, quæcunque ſint §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *cum earum incidentibus* in §. 1. quam ſignificationem continent?

RESP. Incidentia dicuntur ea, quæ in curſo litis eueniunt, vt puta Mercator examinet teſtes ad proban. eius creditum coram Conſulibus Mercatorum, qui teſtes ſi falſum deponuot, de hoc falſitatis crimine, quod incidit, cognoſcunt ijdem Conſules, l. Nulli 10. vbi notant omnes Cod. de Iudic. & ſcribit Mandoſ. ſuper Bulla facultatum A.C. in verbo, inciden. ?

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba *ſuper bonis, & mercibus* in d. §. 1. intelliguntur de lite ſuper illis rebus mota, nedum in poſſeſſorio, ſed etiam in petitorio?

RESP. Ita quidem, quia verba ſunt apta vtrumque comprehendere, Rota in deciſ. 6. Caſſador. de Reſcript. num. 1. & in deciſ. Cantuc. 8. par. 2. Diuerſ. num. 4.

V.

Edita Anno 1524.

AD ſacram B. Petri Sedem, & infra pag. 566. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IIII. omnibus conceſſit facultatem, colendi tertiam partem agrorum Territorij Vrbis, & Patrimonij, habita licentia ab vno ex Iudicibus deputatis. §. 1. Ad quos ſpectare voluit cognitionem differentiarum deſuper orien darum. §. 1. Iulius II. hanc bullam innouauit. §. 3. Baronibuſque, & filijs vetuit, eorum ſubditos impedire ad Vrbem frumentum deferre, vel cogere ad eis illud vendendum, vt carius poſtea reuendant. §. 4. Hic Pont. iſtas Conſtitutiones comprobat & extendit. §. 5. Agricultores eximit à repreſalijs, & moleſtationibus pro debitis, & tractas frumentorum certo modo concedit. §. 6. Et facultatem renunciandi locationibus tribuit. §. 7. In colendis agris, Romanos, & Incolas, Foreuſibus præferri decernit. §. 8. Dominos agrorum iubet in eorum cultura non perturbari. §. 9. Prohibitionem Iul. II. contra Barones, & alios, vt ſupra, innouat, & ad fautores extendit. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Agricultores, de quibus in §. 6. nonne erant etiam de iure communi exempti, ab executionibus ciuilibus?

RESP. Erant quidem, & ... eſt text. clarus in auth. Agricultores Cod. Quæ res pign. obligar. poſſ. & tradit Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi par. 11. conſid. 37. verſ. præterea, vbi quædam notatu digna refert de Agricultorum indemnitate etiam apud Barbaros, & etiam tempore belli; Sed quia forſan hoc priuilegium male ſeruabatur, vt loquit Neguſ. de Pignorib. in 3. membro 2. partis num. 49. ideò hæc, & aliæ ſimiles bullæ editæ fuerunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Agricultor in executione nihil oppoſuit, ſed propria voluntate tradit pignora?

RESP. Gloſ. in l. Executores 7. Cod. Quæ res pign. oblig. poſſ. tenet renunciaſſe priuilegio. Sed Petrus, & Rayn. contrarium tenent ratione publicæ vtilitatis, vt Salyc. ibidem ſcribit in fine, & ſequitur Neguſ. de Pignorib. in 3. membro 2. partis num. 49.

VI.

Edita Anno 1524.

COnqueſtionem dilectorum filiorum, & infra pag. 569. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſeruatores, & Iudices concedit Ordini Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula cum facultate, Ordinem, eiuſque bona, & perſonas tuendi, eorumque priuilegia, & indulta, ac defendendi à damnis, & iniurijs, & ne trahantur coram alijs Iudicibus in eorum cauſis ciuilibus, & criminalibus. §. 1. 2. 4. & 5. Contrarijs omnibus derogat. §. 3. ſumptis huius indulti fidem dari iubet. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Conſeruatores iſti, poſſunt alios, eorum loco ſubdelegare?

RESP. Non, vigore huius Bullæ, quia id expreſsè non diſponit, ad tex. in cap. fin. §. vices de Offic. deleg. in 6. & ſcribit Petrus Greg. in Syntagm. Iur. lib. 47. capit. 22. num. 27.

Schol. ſecundum.

Quæro. Citant abſque inſertione ſuarum facultatum?

RESP. Citant, ſi citandus eſt in loco citantis, Iaſ. conſ. 145. lib. 4. num. 6. Vel in loco non multum diſtante Gratian. lib. 1. Diſcept. Forenſ. cap. 170. nu. 30. & ſeq. poſt. Syluest. in Summa in verbo Conſeruatores. num. 3. verſ. dico quinto.

VII.

Edita Anno 1524.

GRatum Deo credimus impendere famulatum, & infra pagina 570. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Prælatis, quod Fratribus Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum in quærendis eleemoſynis per eorum diœceſes, faueant. §. 1. 2. & 3. Sunt enim hi Fratres non quæſtores, ſed religioſi viri §. 4. Eleemoſynæ pro alijs religioſis non commendentur, in die conſtituta pro iſtis ad opus d. Redemptionis, d. §. 4. Neque tempore interdicti. §. 6. Perturbatores eorum coerceri mandat. §. 7. & ſeqq. Sanctionem pœnalem apponit. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Qua ratione, vel alia, quàm huius Pontificis authoritate probatur, quod hi Fratres quærentes eleemoſynam, non ſint quæſtores, vt dicitur in §. 4.

RESP. Probatur authoritate tex. in l. Sed ſi adijciatur 12. ff. pro ſoc. vbi quæſtus propriè dicitur, quod quærentes ſibi ipſis referunt, per quem text. decidit Bald. conſ. 47. lib. 1. num. 2. quod Fratres quærentes eleemoſynas pro Fabrica Eccleſiæ, vel ſimili opere pio, vigore priuilegij Apoſtolici, non ſunt verè, & propriè quæſtores, ſed illi ſunt, qui quæſtum emunt, vel educunt à Fratribus, & etiam ipſi Fratres, ſi poſtea cum eis vadunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Licuiſſet ergò, plures Religioſos eadem die concurrere in quærendis eleemoſynis, circumſcripta hac prohibitione de qua in §. 5.?

RESP. Ità ſanè, quia per concurſum ius alterius minuere non licèt, ad tex. cum ibi not. in l. In concedendo 8. de Aqua pluu. arcen. niſi ex conſuetudine quis habuiſſet quæſtum, priuatiuè quoad alium l. Præſes. 6. cum ſeqq. Cod. de ſeruit. & aqua, & ita conſulendo tenet per has leges, Bald. loquens de his Quæſtoribus in conſ. 277. lib. 2. ſub num. 1.

Cum

Edita
Anno
1524.

VIII.

CVm dudum fel. record. Sixtus Papa IIII, & infra pag. 571. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IIII. & Iulius II. & alij Prædeceſſores, ac Leo X. ſtatuerunt, quod ab impetrantibus beneficia conſiſtorialia impetrarentur etiam diſpenſationes retentionum aliorum beneficiorum, in princip. Et quod etiam Leo X. & Adrianus VI. conſtituerunt, in eiſdem cedulis impetrationum fieri mentionem de alijs beneficijs, aliàs vacarent. §. 1. Hic Pont. eorum conſtitutiones comprobat, & ad Commendas beneficiorum quorumcumque per ſupplicationes etiam ſub data cedula, &c. Conſiſtorialium ad partes ſignandas, extendit. §. 2. Et ab omnibus Officialibus ſeruari mandat. §. 3. Et huic ſanctioni non niſi per ſpeciale mandatum Papæ derogari vetuit. §. 4. Quibuſcumque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Extenſio ad Commendas, nonne videtur inutilis, cum appellatione beneficiorum, veniat etiam Commenda?

RESPON. Non inutilis, quia quandoque venit, quandoque non, ſub nomine beneficij, vt colligitur ex deciſ. Put. 22. lib. 1. in Nouis, & alijs congeſtis à Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancell. gloſ. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si permutaret quis poſteà beneficium conſiſtoriale, abſque mentione aliorum beneficiorum, intraret vacatio eorum, de qua in §. 1.?

RESP. Non, quia lex iſta locum habet in verè promoto, qui lucratur dignitatem, quam nunquam habuit; Sed qui conſequitur dignitatem per viam permutationis, nihil propriè de nouo lucratur, cum cenſeatur habere ex cauſa oneroſa, eo quod dimittit aliam, quam habet; ſic cenſuit Rota de Menſe Decembris 1542. teſte Mandoſ. in conſ. 2. num. 10.

Edita
Anno
1524.

IX.

DVdum, admonente nos cura regiminis, & infra pagina 571. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. in ſua conſtitut. 23. de qua ſup. pag. 89. Baſilicam S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe magnificentius conſtruere cœpit. §. 1. At ipſe, & ſucceſſores opus perficere non potuerunt. §. 2. Hic ideò Pont. pro d. Fabricæ perfectione Collegium ſexaginta Virorum Curialiū erexit, in ſua conſtitut. 3. de qua ſup. pag. 84 §. 3. Et modo pro ſubuentione d. Fabricæ dat Facultatem d. Collegio componendi ſuper male ablatis. §. 4. & 5. Debitiſque Eccleſiæ, cui ſuccederet Romana Eccleſia. §. 6. Debitis perſonæ incertæ. §. 7. Legatis Deo, vel Sanctis, aut pauperibus, aut locis pijs, abſque principali determinatione, & proprijs nominibus non expreſſis, aut Ordinario relictis incertis. §. 8. & 9. Bonis Eccleſiarum reſtituendis. §. 10. Relictis pro male ablatis. § 11. Aut Eccleſijs, & pijs locis, aut incertis, vel abſentibus, quorum notitia ab eis haberi non poſſet. §. 12. Reſtituendiſque ei, cui receptio non competit. §. 13. Exponendis in prandijs, ſpectaculiſque in aliqua celebritate. §. 14. Boniſque Eccleſiarum, vel Beneficiorum occupatis. §. 18. Contrauenientes plectantur. §. 19. Contraria quæcumque ſint, non obſtent. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Dixiſti in 2. Schol. conſtit. 23. Iul. II. de qua ſup. pag. 89. quod legatum pro maritandis puellis ab hærede nominatis, non ſpectat ad Fabricam, tamquam incertum, de quo loquitur ibi. §. 16. & hic. §. 12. Dic amabò, nonne ſaltem ſpectabit ad Fabricam, vti legatum factum perſonis, proprijs nominibus non expreſſis?

RESP. Pro affirmatiua vrget doctr. Angeli in l. 1. ff. de Liber. & Poſthum. Alex. conſ. 141. lib. 2. ſub num. 10. & Oſaſc. deciſ. 128. num. 15. dum volunt, quod vbi requiritur ſpecifica expreſſio, non ſufficit expreſſio per relationem ad aliud, quod voluit etiam Curt. Sen. conſ. 40. num. 14. Sed tamen iſti loquuntur in alijs terminis, quam vltimarum voluntatum, quarum fauore aliter diffinitum fuiſſe tunc oſtendi ex tex. l. 5. ff. de Legat. 2. quem Oldrad. citat, & alij, quos tibi tunc indicaui. Contrarium dicerem ex eo, quòd ſpeciale eſt fauore vltimarum voluntatum, vt quod teſtator in arbitrium alterius confert, habeatur pro expreſſo, ita Vulpian. decidit in l. 1. ff. de Legat. 2. quam in propoſito citat Oldrad. alias à me tibi indicato conſ. 61. num. 3. verſ. Si autem, & ita in ipſamet Curia Fabricæ practicatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Legatum pro prandio die feſtiuo faciendo alicui Sodalitati, ſeptem Eccleſias viſitanti, comprehenditur in diſpoſitione. §. 14.?

RESP. Non, quia Bulla loquitur de legato ſimplici prandio, & ſic non extenditur ad prandium, quod fit pro refectione piè itinerantium, vt diffiniuit Rota coram R. P. D. Caualerio in vna Romana fideicommiſſi della Porta, die 22. Iunij 1612.

X.

Edita
Anno
1524.

IN Sancta B. Petri Sede, & infra pagina 574. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Pium II. conſtitutionem edidiſſe contra homicidas. §. 1. Paulum II. contra vindictam tranſuerſalem ſumentes. §. 2. Sixtum IV. Pij II. bullam confirmaſſe. §. 3. Iulium II. ſanctionem edidiſſe contra homicidas, & alios pro crimine capitali bannitos, aut ſibi ius dicentes, & caualcatam facientes, & eorum fautores. § 4. Leonem X. aliam eiuſdem argumenti bullam edidiſſe. §. 5. Eas omnes ipſe confirmat. §. 6. Et ſceleſtos homines, ac bannitos, etiam habita pace, à toto Statu Eccleſiaſtico, & locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, & immediatè ſubiectis, exulare debere. § 7. Receptationem eorum prohibet. §. 8. Capturam omnibus demandat. § 9. Remiſſionem eorumdem, omnibus Officialibus interdicit. § 10. Executores huius bullæ deputat. §. 11. Regni Domicellos monet, vt homicidas, & complices ad Officiales Status Eccleſiaſtici, remittant. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Bulla, vel alia, eſt neceſſariò in iudicio producenda?

RESP. Non, quia publice nota eſt, & in Bullario impreſſa, vt in ſpecie ſic de ea ſcribit Thob. Non. conſil. 92. num. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vindicta tranſuerſalis, de qua in §. 2. dicetur ne, ſi quis in rixa prouocatus offenderit eum, in quo aliàs caderet huiuſmodi vindicta?

RESP. Hæc prohibitio non ſe extendit ad iſtum caſum, quia offenſio in rixa prouocati, propriè defenſio reputatur Clar. quæſt. 60. num. 18. Marſil. conſil. 137. nu. 8. & de Pauli II. bulla hic enunciata, ita conſulendo reſpondet Farinac. conſ. 2. num. 7. lib. 1.

XI.

Edita
Anno
1524.

EXponi nuper nobis feciſtis, & infra pag. 575. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reſcribit Ioan. Petro Epiſcopo Theatino, & Caietano presbytero Vicentino, quod ipſi, & eorum Socij quietè Deo ſeruire volentes, in habitu clericali, in communi, & de communi viuere cœperunt, & vota ſubſtantialia emittere volentes, aſſenſum Papæ petierunt, in princ. Qui illis impertitur, eoſdemque ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipit. §. 1. Facultatem eligendi Præpoſitum dedit. §. 2. Alioſque ad Religionem recipiendi. §. 3. Et oportuna Statuta condendi. §. 4. Priuilegia Congregationis Canonicorum

Digitized by Google

rum Lateranen. elargitur. §. 5. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Qui fuerunt Socij, de quibus hic dicitur in princip.?

R E S P. Fuerunt Bonifacius à Colle Alexandrinus, & Paulus Conſiliarius Romanus, teſte poſt alios, Antonio Caracciolo Congregationis horum Clericorum Regularium profeſſore, in libello anno 1612. Coloniæ Vbiorum, de Pauli IV. vita edito.

Schol. ſecundum.

Quæro. De Io. Petro, & Caietano de quibus hic dicitur in princ. ſcribit ne idem Caracciolus?

R E S P. Diſertiſſimè quidem ſcribit: Io. Petrus etenim ad Pontificatum euectus, Paulus IV. denominatus fuit, vt notauit etiam Genitor meus hic in exordio ſuarum Conſtitutionum. Eius itaque, ac præfati (quem Beatum appellat) Caietani præclara geſta in d. Libello accuratè digeſta perlege.

X I I.

Edita Anno 1525. ROmanus Pontifex, & infra pagina 576. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſtitut. 16. ſupra pagina 83. fructus beneficiorum Militiæ de Calatraua, communi Theſauro pro ſuorum iurium defenſione, applicari voluit. §. 1. Eos modò Pontif. iſte etiam in alios vſus Militiæ proficuos, expendi indulget. §. 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hanc Militiam de Calatraua, qui ex Romanis Pontif. primus approbauit?

R E S P. Gregorium huius nominis VIII. approbaſſe anno 1118. inquit F. Franciſcus de Aueral. Prior Magnus huius Ordinis, in quodam eius Tractat. quem impreſſum vidi in fine 1. tom tract. Roder. de Quæſt. Regul. cap. 3. propè finem. Sed corrigendum eſt tempus, quia Gregorius iſte diem clauſit extremum die 16. Decembris anni 1187. cum in Cathedra B. Petri ſediſſet menſem vnum, & dies 27. ſecundum Baron. & Ciacon. de Vita, & geſtis illius.

Schol. ſecundum.

R E S P. Quid commune habet hæc Militia, cum altera Militia Auis?

R E S P. Longa opus eſſet oratione, ideò eleganter omnia conſcripta accipe à F. Franciſco mox citato.

X I I I.

Edita Anno 1525. COnuenit æquitati Romani Pontificis, & infra pag. 577. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad proſequendum dignis honoribus, & priuilegijs Auditores Rotæ Romanæ, & eorum Locatenentes, ob egregias eorum virtutes, magnoſque labores, concedit eiſdem facultatem recitandi horas Canonicas etiam poſtpoſitis horis. §. 7. Et Miſſam ante diem celebrandi. §. 9. Stationes Vrbis, propriam viſitando Capellam, conſequendi. §. 19. Carnibus etiam diebus prohibitis de conſilio vtriuſque Medici veſcendi. §. 11. Literarum Apoſtolicarum expeditionem gratis habendi. §. 14. Concedit eiſdem exemptionem à Legatorum, Ordinariorum, & aliorum ſuperioritate. §. 15. Et à decimis, pedagijs, gabellis, alijſque oneribus. §. 16. His priuilegijs non cenſeri derogatum, etiam per literas Apoſtolicas habentes clauſulam, Quod tenores, & formæ illorum habeantur pro expreſſis, vel alias quaſcunque clauſulas, & decreta. §. 17. Et quod non comprehendantur Auditores, aut Locatenen. niſi eorum nomina, & cognomina in eis expreſſa fuerint, ibidem. Et ita, & non aliàs iudicari debeat. §. 18. Executores huius Bullæ deputat. §. 19. Contrarijs quibuſcumque latiſſimè derogat. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Si derogatur generaliter gratijs Auditorum Rotæ, cenſeretur ne derogatum iſtis priuilegijs?

RESPON. Non, quia gratia differt à priuilegio, dum agitur de derogatiua, vt in ſpecie tentum fuit in Rota, in deciſ. Putei 205. lib. 1. in nouiter impreſſis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi derogetur etiam priuilegijs cuicunq; & ſub quacunque forma, vel expreſſione conceſſis?

R E S P. Non comprehendit Auditores, qui ex hac Bulla ſpecificè nominari debent, vt in puncto reſpondet Roman. conſ. 436. in princ. vbi apoſtilla adducit concordantias, & Rota in deciſ. Put. 85. lib. 1. in Nouiſs. nu. 1. Vbi id ampliat locum habere, etiamſi in derogatione, extet clauſula. *Quorum tenores.*

XIV.

Edita Anno 1525. CVm ex corpore, & anima conſtet homo; & infra pag. 581. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Dum Cardinalis erat iſte Pontifex, Monaſterium mulierum, ad honeſtam vitam Conuerſarum fundauit. §. 1. Leo X. in ſua conſt. 39. de qua ſup. pag. 103. confirmauit, & de nouo inſtituit. §. 2. Iſte Pontif. modo approbat. §. 3. Gubernatoris Monaſterij, atque Confeſſoris munus præſcribit. §. 4. Alienare bona in euidentem vtilitatem, concedit. §. 5. Et eligere Protectorem. §. 6. Monialibus, & benefactoribus Indulgentias elargitur. §. 7. Mulieres impudicæ quæ ſint, declarat, & quod relicta ſaltem quinta bonorum ſuorum parte huic Monaſterio liberè teſtari valeant. §. 8. Quæ verò hanc partem Monaſterio non reliquerint, teſtamenti factione (præterquam quoad eorum prolem de legitimo matrimonio habitam) careant. d. §. 8. Hæc Bulla ligat etiam impudicas Mulieres recedentes ab Vrbe, quatenus non receſſerint animo amplius ad eam nõ redeundi. d. §. 8. Poſt earum obitum, bona earundem occupantes, intra decem dies Monaſterio conſignent, ſcienteſque reuelent. §. 9. Bona huiuſmodi hæreditatum quando deponenda ſint. §. 10. Filij harum mulierum inhoneſtarum, ex bonis Monaſterio applicatis à Gubernatore Monaſterij piè alantur. §. 11. Curati hæc omnia nota faciant. §. 12. Notarij harum mulierum diſpoſitiones Monaſterio reuelent. §. 13. Dubia ſuper præmiſſis oriunda per Deputatos Monaſterij decidantur, & vt leges ſeruentur. §. 14. Contractus quicunque per eoſdem fiendi, validi ſint. §. 15. Contraria non obſtent. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Animus amplius non redeundi ad Vrbem, dicitur ne probatus, ex habitatione per decennium extra Vrbem?

R E S P. Rota cenſuit concludenter probari, maximè concurrentibus alijs circunſtantijs, nempè quod quis habitet cum viro in figura Matrimonij, & quod ex eo filios ſuſcepit, vt habetur in deciſ. Seraphin. 999. ſub num. 2. in Nouis, & antea idem tenuerat Rota in eadem cauſa Romana Hæreditatis, coram Blanch. 9. Maij. 1588.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquando redijt interim Romam?

R E S P O N. Adhuc dicta ſententia tenenda eſt, quia ſi non traxit mulier longam moram in Vrbe, dum reuertitur ad habitandum extra Vrbem, illic ſemper ſtare velle cenſetur, vt Rota cenſuit in vtraque deciſ. proximè citata. Niſi concludenter contrarium pro parte Monaſterij probetur, vt declaratur in d. deciſ. Blanchetti.

XV.

Edita Anno 1525. NVper pro parte veſtra expoſitum fuit, & infra pag. 581. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Miniſtri Prouinciales Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia expoſuerunt Papæ, quod aliqui Chriſti fideles

Digitized by Google

les ob eorum in Ordinem deuotionem, faciant inſtitutiones, vel legata, quorum ipſi Fratres ex regula non ſunt capaces, & tamen hæredes, vel executores teſtamentorum, in conſcientia ſe grauatos ſentiunt, dum, vt tacent, teſtatorum voluntates, non exequuntur, in princip. Qui Papa, ipſis miniſtris, ac etiam Guardianis dat facultatem, vt cum aliquibus diſcretis Fratribus locorum, cum hæredibus, & executoribus ſuper præmiſſis componere valeant, mediantibus eorum Procuratoribus, & Syndicis, in certa quantitate exponenda, ad releuandas eorum neceſſitates, ſeu loca fabricanda. §. 1. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Si Fratres ſunt incapaces legatorum, de iure eſt, quod habetur legatum, pro non ſcripto l. Si in metallum. 3. ff. de His, quæ pro non ſcript. habent, quo ſtante, cur hæredes conſcientiæ onus ſentient, vt hic dicitur in princ.?

RESP. Nauarrus conſ. 14. de teſtament. lib. 3. pag. mihi 209. num. 3. inquit, ex hac ratione huiuſmodi legata in foro conſcientiæ ab hæredibus non deberi. Sed contrarium ſentit Syluest. in ſua Sum. in verbo legatum 2. num. 4. Et propterea benè Fratres narrarunt Papæ, ſcrupulum in hoc apud hæredes reperiri.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si ſit aliquod annuum legatum pro ceris, vel oleo, aut veſtimentis, aut Fabricæ Eccleſiæ iſtorum Fratrum, valebit?

RESP. Valebit, quia reperitur ſolum prohibitum legari Fratribus, & quia ex hoc non tollitur mendicitas, quæ remanet quoad victum, & veſtitum Fratrum, aut conſtructionem Eccleſiarum ſecundum Bartol. in tractat. de Minoric. lib. 1. diſt. 4. cap. 1. Syluestr. vbi ſupra, & Nauar. conſ. 13. lib. 3. de Teſtament. num. 3. & ſeq.

XVI.

Edita Anno 1525. & 1530.

CVm ex multorum relatione, & infra pagina 584. *Item*, Cum nuper ad imputandum, & infra pagina eadem Bullarij.

COMPENDIVM.

Impetrantes beneficium alternatiuæ, aut diſcuſſionis bonorum, vel hæreditatis in Statu Eccleſiaſtico, infra tres Menſes à die impetrationis cauſa non expedita in quacunque Curia, ipſis beneficijs ipſo iure priuantur. §. 1. Poſſint tamen Iudices ad alium Menſem, d. terminum prorogare. §. 2. Et hæc bulla extenditur etiam ad impetrantes beneficium cap. Odoardus, & cap. Petuenit de Solut. in conſt. ſequen.

Schol. primum.

Quæro. Si impetrans reperitur in mendacio, dum aſſignat eius bona, erit dignus iſto beneficio alternatiuæ?

RESP. Non, ita reſoluit Rota in deciſ. 214. Putei lib. 1. ad finem in Nouis & in deciſ. 278. Caputaq. lib. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Negans debitum, admittetur poſtea condemnatus, ad beneficium?

RESP. Admittetur, ſecundum Afflict. in deciſ. 379. ſub num. 4. Niſi quis eſſet condemnatus per tres ſententias in ſpolio, quia tunc præſupponitur dolus, qui tollit hoc beneficium Rota in deciſ. 54. Putei lib. 1. n. 6. in Nouis, & in deciſ. 841. lib. 3. par. 3. Diuerſor. in fine.

XVII.

Edita Anno 1526. 1530. & 1534.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pagina 585. *Item*, Sanctiſſimus, & infra pagina 586. *Item*, Sanctiſſimus, & infra pagina 586. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iul. II. mandauit Notarijs Reuerend. Cam. Apoſt. vt conſenſus reſignationum beneficiorum annotarent, infra tres à die præſtiti conſenſus, in libris Cameræ. §. 1. Leo X. idem juſſit, addens annotandum eſſe etiam diem Datæ ſupplicationis. §. 2. Addens quoque hæc intelligi de quibuſcunque conſenſibus ceſſionum, reſignationum, vnionum, &c. §. 4. Hic Pont. has conſtitutiones approbat, & terminum ad ſex menſes prorogat, in materijs Franciæ, & ad quindecim dies in alijs. §. 4. Prohibet omnibus Cancellariæ, & Cameræ Notarijs, dare inſtrumenta reſignationum prætermiſſis conſenſibus in alia ſequent. conſt. §. 1. Præſidentibus Cancellariæ, & Cameræ interdicit, expedire literas Apoſtolicas vigore illorum inſtrumentorum. §. 2. Iudicibuſque vetat, dare mandatum de capienda poſſeſſionem. §. 3. Iubet Notarijs, vt ſcribant etiam [illegible], & Datam ſupplicationis, in alia conſt. ſubſeq. §. 2. Declarationem addit, quoad conſenſus non extenſos propter ipſius Papæ receſſum ab Vrbe. §. 3. Decretum irritans ſubiungit. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Iſta eſt perpetua, vel expirat morte Pontificis, tanquam regula Cancellariæ?

RESP. Eſt perpetua, quamuis regula Cancellariæ quandoque fuerit appellata, vt voluit Rota in deciſ. 222. vel 223. incip. Regula, Caputaq. lib. 1. in Manuſcrip. incip. Regula, vbi ſic etiam tenuiſſe dicitur in vna Vrbauetana Monaſterij 26. Decembris 1560. coram eod. Caputaque.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſta conſtitutio de extendendis conſenſibus, habebit locum in conſenſibus præſtitis à Cardinalibus?

RESP. Non, quia loquitur de conſenſibus præſtitis coram Notario, & teſtibus; Cardinales autem præſtant conſenſum per cedulam: Vltra quod hæc emanauit ad obuian. fraudibus, quæ in Cardinalibus non præſumuntur, Rota, in deciſ. 28. Caputaq. lib. 3. per totam. vbi dicitur hoc idem fuiſſe tentum à Rota in deciſ. Auguſt. in vna Segobien. Archipresbyteratus 29. Aprilis 1515.

XVIII.

Edita Anno 1526.

APoſtolicæ Sedis conſueta clementia, & infra pagina 587. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratres, & Milites de Calatraua nudi, & cincti dormire, & de die, ac de nocte Officia diuina celebrare, ex eius Statuto tenentur. §. 1. Tranſgreſſi tamen ſunt huiuſmodi ordinatione. §. 2. Carolus V. d. Militiæ adminiſtrator, pro eis abſolutionem à Papa poſtulat. §. 3. Et hic Pontifex petitam abſolutionem concedit. §. 4. Priorique d. Militiæ in quolibet Capitulo, ſimilem dandi abſolutionem tribuit facultatem. §. 5. Quibuſcunque non obſtan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Nonne hi nuditatis, & ſimiles labores, etiam ad artem militarem proficiunt?

RESPON. Proficere crediderim per ea, quæ nouiſſimè ſcribit Caball. caſu 195. num. 1. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quem geſtant habitum hi Milites de Calatraua?

RESP. Nigrum amictum cum Cruce rubra portant, ſecundum Chaſſan. in Cathal. Glor. Mundi par 9. conſid. 8. & Petrus Caleſar. de Equeſtr. dignit. num. 25.

XIX.

Edita Anno 15.6.

DVm conſideramus aſſiduos labores, & infra pag. 588. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit vni Syndico cuiuſcunque domus, & Monaſterij Fratrum Minorum, de Obſeruantia, ac Monialium S. Claræ Conceptionis, & Annunciationis, illiuſque Contingi, & liberis gratias, Indulgentias, & fauores, quibus ipſi Fratres gaudent, vel gaudere poſſunt. §. 1. Et ſignanter priuilegium fori, vt in cauſis ciuilibus, & criminalibus, coram

coram conſeruatore tantum eius loci, cuius Syndicus eſt, conueniri poſſit. §. 2. & 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quaro. Quæ eſt facultas, vel authoritas huiuſmodi Syndici?

R E S P. De ea habetur ſupra in conſtitut. 13. Martini V. in 4. cap. Regulæ pag. 265. in Bullario.

Schol. ſecundum.

Quaro. Ibi ſolum dicitur de facultate Syndici, quoad receptionem, conſeruationem, & diſpenſationem, vbi ergò plenius de eius anthoritate habetur?

R E S P. Accipe aliam Conſtitutionem Martini IIII. indicatam in d. 4. cap. Regulæ, de quo in d. Conſtit. 13. Et Mart. V. vbi totalis Syndici facultas, & à quo ipſe valeat deputari, diffinitur ab ipſo Martino IIII. & latius infra à Paulo IIII. in conſtit. 1.

Edita Anno 1583.

M A R T I N V S E P I S C O P V S ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filijs Generalibus, & Prouincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus vniuerſis, Ordinis Fratrum Minorum. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cauſa huius Conſtitutionis

§. 1. *EXultantes in Domino, quod Sacri veſtri Ordinis profeſſores in Dei beneplacitis confirmari promptitudine deuotionis, & operis illius ſtudent imitari veſtigia, eiuſque vias ſummopere cuſtodire, qui deſcendens à patre luminum, & ſerui formam accipiens, ſe in laudis ſacrificium placabilem hoſtiam immolauit, cogitare inducimur honeſta remedia, quibus dicti Ordinis pura obſeruantia in ſui vigore ſeruetur, ijdemque Fratres, qui pro nulla re temporali poſſunt in iudicio experiri, (excluſis quibuslibet ſolicitudinibus,) liberius, & quietius diuinis vacent obſequijs, & offerentium, donantium, concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus eiuſdem Ordinis aliquid propter Deum, pia intentio non frandetur, ſicque nos ſolicitudini, ob quam prædictus Ordo pro ſuis neceſſitatibus, quoties ingrueret neceſſitas, vel vtilitas ſuaderet, recurrere ad Romanam Eccleſiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti poſſunt, ius, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat, penſata incommoditate, vel difficultate, potius quam pro hoc ingeri poſſet, Fratribus ſupradictis benignè indulgentes, volenteſque hæredum, & executorum negligentijs obuiare, vt Fratres ſecundum modos licitos, & congruos ipſi Ordini, relictis ſibi in teſtamentis, eleemoſynis non fraudentur, ac ſperantes, quod his quæ pro ſtatu proſpero dicti Ordinis agenda fuerint, per vos eo ſalubrius, & vtilius conſuletur, quo maiori fueritis in hac parte auctoritate muniti.*

Facultas deputandi Syndici.

§. 2. *Diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, perſonas ſpeciales, quæ non ſint de ipſo Ordine, nominandi, pro locorum indigentia ſingulorum, quas perſonas per vos taliter nominatas in his adminiſtrationem legitimam, generalem, & liberam gerere, & ipſos veros, & legitimos adminiſtratores, œconomos, ſyndicos, & actores eſſe de plenitudine poteſtatis præſentium auctoritate conſtituendo, decernimus.*

Facultas ipſius Syndici.

§. 3. *Qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & dictas eleemoſynas nomine ipſius Eccleſiæ recipiant, per eoſdem in Fratrum ipſorum vtilitatem (prout eis licet ex regula, vel declaratione regulæ) conuertenda, ſicut & quando a te fili Generalis, vel ſingulis alijs veſtrum in Prouincia, vel cuſtodia ſibi decreta ab eiſdem Fratribus, de aſſenſu veſtro extiterint requiſiti, per ſe petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, prædicta tranſigendi, paciſcendi, conueniendi, promittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda, iurandi, & cuiuslibet alterius iuramentum præſtandi, cum illis, & contra illos, qui huiuſmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamento occuparent, vel violenter auferrent, ſiue quia contra voluntatem Fratrum quomodolibet detinerent, & generaliter in omnibus cauſis pro rebus, & locis huiuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus ipſorum Fratrum vſui conceſſis, necnon pro immunitatibus, libertatibus, & iuribus, ac priuilegijs eorumdem, ſine cuiuslibet ſatisdationis, & cautionis onere plenam, & generalem, & liberam habeant auctoritate Apoſtolica in iudicio, & extra iudicium poteſtatem.*

Facultas reuocãdi, & alium Syndicum deputãdi.

§. 4. *Reuocandique perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi, vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, qui eamdem in prædictis, vel ſimilem habeant poteſtatem, plenam, & liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum apud Vrbem Veterem 15. Kal. Februarij Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

X X.

Edita Anno 1526.

QVoniam nulli debet officium ſuum, & infra pag. 588. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

De fide diligentia, & labore Benedicti de Valentibus circa Officium Procuratoris Fiſcalis ſuæ Cameræ Apoſtolicæ, certior factus hic Pont. vt ille dictum Officium iuxta eius condecentiam, & dignitatem valeat exercere, & in dictis, alijſque ſuis virtutibus, de bono in melius procedere, aſſignat eidem vigeſimam omnium pœnarum ex cauſis criminalibus, aut prouenientibus ab eis, quæ cum effectu ipſo, vel eius ſubſtitutis procurantibus, ad Cameram peruenerunt, aut peruenerint. §. 1. Mandat Camerario, & Clericis d. Cameræ, vt hanc pœnarum partem ſibi perſoluant. §. 5.

Schol. primum.

Quaro. Nomen Fiſci, vnde dictum?

R E S P. Quicquid alij dicant relati à Pereg. de Iure Fiſci lib. 5. titul. 1. hoc verum puto, vt verbum *Fiſcus* ciſtam, aut ſportam, ad magnam pecuniæ quantitatem capiendam, prout fiſcella, paruam ciſtam ſignificet. Vnde factum eſt, vt cum maior ſit pecunia publica, quam priuata; Fiſcus pro pecunia publica dicatur, vt ſcribit Aſcanius Pædianus act. 2. in Verrem, & ſequitur Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 3. necnon Calepin. in ſuo Dictionar. in verbo Fiſcus, Vbi ſubdit, quod confiſcare eſt, pro in ærarium ponere; imò addit (& benè) quod Fiſcus, qualum oleatium ſignificat, vbi oliuæ exprimuntur; ibi videas.

Schol. ſecundum.

Quaro. Quando ob diligentiam Fiſcalis pœnæ (vt hic dicitur in principio) ad Cameram, cum effectu dicentur perueniſſe, vt hæc vigeſima, ei debeatur, & non eius in Officio ſucceſſori?

R E S P. Cum Fiſco procurante, bona ab ipſo actualiter apprehenſa, vel deſcripta fuerunt in libris Cameræ l. 3. Cod. de Iur. Fiſc. lib. 10. Bartol. in l. 5. Cod. de Bon. vacant. lib. 10. Rota in deciſ. Seraph. 905. nu. 5. & deciſ. 998. num. 6. in Nouiſ. Et conſonat doctr. Angel. in l. *Si poſſeſ-*

ſor.

Digitized by Google

for.23.§.redactæ.ff.de Petit.hæred. quam canonizauit Rota in alia deciſ.Seraph.777.par. 1.Diuerſor.num.2.Et egregiè,& in fortioribus terminis Statuti habentis verba. (Et non prius) firmat hoc idem Soc. & alij,qui ſuo ſe ſubſcripſerunt conſ.151.lib.1.num.5.& ſeqq. Et hoc placet in terminis huius conſtitutionis, quicquid ipſe dixiſſet prius in conſ.100.eod.lib.ac Surd.qui alios citat in conſ.227.num. 21. Sed his temporibus contrarium dicen. eſt, ſucceſſori nempè deberi, ex Bulla Sixt. V. in §. 21. vbi cauetur Fiſco vigeſimam exburſandã eſſe, à Depoſitario Cameræ, quod quidem actualem ſolutionem Depoſitario antea factam ſupponit. Et Clem.VIII.in conſt.5.§ 4.& ſeqq.hoc approbat,& in Vrbe præcipuè ſeruari præcipit.

XXI.

Edita Anno 1528. RELigionis zelus,vitæ, ac morum, & infra pagina 589.Bullarij.

COMPENDIVM.

Ludouicus, & Raphael de foro Semptonien. Ordinis Fratrum Minorum S.Franciſci de Obſeruantia profeſſi,& de licentia eorum ſuperioris ad Conuentuales translati in prouincia Marchiæ, ab illius Prouinciæ Magiſtro Prouinciali licentiam obtinuerunt eremiticam vitam ducendi ſub regula S.Franciſci.§. 1. Romam venerunt, & à Cardinale Ordinis Protectore eandem licentiam impetrarunt. §. 2. Et deinde nunc obtinent ab iſto Pont. §. 3. & 4. Habitum cum Capuccio geſtandi facultatem habuerunt. §. 5. Alioſque recipiendi.§.6.Barbam quoque deferendi.§.7. Eremitoria etiam inhabitandi § 8. Priuilegia inſuper, & gratias Fratrum Minorum,& Eremitarum Camaldulen.conſecuti ſunt.§.9.Executoreſque obtinuerunt.§. 10. Quibuſcunque non obſtantibus.§.11.

Schol. primum.

Quæro. Vltra Ludouicum, & Raphaelem ſupradictos, alij ne cum ipſis hunc Ordinem promouerunt?

RESP.Ludouici Tenaglia,& Raphaelis prędictorum Socius quoque fuit Matthæus de Boſchi, qui fuit primus Generalis Capuccinorum, & ei ſucceſſit Ludouicus ſupradictus, vt legitur in Chronic. Franciſc. per Barrezzum de Barrezzis collect. pag. mihi 98. & in Compendio Priuilegiorum Fratrum Minorum pag.9. & apud Roderic. tom. 1.Quæſt.Regular.quæſt.2.artic.3. verſ. De quibus Fratribus; Aduerte tamen quod iſta Ordinis Capuccinorum confirmatio,anno quinto huius Pontificatus habita fuit,vt hic legitur in Bulla,quamuis prędicti ſcribant anno tertio.

Schol.ſecundum.

Quæro. Fuit vnquam antea promota eiuſmodi Capuccinorum Eremitarum Congregatio, ſeorſum à Fratribus Conuentualibus,& de Obſeruantia?

RESP. Perlegi in tribus Conſtitutionibus Iulij II. in libro inſcripto Monum. Ordinum Minor. ſecunda vice impreſſo pag. mihi 207. & 210. & 212. quod ad Ordinis Franciſcanorum perturbationem remouendam, omnes Congregationes Clarenorum,Amadæorum,Collectaneorum,& Fratrum de Capuccio, qui de Sancto Euangelio ſe dicebant,ille Pontifex Conuentualibus, vel de Obſeruantia purè, & ſimpliciter abſque illa differentia adhærere,& perpetuò viuere decreuit ita, quod iam antea Capuccinorum Congregatio promota fuerat.

XXII.

Edita Anno 1528. PLacuit intelligere, quod & inf. pagina 605. Bullarij.

COMPENDIVM.

Laudat Commune Ciuitatis Brixiæ de exacta diligentia adhibita pro extirpatione hæreſis Lutheranæ.§.1.Mandat Epiſcopo,& Inquiſitoribus,vt hoc idem præſtent.§.2. Procedantque appellatione remota. §. 3. Cogant teſtes ad perhibendum teſtimonium veritati.§.4. Quoſcumque citent.§.5.Omnes cuiuſcumque præeminentiæ de hac hæreſi inquirant.§.6.Impœnitentes multis pœnis afficiant. §.7. Redeuntes certo modo, non tamen relapſos, abſoluant, Et ſuper irregularitate diſpenſent. §. 8. Cætera omnia neceſſaria exequantur. §. 9. Ad præmiſſa alios idoneos viros deputare poſſint.§. 10. Contraria priuilegia nemini ſuffragentur.§.11.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt Irregularitas, de qua loquitur Pont. iſte in §.8.

RESP. Eſt nota, ſeu impedimentum canonicum ex facto, ſiue defectu proueniens, quo quis ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & promotus in illis miniſtrare prohibetur, vt communiter dicunt Sylueſt. & alij Summiſtæ in verbo Irregularitas,Specul.de Diſpenſat.§.4.in princip.& poſtremò Maiol.de Irregul.lib.1.cap.1.num.1.

Schol.ſecundum.

Quæro. Quis hodie abſoluit ab irregularitate?

RESP. Solus Pont.quia hoc priuilegio Inquiſitorum poſteriores Pontifices derogarunt, vt affirmat Pegna in Director. Inquiſit. Comment. 175. Has autem Apoſtolicas Conſtitutiones eiuſmodi derogationem continentes vidiſſe non memini, niſi eas putemus, quas annis ſingulis in die Cœnæ Domini conſueuerunt Rom. Pontt. promulgare, in quibus excommunicantur omnes hæretici, quaſi ex hoc negata Ordinarijs, eo magis diſpenſatio ab irregularitate incurſa propter hæreſim,ita ſentire videtur Pegna dum in loco pręcit.allegat ea,quæ ſcripſerat ſupra in Comment.41.vbi ea Bulla Cœnæ Domini, inquit, derogatum fuiſſe etiam Concil.Trident.ſeſſ.24. cap. 6. de Reformat. vbi data erat Ordinarijs facultas abſoluendi in crimine hæreſis, in foro conſcientiæ tantum, De quo Ordinario amonet etiam Maiol.de Irregul.lib.5.cap. 46. num. 6. poſt Nauarr.in Manual.Confeſſ.cap.27.num. 275.

XXIII.

VEſtrum Ordinem in agro Dominico, & infra pagina. 591. Bullarij. Edita Anno 1528.

COMPENDIVM.

Ordinem Camaldulen. Eremitarum S.Romualdi commendat in princ. Maiori dd. Eremitarum dat facultatem in perpetuum vtendi priuilegijs, & gratijs, quibus Abbates generales vniuerſorum Ordinum,ſub regula S.Benedicti militantium vti poſſunt,vel conſueuerunt. §.1. Excipit tamen facultatem vtendi Mytra, & Baculo, ac alijs Pontificalibus, & benedictionem Populo ſolemniter impendendi, d.§. 1. Exemptionem alijs Ordinibus ab Eccleſia approbatis à datijs,gabellis, & decimis, etiam auctoritate Apoſtolica conceſſis, & conceden.elargitam, his Eremitis concedit.§. 2. Licentiamque ſalem pro eorum vſu neceſſarium, è locis Sedi Apoſt.mediatè ſubiectis ad eorum Eremitoria transferen.tribuit d.§. 2. Contrarijs derogat. §.3. Et tranſumptis credi mandat.§. 4.

Schol. primum.

Quæro. Num vita Monaſtica, ex prima inſtitutione Eremitica,fuit introducta?

RESPON. Sic affirmat,& oſtendit Gregor.Tholoſ. lib.15.Syntagm.iur.cap.16. num. 1. vbi, & etiam cap. præced.ad hoc multa deſcripſit.

Schol.ſecundum.

Quæro. Si Monachus aſſumeretur ad Epiſcopatum, & deinde eum dimittat, vel ipſo priuetur, num reincidet in iuriſdictionem Abbatis?

RESPON. Reincidet profectò non in iuriſdictionem Abbatis,ſed ſui Superioris Eccleſiaſtici ſæcularis,quia iam fuit ſemel abſolutus à regula per eum profeſſa, ita conſulendo dixit Feder.de Sen.conſ.5.num.2.verſ.Secundum hoc, & habemus bonum text. in cap. Ne pro cuiuſlibet.37.cauſ.16. quæſt. 1. & ibi gloſ. in verbo Sacrum.

XXIV.

ACcepimus nuper, quod licet dudum, & infra pagina 591. *Item*, Cum de viribus, & infra pag. 592. Bullarij. Edita Anno 1528.& 1529.

COMPENDIVM.

Alexander VI. ſtatuit Curſores Papæ tantum citare poſſe in Vrbe, in cauſis Ordinarijs vertentibus coram Iudicibus Palatij Apoſtolici, & in cauſis Commiſſarijs omnium Iudicum Romanæ Curiæ. §. 1. Iulius II. approbauit, §. 2. Proceſſuſque aliter factos cum inde ſecutis irritauit. §. 3. Hic Pont. dictas conſtitutiones confirmat, quatenus ſint in vſu. §. 4 Poſtea d. clauſulam (quatenus in vſu) delet, & ſimpliciter confirmat in ſubſequenti Bulla. §. 2. Obſeruantiam ſuæ conſtitutionis ſtrictè præcipit. §. 2. Acta in contrarium damnat. §. 3. Auditorem Cameræ executorem deputat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Iudex Commiſſarius in aliquo articulo extraiudicialiter procedit, vtputa, ſi extet clauſula *extra iudicialiter de vtilitate Eccleſiæ te informes*?

RESP. Eo caſu alius, quam Curſor citare poteſt, quia hæc Bulla loquitur de cauſis, in quibus iudicialiter procedatur; vt cenſuit Rota in deciſ. Creſcent. 12. de Priuileg. aliàs 104.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Curſor refert intimaſſe ſequeſtrum Petro, & quod ille reſpondet illud acceptare, credetur ipſi Curſori?

RESP. Credetur, quia acceptatio, vel recuſatio citationis eſt de dependentibus, & connexis citationi, in quibus Curſori plenè creden. eſſe tradit communiter Scribb. in cap. Cum parati 19. de Appellat. & Rota in deciſ. Putei 387. num. 1. lib. 3. in Nouis.

XXVI.

Edita Anno 1528.

ONus paſtoralis Officij, & infra pag. 593. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. decreuerat omnes Officiales Status Eccleſiaſtici expleto officio coram Papa ſyndicari pro omnibus per eos geſtis, vel omiſſis ſe ſubmittere debere. §. 1. & 2. Condemnatiſque appellationem interdixit. §. 3. Admittendoſque ad officium prædicta iurare præcepit. §. 4. Salarij tertiam partem vſque ad finem ſyndicatus retineri iuſſit. §. 5. Syndicatuſque proclamari mandauit. §. 6. Syndicatoribus facultatem ſummariè procedendi conceſſit. §. 7. Sed multi ceſſabant querelare Officiales nolentes hac de cauſa ad Vrbem venire. §. 8. Hic ideò Pont. mandat ſyndicatus fieri in partibus. §. 9. & 10. Syndicatoribus d. facultatem ſummariè procedendi elargitur. §. 11. Condemnatiſque ad Papam infra menſem recurſum conceditt. §. 12. Culpabiles in Officio retineri vetat. §. 13. Cautiones dictorum Officialium in libris Reuer. Cameræ Apoſtolicæ adnotari iubet. §. 14. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 15. Contrarijſque derogat. §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Si præcedentibus proclamis, Officialis fuerit abſolutus in contumaciam non comparentium, poterit ex nouiter deductis moleſtari?

RESP. Non, præterquam à legitimè impeditis querelare, vel abſentibus, Alexan. ad Bart. in l. 2. ff. Ad leg. Iul. repetund. Put. de Syndic. in verbo Officialis finito officio num. 1. & Boſſ. in tit. de Offic. corrupt. 32. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cum in cauſa ſydicatus ſummariè procedatur, poterit contra Officialem cumulari cauſa ciuilis, & criminalis contra l. Interdum 4. ff. de Public. Iudic.?

RESP. Poterit, vt ſingulariter tenet Bald. conſ. 178. lib. 1. num. 2. verſ. Item ciuilis.

XXVI.

Edita Anno 1529 & 1533

CVm chariſſimus in Chriſto Filius Carolus, & infra pag. 595. *Item*, Licet varie, & infra pagina. 596. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus V. Imperator pro pace Italiæ Pontificem hunc requirit, vt ſecum veniat Bononiam, ad quam ideò proficiſcitur. §. 1. In Vrbe cauſarum audientiam relinquit, ibique futuri Pontificis electionem eo defuncto fieri iubet. §. 2. Circa quam electionem conſtitutiones Alexand. III. Greg. X. & Clem. V. obſeruari præcipit. §. 3. & 4. Sanctionem pœnalem appponit. §. 5. Hanc inſuper Bullam iterum obſeruari mandat, in eius diſceſſu Viennam verſus, aut alium locum maioris, vel minoris diſtantiæ ab Vrbe. §. 1. ſubſeq. Bullæ.

Schol. primum.

Quæro. Si Pontifex alia, quam hic expreſſa feciſſet itinera, locum ne haberet iſta conſtitutio?

RESPON. Ex identitate rationis, & ne ſubditi vagarentur in incerto, locum habere dicen. eſt, vt in ſimili caſu reſpondet Caſtrenſ. in l. Sed ſi pupillus 7. §. Conditio ff. de Inſtitor. num. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eſt ergo ius nouum, quod electio Papæ fiat in Vrbe, quamuis Prædeceſſor extra eam decederet?

RESP. Nouum eſt, & derogat Conſtitutioni Gregor. X. editæ in Concil. Lugdunenſi, de qua in cap. 3. de Elect. in 6. vbi cauetur quod electio fieret in Ciuitate, vbi Papa diem extremum clauderet.

XXVII.

Edita Anno 1530.

CVm ſicut ex relatione, & infra pagina 596. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicarius generalis Ordinis Fratrum Prędicatorũ huic Pontifici notum fecit, quod Lutherana hæreſis in graue Catholicæ fidei detrimentum inualuit in partibus Italiæ in procem. Hic Pontifex ne ſerpat, vt hæreſis Arrij, mandat Inquiſitores, vt deſuper contra omnes etiam regulares cuiuſcumque Ordinis procedant. §. 1. & 2. Pœnitentes autem abſoluant, & cum eis ſuper irregularitate diſpenſent. §. 2. Et Cruce ſignatis pro Sanctæ Inquiſitionis ſeruitio inſtitutis, Indulgentias largiatur. §. 3. Epiſcopis mandat, vt in prędictis faueant Inquiſitoribus. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Alexander IV. in ſua conſtit. 22. de qua ſupra pag. 26. Inquiſitoribus facultatem huiuſmodi dederat procedendi in cauſa fidei contra quoſcumque exemptos, hæc ergo Sanctio Clem. VII. nonne otioſa videtur?

RESP. Non, quia deinde plerique Pontifices, multos regulares exemerunt à iuriſdictione Inquiſitorum; vt notauit Genitor meus in apoſtillis nonnullarum conſtitutionum. Quod ad hanc Bullam notat etiam Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. Comment. 77. verſ. Verum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi inquirendus eſſet aliquis Prælatus alicuius venerabilis Religionis?

RESP. Prudentiſſimè ſe gerant Inquiſitores, iuxta facti, & perſonæ qualitates, vt docet Pegna iam citatus, in verſ. Poſtremò.

XXVIII.

Edita Anno 1530

CVm proximo Februarij menſe, & infra pag. 597. Bullarij.

COMPENDIVM.

In die Cathedræ S. Petri 22. Februarij 1530. iuſſu huius Pont. Vuilhelmus Cardinalis tit. SS. Ioannis, & Pauli in Capella Palatij, Papæ Bononiæ tunc commorantis, ſacra Miſſarum ſolemnia acturus, Carolum V. Imperatorem inunxit, in proœm. Deinde Capellam Papa ingreſſus infra Miſſarum ſolemnia Regia, & Imperatoria inſignia eidem tradidit, & caput eius Corona ferrea coronauit. §. 1.

In

In die autem S. Matthiæ Apoſtoli 24. eiuſdem menſis Papa ad Eccleſiam S. Petronij acceſſit, vbi io Canonicum Baſilicę Sancti Petri per nonnullos Canonicos receptus extitit, & oratio vna ſuper caput Caroli, in Eccleſiæ foribus à Præneſtino, & altera intra ipſos fores à Sabinen. Epiſcopis decantata fuit; Poſtea Imperator ad aliam Capellam diuertit, vbi cultu, & ornatu Diaconorum indutus ad Sedem pro eo paratam acceſſit, & ab Epiſcopo Oſtienſi inunctus ad Papæ conſpectum venit, qui proſecuta Miſſa, antequam Euangelium Latina, & Græca lingua, enunciaretur, eadem Regia Imperialiaq; inſignia eidem contulit, Anulum digito impoſuit, enſem aduerſus fidei hoſtes vibrandum femori accingi fecit, aurea Corona caput eius coronauit, ſceptrum in eius manibus tradidit, ad oſculum pacis admouit, & deinde Imperator in ſolium Imperiale dextero latere Papæ penè contiguum ſe recepit. Et abſoluta Miſſa diſceſſerunt. §. 2. Et hic Pont. iſta omnia ritè, & legitimè facta eſſe Bononiæ, perinde, ac ſi Mandoctiæ vel Boemiæ Corona ferrea, ac Romæ Corona aurea datæ fuiſſent declarauit. §. 3. Decretum irritans appoſuit. §. 4. Defectus ſuppleuit. §. 5. Super retentione Imperij, & Regni Neapolitani diſpenſauit. §. 6. Subditis obedientiam iniunxit. §. 7. Sanctionem pœnalem appoſuit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Cur Imperator ad dexteram Papæ ſedit, vt dicitur in §. 2. ſi dextera pręſumptionem inducit maioritatis, vt dicunt Scribb. in rubr. de Maiorit. & Obedien.?

R E S P. Quia Cardinalis primus Epiſcopus ad ſiniſtram Papę ſedet, & Papa in medio, & hæc eſt veritas, licèt multa dici poſſint de loco dexteræ, quæ videas apud Gratian. Diſcept. Forenſ. lib. 1. cap. 106. nu. 40. & ſeqq. Quando etenim concurrit Eccleſiaſtica dignitas, & ſæcularis, ſemper pręfertur Eccleſiaſtica, vt relatis alijs firmat Boer. in tract. de Ord. Grad. num. 10.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur tot coronis Imperator coronari conſueuit?

R E S P. Placeat hoc legere apud Reſtaur. Caſtaldum in ſuo tract. de Imperat. quæſt. 25. & quæſt. 30. & 33. vbi à quibus coronas huiuſmodi recipiat, & in quibus locis, necnon cuiuſcunque coronæ ſignificationem recenſet, poſt gl. in clem. 1. §. porrò in verbo Veſtigijs, de Iureiur.

X X I X.

Edita Anno 1530.

EXponi nobis feciſtis, & infra pagina 598. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prioribus, & Communitati Ciuitatis Perrſiæ concedit, vt in ea Ciuitate inſtituatur Rota, ad lites, & cauſas decidendas. §. 1. Facultatemque concedit, formandi Capitula pro Rotæ inſtitutione, cum pręſentia, & conſenſu Vicelegati. §. 2. Et illa obſeruari præcipit. §. 3. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si hæc Ciuitas, Rotam infra decennium non inſtituiſſet, perdidiſſet hoc priuilegium?

R E S P. Si habuiſſet facultatem inſtituendi, & non inſtituiſſet, illud amiſiſſet, cum iſtud priuilegium contineat, quodammodo aliarum Ciuitatum præiudicium, vt ſic habemus de priuilegio Nundinarum à Ciuitate impetrato, ad tex. in l. 1. & ibi notat Bart. num. 1. ff. de Nundin. Dec. qui alios citat conſ. 638. num. 14. Idemque habemus de Priuilegio Doctorandi, Panormit. in cap. Cum acceſſiſſent 8. de Conſtitut. num. 6. verſ. Et per hoc.

Schol. ſecundum.

Quæro. In Rota antiquior, vel iunior Auditor primò votare debet?

R E S P. Vſu receptum eſt, quod qui vltimo loco ingreſſus eſt Rotam, primò votum ſuum profetat, teſte Roman. in ſingul. 82. Nec attenditur ætas, aut alia dignitas, Afflict. deciſ. 1. num. 6. & 7. vbi refert eam eſſe rationem, ne minores formident à votis maiorum declinare. Hæc autem intellige locum habere, vbi particularis vſus, aut conſtitutio aliter non diſpoſuerit; Vel vbi ob eximiam cuiuſqoe Auditoris excellentiam, hæc formidinis ratio ceſſat, vt de Rota Romana ſcribit Marta in ſuo libercculo de Tribunalibus Vrbis cap. 4. num. 18.

X X X.

Edita Anno 1530.

AD Canonum conditorem, non eſt dubium, & infra pagina. 598. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Alexander III. prohibuit in cap. 11. de Fil. Presbyt. quod filij Presbyterorum beneficia, quæ obtinuerunt eorum parentes, immediatè impetrari non poſſent, in princ. Vnde parentes reſignabant beneficia perſonis, quæ, etiam illorum non habita poſſeſſione, reſignabant filijs ex fornicatione habitis, præuia diſpenſatione ibidem. Hic modò Pont. decernit hos filios de cætero illa nullo vnquam tempore mediatè, & immediatè impetrare poſſe, neque eos deſuper diſpenſari. §. 1. Alexandri prædicti, & aliorum conſtitutionibus non obſtantibus. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Filij legitimi poterunt mediatè impetrare beneficia parentum, ſicut poterant ante hanc Conſtitutionem ad text. in cap. 11. & 14. de Fil. Presbyt.?

R E S P. Poterunt quidem, quia hic de eis nihil diffinitur, & neque in Concil. Trident. à Genitore citato ſub rubrica, Et ita Bullam hanc interpretatur Nauarr. in Relect. cap. Si quando. 5. de Reſcript. num. 3. poſt Epilogum pag. mihi 28.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de beneficijs, quæ illegitimi mediatè obtinuerunt ante hanc Bullam?

R E S P. Ad hæc non extenditur, attendendo illud verbum *de cætero*, vt tenuit Rota in deciſ. 47. Acchil. de Graſſ. in impreſſis, vbi dicitur idem quoque Rotam tenuiſſe in vna Calciaten. coram Fabio, de anno 1549.

X X X I.

Edita Anno 1530.

EX Clementi Sedis Apoſtolicæ, & infra pag. 599. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, & Confraternitates in eius Eccleſiarum domibus inſtitutæ, expoſuerunt Papæ, quod Ioannes XXII. & Clemens V. hanc Confraternitatem ingredientibus, &c. tertiam partem ſuorum peccatorum relaxarunt. Et quod B. Virgo ipſorum animas poſt eorum tranſitum ſuis interceſſionibus, continuiſq; ſuffragijs, & ſpeciali protectione adiuuabit. §. 1. Et quod alij Pontifices alias indulgentias, gratias, ac priuilegia ipſis Fratribus, & Sororibus, & eorum Eccleſijs conceſſerunt. §. 2. Supplicaruntq; pro confirmatione. §. 3. Qui Pontifex illas innouat. §. 4. Priuilegiaque alterius cuiuſcunque Ordinis, elargitur. §. 5. & 6. Et etiam Indulgentias Stationum Eccleſiarum Vrbis. §. 10. Exemplis huius Bullæ credi mandat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt quod fertur Ioannem XXII. in quadã eius Bulla dixiſſe, quod B. Virgo, Sabatho ſequenti poſt ipſorum Confratrum Religioſorum, ac Sororum obitum à pęnis Purgatorij eorum animas liberabit, ſi hic in §. 1. aliter refertur conceſſio d. Ioannis XXII.?

R E S P. Hoc idem pluries à Genitore meo poſtulaſſe recordor, qui tamen huic Bullæ omnino ſtan. eſſe reſpondit, cum præuia exactiſſima diligentia, alteram, quæ in ore vulgi ſæpè eſt, inuenire non potuerit; Et quod magis eſt Gregorius XIII. in quadam eius Bulla Indulgentiarum, & gratiarum per eum edita ad fauorem Carmelitarum die 8. Septembris 1577. eam conceſſionem Ioannis XXII. alterius tenoris fuiſſe refert, vt videre eſt apud Roder. de Quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 96. art. 7.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hinc fortaſſe ſuſpenſus, aut prohibitus eſt libercculus ille, qui Indulgentiarum, ſeu Priuilegiorum Carmelitarum nuncupatur?

RESPON. Ita ſanè, quia eum corrigendum cenſuerunt, Illuſtriſſimi DD. Cardinales Sacræ Congregationis Inquiſitionis de Vrbe anno 1613.

XXXII.

Edita Anno 1531.

EX Apoſtolicæ dignitatis officio, & infra pag. 601. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præceptores, & Fratres Militiæ S. Iacobi de Spatha. teſtari de eorū bonis certo modo diſponere poſſunt. §. 1. Fraties non Conuentuales Clerici dubitantes, id eis non licere, licentiam à Carolo V. impetrarunt, vt eamdem authoritatem à Sede Apoſtolica petere poſſint. §. 2. Carolus pro eis petijt. §. 3. Hic Pont. duobus Prioribus authoritatem tribuit, hanc licentiam dictis Clericis ſub certa forma dandi. §. 4. & 5. Contrarijs non obſtan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Gaudent ne iſti Milites priuilegio, cap. Si quis ſuadente 29. cauſ. 17. quæſt. 4.?

RESPON. Gaudent proculdubio, quia vt ex Bulla 5. Alexād. III. de qua ſup. pag. 7. & alijs ibi à Genitore meo collectis patet, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. Quibus addenda eſt alia Bulla à Roder. citata, & impreſſa tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 13. articul. 2. vbi in ſpecie, hunc articulum tangit, ſequendo Nauarr. de Reddiub. Eccleſ. monit. 55. & ſeq. & in propugnaculo Apologiæ, num. 15. Sufficit enim eorum Ordinem approbatum fuiſſe à Papa, vt dixit Rota in deciſ. 47. Cæſ. de Graſſ. nu. 13.

Schol. ſecundum.

Quæro. Filij iſtorum Militum, qui coniugalem caſtitatem voueut, vt habetur ſup. in conſt. 5. Alexand. III. ante matrimonium ſuſcepti, ſunt fortaſſe naturales, vel potius ſacrilegi?

RESP. Naturales eſſe nititur probare Guttier. lib. 2. Pract. Quæſtion. quæſt. 111. Sed eius opinionem iure refellit Roder. tom. 1. Quæſt. Regul. queſt. 13. artic. 2. Intelligo tamen de filijs ſuſceptis, poſt emiſſam profeſſionem d. Militiæ.

XXXIII.

Edita Anno 1532.

CVm ſicut nobis innotuit, & infra pagina 601. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, de penſionibus non excedentibus valorem ducatorum auri vigintiquatuor de Camera, non deberi annatam eidem Cameræ §. 1. Officialibus omnibus prohibet exactionem d. annatæ de his penſionibus. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Penſio venit forſan appellatione beneficij Eccleſiaſtici?

RESP. Ex proprietate verbi, penſio non eſt beneficium, cap. Quamuis 4. de Prębend. in 6. & Gemin. ibi nu. 2. Anchar. nu. 3. & cæteri communiter Gonzal. poſt alios, in ſuis Comment. ſup. 8. Regul. Cancell. § 5. gloſ. 5. in prin. Sed ſecus eſt hic, vbi eadem ratio militat in penſione, quæ militat in beneficio, vt in puncto ſoluendæ collectæ, ex fructibus beneficiorum, ſic tenet Gig. de Penſionibus quæſt. 28. nu. 19.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hic forſan Papa arguendo à ſimili, vel maiori ratione voluit, quod ſicut annata non ſoluitur de beneficio non excedente valorem ducatorum auri de Camera 24. ita, & multo minus de penſione?

RESP. Sic firmiter creden. cum optima ratio prædicta id ſuadeat. Vltra quam rationem, legem, aut authorem quærere, eſſet infirmitas intellectus, ſecundum Philoſoph. & probatur in l. Scire oportet 15. §. Sufficit. ff. de excuſ. Tutor.

XXXIV.

Edita Anno 1532.

ETſi ad ſingula Romanæ Eccleſiæ Officia, & infra pagina 602. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſiderans excellentiam, & authoritatem Vicecancellarij, & quod Vicecancellaria Papæ ſemper recta fuit per Vicecancellarium perpetuum, & modò illa vacauit per obitum Pompeij Cardinalis, qui etiam Eccleſiæ SS. Laurentij, & Damaſi præſidebat, eo quod eſt tituli S. R. Eccl. presbyteri Cardinalis, ideò aſſumpſit Hipolytum Cardinalem ad d. officium Vicecancellarij, & d. Eccleſiæ præfecit. §. 1. Et de cætero dictæ Eccleſiæ regimen Vicecancellario, pro tempore conceſſa fore decernit, cum omnibus priuilegijs conſuetis d. §. 1. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Eſt tantæ authoritatis Vicecancellarius, vt de eis quæ Papa concedit, ſibi credatur?

RESP. Ita ſanè, vt dixit Rota in deciſ. Put. 320. lib. 1. num. 3. Et nimirum quia in Romana Curia, poſt Papam omnibus Officialibus maior eſt, vt dicunt Scribb. in clem. 2. de Election. & ſcribit Gābar. de Author. Leg. de Later. lib. 9. num. 76. & Petrus Greg. lib. 15. Syntag. Iur. cap. vlt. in princ. poſt Gomeſ. in proœm. Regul. Cancellar.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur ergo non vocatur Cancellarius, ſed Vicecancellarius?

RESP. Quia primum regebatur à Cardinali hoc Officium, & ideò vocabatur Cancellarius, & quando poſtea à non Cardinali regebatur, vocabatur Vicecancellarius, & hoc vltimum nomen remanſit, vt ex antiquis regeſtis hoc verum affirmat Gambar. iam cit. nu. 77. Et hoc teneo, quia in regeſtis vidi d. nominis variationem, (licet ex ſuo capite) Gondiſaln. de Orig. Card. dicat, quod ob humilitatem vocet ſe Vicecancellarium. Et vide quæ ſcripſi ſupra ad Conſtitutionem tertiam Martini V. Schol. 2. pag. 52.

XXXV.

Edita Anno 1532.

IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula, & infra pag. 603. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X. in ſua conſtitut. 23. de qua ſup. pag. multos Fratres Ordinis S. Franciſci vniuit, ſub denominatione Regularis Obſeruantiæ. §. 1. Poſtea nonnulli regulam S. Franciſci ſtrictius obſeruare cœperunt, in maximum animarum profectum. §. 2. Eis ergo loca commoda aſſignari mandat. §. 3. Miniſtro generali, & alijs, hanc ſtrictiorem obſeruantiam impedire interdicit. §. 4. Eorum habitum conſimilem eſſe iubet. §. 5. Venientium ad eos, formam recipiendi tradit. §. 6. Cuſtodem in ſingulis Prouincijs habere præcipit §. 7. Poteſtatem eius enarrat. §. 8. Horum Fratrum Cuſtodes, Guardianos, & Diſcretos in Capitulo vocem habere, decernit. §. 9. Ibi Guardianos fieri mandat. §. 10. Cuſtodiſque officium triennium expleri iubet. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Qui fuerunt Promotores huius ſtrictioris Obſeruantiæ.

RESP. Hoc ſolum perlegi in Chronic. Franciſc. part. 4. lib. 8. cap. 56. pag. mihi 772. quod cum Prælati, Officialeſque Ordinis viderent ex eis, quamplures ad Capuccinos tranſire, iuxta Regulam B. Franciſci, ardore ſtrictius viuendi incenſi, conſtituerunt in eorum Oratorijs hanc ſtrictiorem Regulam, cuius capitula ibidem recenſentur, & de hac Bulla fit commemoratio, licet errore (vt opinor) illorum Impreſſorum, eam datam fuiſſe dicatur 16. Decembris, cum hic pateat datam 16. Nouembris 1532. Benè verum eſt quod de anno 1550. quidam Frater Ioannes de Guardalupe non abſimilem cœperat promouere ſtrictiorem Obſeruantiam, vt legitur ead. par. 4. Chronic. lib. 1. cap. 1. & ſeqq.

Schol.

Digitized by Google

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc ſtrictior Obſeruantia durat ne vſque ad hæc tempora in ſua primæua inſtitutione?

RESP. In modico immutata legitur, in d. cap. 56. Et puto veriſſimum, quia in magna eſt apud nos veneratione, vt notiſſimum eſt.

XXXVI.

Edita Anno 1533.

SAcræ religionis ſinceritas, & infra pagina 604. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Fratrum Ieſuatorum S. Hieronymi ſupplicat, pro conceſſione gratiarum conceſſarum, & concedendarum Ordini Fratrum Eremitarum S. Auguſtini. §. 1. Et hic Pont. eas Congregationi communicat. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Poſſunt ne iſti Fratres mutare habitum, quem his temporibus deferre conſueuerunt, cum videatur ab aliorum Religioſorum habitu, valde diuerſus?

RESP. Reſolutio pendet à veritate, vel non veritate hiſtoriæ, quam in ſuo Tract. de Statu Fratrum Ieſuatorum ſcripſit Anton. Corſet. dicens in quæſt. 4. tunicam albam, & caputium pro habitu ab Vrban. V. anno 1367. recepiſſe, & ab eorum Protectore griſiam clamydem deſuper deferendam collatam fuiſſe. Quo ſtante habitus mutatio non permittitur clemen. 1. de Renunciat. per quem tex. idem Corſett. ita concludit in quæſt. 15. Sed hoc non conceſſo, mutatio non poſſet impediri, Barbat. in cap. 2. de Foro Competen. nu. 83. vbi poſt alios videtur negare, per aliquam Bullam, his Fratribus habitum datum fuiſſe.

Schol. ſecundum.

Quæro. Licet ne his Fratribus, victum artificiolo ſuo quærere?

RESP. Licere probat tex. in cap. Nunquam 33. de Conſ. diſt. 5. Præſertim quod ijdem Fratres vitam Apoſtolorum imitantur. qui manualia pro victu exercebant, vt ſcribit Corſett. proximè citatus in quæſt. 14.

XXXVII.

Edita Anno 1533.

VOta, per quæ vos in humilitatis ſpiritu, & infra pagina 605. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bartholomæus Ferrarius, & Antonius Marias Zaccharias expoſito, quod ipſi cum alijs tribus eorum ſocijs, regularem vitam profiteri intendebant, obtinuerunt à Papa licentiam vouendi tria vota ſubſtantialia Religionis, & inſimul viuendi ſub obedientia Ordinarij, & denominatione Clericorum S. Pauli Decollati, in loco diœceſis Mediolanenſis. §. 1. & 2. Statutaque pro eorum ſalubri directione condendi. §. 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Qui fuerunt alij tres Socij hic non nominatij?

RESPON. Iacobum Antonium Morigia patritium Mediolanen. Franciſcum Leucum, & Baptiſtam Soreſinũ, primos illorum Patrum ſocios fuiſſe, perlegi in Hiſtor. d. Congregationis admodum R. P. Ioan. Antonij Gabatij Præpoſiti Collegij eiuſdem Congregationis in Vrbe mox in lucem eden.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quam Sedem iſta Congregatio primo loco habere cœpit?

RESP. Habuerunt Mediolani in quodam domicilio, & oratorio Regionis Portæ Ticinenſis, vbi varia pietatis opera exequebantur, quæ inferius à Paulo III. in ſua conſt. 5. referuntur.

XXXVIII.

Edita Anno 1533.

DVdum pro parte veſtra, & inf. pagina 605. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. Congregationem Clericorum Theatinorum confirmauit, vt in conſtit. 11. de qua ſup. pag. 575. Bullar. quæ multum profecit. §. 1. Idemque Pont. facultatem diſpenſandi, cum infirmis, & alijs, Præpoſito Congregationis tribuit. §. 2. & ſeqq. Et modo eadem approbat, & ab omnium ſuperioritate eximit. §. 5. Intrantes hunc Ordinem, votum intrandi Religionem impleuiſſe declarat. §. 6. Superiores Ordinis ad triennium confirmari poſſe indulget. §. 7. Habitum, & cærimonias deſignat. §. 8. Officialium munus præfinit. §. 9. Vocales in Capitulo deſignat. §. 11. Priuilegia aliorum Ordinum impertitur. §. 12. Contrarijs quã derogat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Illi Clerici, cur Theatinorum nomen ſortiti ſunt?

RESP. Quia præcipuus ex quatuor Congregationis fundatoribus in Vrbe extitit Ioan. Petrus Caraffa Epiſcopus Theatinus, vt in vita huius Pont. inquit Ciaconius, & Roderic. tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 3. artic. 14. & elegantiſſimè Antonius Caracciolus d. Congregationis profeſſor in libro, quem edidit de Vita Paul. IIII. (Fuit namque prædictus Io. Petrus ad Pontificatum euectus) & aliorum trium Sociorum anno 1612. fol. 120. & 199. Aduerte tamen corrigen. eſſe Roderic. præcit. in eo, quod affirmat anno 1528. iſtam Congregationem initiatam fuiſſe, cum de anno 1524. ab iſto Clem. VII. approbatam fuiſſe conſtet, ex eius conſtit. 11. de qua ſupra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo in loco primum iſta Congregatio habitare cœpit?

RESP. In Eccleſia S. Syluestri in Monte Quirinali Vrbis, ob cuius inuaſionem Duce Borbonio, fugit Venetias anno 1532. redijtque Romam ſub Paulo IIII. anno 1560. vt luculenter explicat Caracciol. in ſuo opere mox citat. Scribit etiam Nauarr. conſ. 1. de Conſecr. Eccleſ. per totum in notis. Vbi propterea Vrbem Romam huius Ordinis primum locum cenſeri conſultus reſpondet.

XXXIX.

Edita Anno 1533.

ROmanus Pontifex, qui ſolet, & infra pag. 606. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vrbanus VI. conceſſit nonnullis Prælatis, vt in eorum locis literæ Apoſtolicæ non exequerentur, niſi ab eis prius habita licentia. §. 1. Boniſatius IX. hoc indultum reuocauit. §. 2. Martinus V. in Concilio Conſtantienſi abrogauit. §. 3. Leo X. contrarias Conſtitutiones abſtulit. §. 4. Literas Apoſtolicas liberè exequi iuſſit. §. 5. Impedientibus literas Apoſtolicas, pœnas impoſuit. §. 6. Hic Pontifex Prædeceſſorum leges approbat, & renouat. §. 8. Quorumcunque contrarias conſtitutiones abrogat. §. 9. Liberè literas Apoſtolicas exequi mandat. §. 10. Pœnas in impedientes infligit. §. 11. Contrarijs quibuſcunque derogat. §. 13. Sanctionem pœnalem apponit audientibus infringere, vel ei auſu temerario contraire. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. De pœnis impedientium literarum Apoſtolicarum executionem, vbi plenè tractant ſcribentes?

RESP. Summiſtæ in verbo Excommunicatio. Nauarr. in Man. Confeſſor. cap. 27. vbi ſcribit explicationem Bullæ Cœnæ Domini. Gregor. XIII. Tolet. & Graff. in explic. ſimilis Bullæ Sixt. V. & Vgol. de Cenſur. in Comment. ad eiuſmodi Bullam Clement. VIII.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid importent illa verba Sanctionis pœnalis, *infringere, vel ei auſu temerario contraire?*

RESP. Exponit Bartol. in Extrauag. ad reprimendum dicens, verbum *infringere*, nedum contrarium factum de directo, ſed etiam per malitioſam interpretationem ſignificat; Et verba *auſu temerario*, ſignificant non ſolum dolum, ſed (quod minus eſt) temeritatem, & verbum *con-*

Digitized by Google

traire, intelligitur diſſimulando, vel *audiendo* contrarias allegationes.

XL.

Edita Anno 1534.

ETſi temporalium, & infra pagina. 609. Bullarij.

COMPENDIVM.

Roſarij B. Mariæ Virginis deuotionem, eiuſque augmentum narrat. §. 1. Sixtum IV. Leonem X. ſubdit eius Confraternitates approbaſſe, & Indulgentijs ditaſſe. §. 2. Confirmat ipſe omnia prędicta. §. 3. Declarat ſufficere Roſarium in curſu hebdomadæ recitari. §. 4. Indulgentias Stationum Vrbis à Leone X. Confratribus elargitas approbat. §. 5. Et auget. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Huius Roſarij myſteria, quis explicat?

RESP. Egregiè Nauarr. de Orat. Miſcellan. 29. per totum. Et in ſubſeq. Miſcell. 31. edocet etiam, qua intentione ſufficiat Roſarium recitare, ad ſatisfaciendum obligationi, quam habent Confratres, & poſt eum Soar. de Orat. lib. 3. cap. 9. num. 13.

Schol. ſecundum.

Quæro. Peccat nè quis per obliuionem, occupationem, vel negligentiam omittens illud dicere?

RESP. Non, ſecundum Nauarr. in loco citato Miſcell. 25. num. 14. verſ. Tertium, vbi aſſerit etiam id Statuto Confraternitatis declaratum fuiſſe.

XLI.

Edita Anno 1534.

ADmonet nos incumbentis nobis, & infra pag. 609. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Prælati, & Principes Germani vſurpabant diſpoſitiones beneficiorum, contra formam Concordatorum, de quibus in conſtitut. 1. Nicol. V. de qua ſup. pag. 62. §. 1. Eas hic Papa irritas decernit. §. 2. Prouiſiſque à Sede Apoſtolica iuxta formam dictorum Concordatorum iura, & actiones pręſeruat. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 4. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Eſt ne verum, quod etiam antiquitus Imperator Germanorum habebat Sedis Apoſtolicæ priuilegium, quod vnus in qualibet Eccleſia, eius intuitu reciperetur?

RESP. Sic inquit Speculat. in titul. de Præbend. §. 2. num. 7. & Campeg. de Reſeruat. Benefic. nu. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Multa, quæ circa hæc Concordata mihi ſæpè occurrunt, quis Author explicabit?

RESP. Vide Gregor. Tholoſ. de Benefic. cap. 1. & cap. 20. & Gregor. Branden. in ſuo nouo Opuſculo, ad Concordata Germaniæ addito, ac in ſpecie, quod Papa eis numquàm derogare cenſeatur, vide deciſ. Creſcen. 2. de Priuileg.

PAVLVS III. Romanus,

creatus Anno 1534.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1534.

RAtioni congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 610. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X. conceſſit Paulo Veneto, & eius Socijs Eremitis Camaldulenſibus ſtrictioris Obſeruantiæ intentis, vt vbique Eremitoria acquirerent, & habitum alijs dare poſſint. §. 1. Ille cum vno ſocio, ad Eremum Cryptarum, in diœceſi Exina ſe contulit, multi ad eos acceſſerunt, & plura eiſdem loca data fuerunt. §. 2. Redijt ad Vicarium generalem Ordinis Camaldulenſis, & ab eo loca quinque impetrauit, & ſic fuit inſtituta Societas Eremitarum S. Romualdi ab eius eius Prçlatis ſeparatim regenda. §. 3. Clemens VII. hęc approbauit. §. 4. Et Statuta d. Societatis confirmauit. §. 5. Eamque S. Romualdi nuncupari voluit. §. 6. Regique ab vno Maiore præcepit. §. 7. Facultatem Capitula cogendi, & alia faciendi dedit. §. 8. Reformationes, & indulta comprobauit. §. 9. Barbam deferendi, licentiam impertitus eſt. §. 10. Exemptionem à ſuperioritate Ordinariorum, & aliorum conceſſit. §. 11. Decimarumque, & aliorum onerum ſolutione. §. 12. Sacros Ordines etiam ſuſcipiendi. §. 13. Ingreſſum ad Eremitoria mulieribus vetuit. §. 14. Alienandi bona in euidentem vtilitatem, licentiam dedit. §. 15. Onera perpetua eorum bonis annexa, ad annos 30. reduxit. §. 16. Curam animarum certorum locorum permutari indulſit. §. 17. Nouaq; Eremitoria ædificari. §. 18. Relictos etiam cuiuſcunque Ordinis recipere. §. 19. Priuilegia aliorum Ordinum communicauit. §. 20. & ſeqq. Dubia exorıunda ad fauorem Societatis interpretari voluit. §. 23. Contrarijs omnibus derogauit. §. 25. Hic Pont. prędictas literas à Clem. VII. eius ſuperueniente obitu non expeditas, relaxat. §. 26. Eorumque executores deputat. §. 24. & 27.

Schol. primum.

Quæro. Hæc vita in Eremo eſt ne perfectior vita in Societate?

Edita Anno 1534.

RESPON. Eſt quidem, ſi debitè aſſumatur, alioquin periculoſiſſimum eſt habitare in ſolitudine, vt ſcribit S. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 8. Sylueſt. in verbo Eremita, & Alberic. in ſuo Diction. Sed in propoſito noſtro iſta vita Eremitica in hac Societate aliorum Eremitarum S. Romualdi, vt dicitur hic in Bulla, huiuſmodi periculo ſubeſſe non videtur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quod dixiſti de Eremiticæ vitæ aſſumptione, quomodo intelligis?

RESPON. Secundum S. Thom. & Nauar. vbi ſupra, Nempè cum, vel ſpeciali dono Dei, vel magnarum virtutum exercitio, perfectus iam ſit, qui ad verè ſolitariam vitam ſe transfert.

II.

INter curas multiplices, & infra pagina 614. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouinciales, & Miniſtri Ordib. Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Prouinciç Portugalliæ expoſuerunt, à nunnullis dubitari, an gratiæ, & indulta dicti Ordini, & perſonis Prouinciæ Caſtellæ, legionis, Bæticæ, vel in genere toti Ordini elargita, ſint etiam eis communia, Vnde ijdem multa damna patiuntur. §. 1. Hic ideò Pontifex illa in omnibus, & per omnia communicat. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3. Quibuſcunque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si illi de Prouincia Bæthicæ, aliquod priuilegium directè ſibi conceſſum, per non vſum perdiderunt, dicetur etiam perditum, quoad Fratres Prouinciæ Portugalliæ, quibus hic eſt communicatum?

RESP. Poſt communicationem, illa Prouincia non poteſt iſti præiudicare, cum ſit ei ius acquiſitum, & priuilegium effectum proprium, nec vni per alterum iniqua conditio inferri poteſt l. Non debet 75. ff. de Regul. Iur. vbi gloſ. allegat. concord. & in ſimili priuilegio Ordinum, ſic tenet Roder. in Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 8. artic. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ergo per non vſum Fratrum, amittitur priuilegium Ordini conceſſum?

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Non, imò, & neque per contrauentionem, vt egregiè probat Panormit. in cap. Cum acceſſiſſent. 8. de Conſtitut. ſub num. 7. & Syluester in verbo, Priuilegium, quæſt. 1. Intellige tamen dummodò non concurrat etiam curſus 40. annorum, iuxta doct. Iaſ. qui antiquiores citat in l. 2. Cod. de diuerſ. reſcript. num. 4.

III.

Edita Anno 1534. & 1543.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pagina 615. *Item*, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pagina 616. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum fuerit dubitatum, an Referendarij, & alij Officiales, ex Palatio panem habentes, Secretarij Apoſtolici, literarum Apoſtolicarum Scriptores, Cubicularij, Milites S. Petri, cæterique Officiales Papæ, in eodem Palatio deſeruientes, ſint veri eius familiares, & continui commenſales. §. 1. Hic Pontifex declarat prædictos Referendarios, & alios Officiales, ex Palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolytos, Scutiferos, Secretarios, Scriptores, Cubicularios, & Milites S. Petri, alioſque Officiales Papæ in Palatio deſeruientes, aut cuſtodiam facientes, veros eſſe Papæ familiares, & commenſales, licet ibi non habitent, & in tinello non comedant. §. 2. Itaut regulis de veris familiaribus, & commenſalibus potiantur, & ſubijciantur, etiam ad hoc, vt eorum beneficia ad Papæ collationem pertineant. § 3. Declarat alterum ſufficere, panem ſcilicet habere, vel cuſtodiam facere in ſubſeq. conſt. §. 2. Declarat inſuper Officiales ſupra nominatos comprehendi in dicta regula, etiamſi panem non haberent, aut ſeruiant. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si aliquis ex dictis Officialibus familiaribus Papæ deſijt eſſe familiaris, dicentur beneficia cùm vacant reſeruata?

R E S P. Reſeruata cenſentur, vt expreſsè declaratum eſt in prima Regula Cancellariæ, de qua meminit Gonzal. ſuper. 8. Regul. Cancell. gloſ. 51. num. 31.

Schol. ſecundum.

Quæro. Concordata Germaniæ, in quibus reſeruantur beneficia ſeptem Protonotariorum, & eorum qui veri ſunt familiares, continui commẽſales Papæ, intelliguntur etiam de alijs Protonotarijs adiunctis, & de familiaribus hic declaratis?

R E S P O N. Non, quia ſunt familiares ex priuilegio, quod non præiudicat dictis concordatis, vt in ſpecie ſic cenſuit Rota in deciſ. Robuſtet. 303. par. 2. Diuerſor. per totam, & in alio ſimili caſu idem tenuit in deciſ. Seraphin. 1251. numer. 6.

IV.

Edita Anno 1535.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pagina 617.

COMPENDIVM.

Ciuitati Bononiæ in exordio ſui Pontificatus hic Pont. indultum inſtituendi in ea Rotam, ad cognoſcendas, decidendaſque cauſas ciuiles conceſſit. §. 1. Eadem Ciuitas ſupplicat pro indulto, ne ex d. Rota auocentur cauſæ in ea pendentes. §. 2. Et Papa concedit non poſſe auocari, niſi de conſenſu partium, aut per commiſſionem ſignatam manu Papæ. §. 3. Attentanda in contrarium irritat. §. 4. Contraria omnia remouet. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid agendum, ſi Auditores in votis reddendis diſcordarent in partes æquales?

R E S P. Sæpius eſt cauſa proponenda, quouſq; maior pars in vnam incidat ſententiam; Et ſi perduraret inæqualitas, crederem, quod conſulendus eſſet Illuſtriſſimus D. Cardinalis Legatus, aut Gubernator, vt in ſimili de Rota Romana ſcribit Imol. in clem. Auditor de Reſcrip. & refert Marta in ſuo liberculo de Tribunalibus Vrbis cap. 4. num. 9.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ob quam cauſam maior numerus votorum attenditur in Rotis, & non ſanius votum antiquorum Auditorum?

R E S P O N. Quia cum ſinguli ſint viri ſapientes, illud ſanius dicitur eſſe iudicium, quod plurimorum voto firmatur, cap. Prudentiam 21. de Offic. deleg. Bald. in l. humanum 8. Cod. de legib. num. 1. & refert Marta in loco mox allegato.

V.

Edita Anno 1535. & 1543.

DVdum fel. rec. Clementi Papæ VII. & infra pag. 617. *Item*, Paſtoralis officij, & infra pagina 618. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert approbationem Clementis VII. de Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli decollati, de qua ſupra in ſua conſtitut. 73. pag. 117. in proœm. Dat eidem licentiam emittendi tria vota ſubſtantialia. §. 1. & 2. Habitum clericalem deferendi, in communi viuendi, & de communi, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 3. Præpoſitum ad triennium eligendi. §. 4. Alios ad Ordinem recipiendi §. 5. Officia diuina recitandi iuxta vſum, & morem S. R. Eccleſiæ, & ad alium vſum cogi non poſſe declarat. §. 6. & ſeq. Sacramenta adminiſtrandi. §. 7. Præpoſitoque dat facultatem diſpenſandi circa recitationem officij, cum infirmis, & de eis curam habentibus. §. 8. Et etiam circa ieiunia. §. 9. Certam formam in abſoluendis confitentibus Clericis de Congregatione indulget. §. 10. Templumque ſub denominatione Sancti Pauli conſtituendi. §. 11. Priuilegia Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium concedit. §. 12. Contrarijſque derogat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Cur iſta Congregatio nomen S. Pauli Decollati ſortita eſt?

R E S P. Quia in exordio huius Congregationis Patronum, ac titularem eius elegerunt Patres S. Paulum Apoſtolum, & frequenter (vt ab eis accepi) in contemplatione vitæ, & actorum, & ſignanter paſſionis eius verſari conſueuerunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Ob quam cauſam, ad alium vſum, quam ad recitationem diuinorum officiorum iuxta Breuiarium Romanum cogi poſſe iſti Clerici vetiti ſunt?

R E S P. Suſpicor ex eo, quod Mediolani celebrantur etiam diuina, iuxta ritum Ambroſianum, vt iam dixi ad Eugenij IV. Conſt. 22. de qua ſup. pag. 60.

VI.

Edita Anno 1535.

CVm nobis conſtet per fel. recor. Clem. VII. & infra pag. 619. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Clementem VII. edidiſſe conſtitut. 4. de qua ſupra pagina 108. ſuper iuriſdictione Curiæ Ripettæ Vrbis, in proœm. Eamque confirmat. §. 1. Clauſulas preſeruatiuas addit. §. 2. Cauſas criminales in Ripa, & eius diſtrictu, in cauſis Ripalibus, vel in Ripis quocunque modo prouenientibus Camerarium Ripæ cognoſcere iubet. §. 3. Carceratos pro cauſis Ripalibus, à dicto Camerario tantum relaxari poſſe decernit. §. 4. & ſeqq. Quibuſcumq; non obſtan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quando dicetur delictum commiſſum in Ripis Tiberis, de quibus in §. 3.?

R E S P. Ripæ appellatione nedum venit locus à plano ad aquam declinans, ad tex. in l. 3. §. 1. ff. de Fluminibus Bald. conſ. 463. lib. 4. num. 2. Sed etiam totum terrenum, quod continet Flumen Tiberis, ſecundum naturalem decurſum. l. 1. §. 1. eod. titul. Alexand. conſ. 120. lib. 2. num. 7.

Digitized by Google

Quare ſiue in flumine, ſiue in Ripis delinquatur, in Ripis delictum patratum dicitor, ex prędictis, Et ferè in terminis Batt. de Fluminibus. §. 1. ſub nu. 18.

Schol. ſecundum.

Quæro. Delictum in cauſa ripali, quando commiſſum dicitur?

R E S P. Cum producerentur in ea ſcripturæ falſæ, vel teſtis falſum deponeret, vel eius occaſione collitigantes ſe offenderent, & ſimilia, ad tex. & ibi latè Scribb, communiter in l. Nullum. 12. Cod. de Teſtib.

VII.

Edita Anno 1535. & 1538.

EIus, qui immobilis permanens, & infra pag. 619. *Item*, Cum Redemptor noſter, & infra pagin. 623. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Heoricus VIII. Angliæ Rex, poſtquam à Leone X. in ſua conſt. 45. de qua ſup. pag. 105. titulo Deſenſoris fidei donatus fuerat, deuians à recta fide, Catherinam eius legitimam conniugem, nulla exiſtente cauſa repudiauit, de facto cum Anna Bolena matrimonium cōtraxit, & inter alia ſe capitt Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, omneſq; etiam Regulares, & Prælatos ſuis legibus inobedientes carcerari, & Ioannem tit. S. Vitalis Cardioalem Roſten. decollari fecit. §. 1. Clemens VII. illum ideò excommunicauit, qui tamen deterior euaſit. §. 2. Hic Pontifex eumdem Regem, & eius ſequaces, benigne ad reſipiſcentiam hortatur. §. 3. & 4. Cōplices, & fautores monet, vt deſiſtant. §. 5. Inobedientes maioris excommunicationis ſententia innodat. § 6. Regem, & alios vocat ad comparendum alioquin in pœnas priuationis Regni, & excommunicationis incidiſſe declarat. §. 7. Loca, ad quæ declinabit interdicto Eccleſiaſtico ſupponit. §. 8. Filioſque eorum omnibus priuilegijs, ac bonis priuat, & inhabilitat. §. 9 Subditos ab obedientia eximit. §. 10. Deſcendentibus eorum multas pœnas imponit. §. 11. Commercium illorum Chriſti fidelibus interdicit. §. 12. Prælatos à Regno Angliæ diſcedere mandat. §. 13. Duces, & alios, vt Henricum, & complices de Regnu expellant, iubet. §. 14. Principum Chriſtianorum confœderationes cum Henrico irritat. §. 15. Illiſque contra Henricum arma capere præcipit. §. 16. Infideles, & inobedientes eorum ſeruos, & bona, occupantium fieri decernit. §. 17. Prælatis, & alijs Henricum, & complices in Eccleſijs excommunicatos publicari mandat. §. 18. Publicationem impedientes, eiſdem pœnis ſubijcit. §. 19. Poſtea Principibus, & alijs inſignibus perſonis inſtantibus, per triennium ſub ſpe conuerſionis ſuperſedet in alia conſtit. ſubſeq. §. 2. Et cum ille magis impioba feceris, & oſſa S. Thomæ Cantuarienſis in ventum ſpargi iuſſit, & donaria ſibi applicauit. § 3. Supradictam bullam publicari mandat. §. 4. Tranſumptis credi iubet. §. 5. Contrarijs derogat. §. 6. Sanctionemq; pœnalem addit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Num verum ſit Britanoiam, ſeu Angliam, ab ortu Euangelij Chriſtianam Religionem recepiſſe?

R E S P O N. Verum eſſe probat Gildas de Excid. Britanniæ, quod Polydor. Vergil. lib. 2. Hiſtor. Angliæ ſic accidiſſe deſcribit. Cum Ioſeph ille, qui teſte Mattheo Euangeliſta ab Arimathiæ Ciuitate oriundus, Chriſti corpus ſepeltuerat, ſiue caſo, ſiue conſilio, ita voleote Deo, cum non paruo comitatu in Britanoiam venit, vbi tam ipſe, quàm eius ſocij, cum de Euangelio prędicarent, atq; dogma Chriſti ſedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, ſalutiferaq; fruge imbuti, baptizati ſunt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vltra Cardinalis Roffen. occiſionem, de qua in §. 1. alij ne etiam religioſi viri necati fuere?

R E S P. Thomas Morus Regni Angliæ Cancellarius eo, quod ipſe, & antedictus Cardioalis, impio Regis edicto ſubſcribere noluerunt. Ad hęc, Clerici, & Monachi crudeliter cæſi, templa vaſtata, cruciatibuſque, & multorum Chriſtianorum ſanguine omnia infeſtata fuerunt. Ciacon. in vita huius Pont. verſ. interim pag. mihi 1108.

IIIV.

Edita Anno 1535.

ILlius vices in terris gerentes, & infra pagina 624. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Clemens VII. percepto, quod aliqui in partibus Regni Portugalliæ, & domioij Portugalliæ, & Algabiorum Regis, noui Chriſtiani ad ritum Iudæorum redibant, & alij ex Chriſtianis parentibus orti, vel ritum eumdem, & alij Lutheraoam, & alias hæreſes ſequebantur, Commiſſarium, & ſuper præmiſſis Inquiſitorem deſtinauit. §. 1. Poſtea eius facultatem ad beneplacitum ſuſpendit. §. 2. Deinde reuertentes ad fidem abſoluit, & pęnas condonauit. §. 3. Eoſque, & ſucceſſores ad dignitates habilitauit, & indultis Chriſtianorum vti poſſe decreuit. §. 4. Confiſcationes boOorum, Fiſco non incorporatorum, reſtituit, & proceſſus, ac ſenteotias deleuit. §. 5. Habentes fidem Confeſſorum, vel in eorum libris adnotatos tutoa eſſe declaraoit. §. 6. Cōdemnatos publicè abiurare decreuit. §. 7. Sennentibus ſe grauatos, recurſum ad eius Nuocium conceſſit. §. 8. Relapſos autem debitis pœnis puniri iuſſit. §. 9. Diffamatos coram Nootio ſe purgare induiſit. §. 10. Contra nouiter conuerſos, & eorum ſucceſſores, quorum informationes ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſæ ſunt, ſuperſederi iuſſit. §. 12. Contrauenientibus graues pœnas impoſuit. §. 13. & ſeq. Nuncium ſuæ bullæ executorem deputauit. §. 15. Regem, vt Nuncio aſſiſteret, rogauit §. 16. Poſtea publicationem bullæ ſuſpendit. §. 17. Deinde eam publicari pręcipit, §. 18. Hic aotem Pontifex iterum ſuperſederi iuſſit §. 19. Et poſtea eam exequi mandauit. §. 20. Et modo efficaciam dictatum literarū circa abſolutiones, declarat, & ampliat. §. 21. & ſeq. Indultis quoque, & priuilegijs Chriſtianorum gaudere poſſe declarat. §. 23. Condemnationes irritat, & in priſtino ſtatu eos reponit. §. 4. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 25. Executores huius conſtit. deputat. §. 26. Contrarijs derogat. §. 27.

Schol. primum.

Quæro. Hæreticum ne eſſet aſſerere, hunc Pontificem huiuſmodi crimina Eccleſiaſtica præterita dimittere non potuiſſe?

R E S P. Hæreticum eſſe, probat Oldrad. in conſ. 271. nom. 2. & ſeq. Dec. conſ. 137. num. 2. & in terminis huius Bullæ, & remiſſionis. Pariſ. conſ. 1. lib. 4. nu. 6. & ſeqq. vbi late.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc veniæ impetratio, contioet in ſe criminis confeſſionem?

R E S P. Non, teſte Iaſ. in l. 1. ff. de Oper. nou. nunciat. num. 4. & in terminis hoius Bullæ, Pariſ. io cooſil. iam citato num. 87. & ſeqq. cum alijs per eos allegatis.

XI.

Edita Anno 1535.

NOn ſine animi noſtri, & infra pagina 629. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Cauſas feudales, & alias inter Fiſcum, & priuatum in Camera Apoſtolica ſolummodo agi mandat, in omnibus inſtantijs. §. 1. Et inde noo niſi ex reſcripto manu Papæ ſignato, aoocari decernit. §. 2. Quibuſcunque noo obſtantibus. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quo pacto vertitur lis inter Fiſcum, & priuatum, vt in §. 1. cum dicat Bal. in l. Executorem 8. Cod de Execut. rei iud. ſub num. 41. quod Fiſcus eſt perſona imaginaria?

R E S P. Baldum intelligen. puto, de Fiſco in abſtracto, accipiendo Fiſcum pro illo Fiſco oleario, ſeu ciſta, de quibus

bus

Digitized by Google

bus dictum eſt ſup. ad Schol. 1. conſtit. 20. Clem. VII. fol. 117. quod ærarium nuncupatur ad gloſ. & Scribb. in l.2.Cod. de Numerar. lib. 12. Peregr. de Iure Fiſci, lib. 1. tit.1.37.& ſeq. Et ita loquendo idem dicendum eſt de Camera Apoſtolica, dum ſolum ærarium ſignificat. Sed ſecus eſt, accipiendo Fiſcum, pro Procuratore ærarij, & Cameram pro Camerariu, & Clericis, Officialibuſque ipſius Ærarij: tunc enim tam ille, quàm iſti obtinent vicem perſonæ, & ſunt Miniſtri Cameræ ad Dec. in conſil. 404. nu. 3. & ideò Camera dicitur perſonaliter citata, ſi Fiſcus ipſe perſonaliter citatus eſt, & dicitur Incola Vrbis, vbi Camera inſtituta eſt. Bald. in auth. Sed cum teſtator. Cod. Ad leg. falcid. nu. 5. & 6. & Bart. in l. 1. Cod. ad Municipal. lib. 12. nu. 12.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne hæc Bulla loquitur ſolum de cauſis ciuilibus?

RESP. Claré liquet ex illis verbis *cauſas feudales*, quæ proculdubio ciuiles ſunt, & expreſſit hoc Genitor meus in rubrica, quam firmauit ad hanc Bullam; Nec verbum *alias* obſtat, cum intelligatur de cauſis ſimilis qualitatis, gloſ. & Scribb. in l. 3. Cod. de Seruis fugit. Paris, conſ. 158. lib. 4. num. 1. Oſaſc. deciſ. Pedemont. 167. num. 7. Aduerte tamen, quod hodie vltra quaſdam cauſas criminales, has lites ciuiles agit alius procurator Cameræ, Commiſſarius nuncupatus, vt habetur infra in conſtitut. 87. Pij IIII. §. 47. Fiſcus autem criminales in omnibus Curijs agit, ſed non propterea deſijt eſſe Procurator Cameræ, & in ea ſedet, cum ad Cameram omnes pœnæ per eum deueniant.

X.

Edita Anno 1536.

CONſueuerunt Romani Pontifices, & infra pag. 629. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iuxta antiquum morem Romanorum Pontificum, anathematizat quoſcumque hæreticos, eorumque fautores, §. 1. Piratasque maritimos. §. 2. Pedagia noua imponentes, vel prohibita exigentes. §. 3. Falſificantes literas Apoſtolicas § 4. Arma, & alia prohibita ad Chriſtiani nominis inimicos deferentes. § 5. Impedientes deferentem victualia ad Vrbem, eiſque fauentes. §. 6. Vexantes ſine iuriſdictione degentem in Curia. §. 7. Offendentes Prælatos, eorumque mandatores § 8. Ledentes recurrentem ad Roman. Curiam, vel in ea negotia proſequen. §. 9. Iudices ſæculares, trahentes coram ſe perſonas Eccleſiaſticas. §. 11. Statuentes aliquid contra libertatem Eccleſiaſticam. §. 12. Vſurpantes bona, & iuriſdictiones Eccleſiarum. §. 13. Impedientes executionem ſententiarum Iudicum Eccleſiaſticorum. §. 14. Offendentes Romipetas deuotionis gratia. §. 15. Occupantes bona Sedis Apoſtolicæ. §. 16. Diripientes Sacra Eccleſiarum Vrbis. §. 17. Contraria, quæcumque ſint, non obſtare decernit. §. 18. Abſolutionem ſibi reſeruat. §. 19. Aliter facientibus pœnas indicit. §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt imponere noua pedagia, de quibus in §. 3.?

RESPON. Eſt non ſolum noua inſtituere, aliàs non exacta, vt explicat Rebuff. in ſuis Comment. ad hanc bullam, de quibus in ſua Praxi Benef. Sed etiam antiqua augere, vt poſt alios, edocet Salon. de Contract. in tit. de Vectigal. contr. 3. ſub num. 4. verſ. Tertio, vbi alios congerit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi pedagium in alijs locis exigitur, an dicatur nouum, reſpectu eius Domini, qui modò exigere nunquam exactum intendit?

RESP. Nouum dicitur, quia Papa conſiderauit nouitatem in Terris imponentis, aduertendo illa verba, *in Terris ſuis*, Quod perpendit etiam Vgolin. de Cenſur. Eccleſ. part. 2. ſuper Comment. ſuis ad bullam Cœnæ Domini editam à Clem. VIII. pag. 152. Bullar.

XI.

EXponi nobis nuper, & infra pagina 632. Bullarij. Edita Anno 1536.

COMPENDIVM.

Clemens VII. in ſua conſtitut. 21. de qua ſup. pag. 113. Congregationem Fratrum Capuccinorum S. Franciſci approbauit, in proœm. Hic Pontifex confirmat. §. 2. & 3. Vicario d. Congregationis facultatem quolibet triennio Capitulum cogendi, tribuit. §. 4. Vicarium generalem ex Capuccinis eligi, & electum Magiſtro generali Fratrum Conuentualium, ſe præſentare iubet. §. 4. A quo confirmari, & regimen Congregationis ei dari mandat. § 5. Vicario autem generali deficiente, Vicarium prouincialem, Capitulum pro alterius electione congregare, & primum Diffinitorem interim Vicarij generalis officium exercere, decernit. §. 6. Idemque ſeruari vult, deficientibus Vicarijs prouincialibus. §. 7. Magiſtrum generalem Ordinis tantum, Capuccinos viſitare, & corrigere poſſe indulget. §. 8. Habitum Capuccinorum cæteris prohibet. §. 9. Capuccinos eorum Vicarijs obediendo, plenè S. Franciſci regulis ſatisfacere declarat § 10. Executores huius Bullæ deputat, §. 11. Contrarijſque derogat. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Eſt ne verum, quod hic idem Pontifex, hos Capuccinos, vltra montes ſe transferre, & noua loca ibi acceptare vetuit?

RESP. Ille Pontifex id vetuit, donec à ſe in Capitulo generali tunc Romæ celebrandu, aliud ſuper eo determinatum foret, & Congregatio nihil in contrarium attentare voluit, vſquequo Gregorius XIII. ſpeciali reſcripto die 6. Maij 1574. eidem Congregationi, ad omnes Orbis partes, liberè tranſeundi, & loca fundandi, licentiam impertitus fuit, vt in authentico apud Capuccinos Romæ aſſeruato, ipſe perlegi.

Schol. ſecundum.

Quæro. Capucij vſus, de quo tempore promotus fuit?

RESP. Ante Pontificatum Iulij II. ad Sedem Pontificiam anno 1503. erecti, Capuccinos Eremitas extitiſſe, tibi dixi ad conſtitut. 21. Clem. VII. de qua ſup. pag. 113. Et nunc ſubdo, quod Ciacon. in vita Greg. X. ſcribit, quòd ante annum 1260. Fratres Capucio vtebantur. Quinimò in Compend. Priuileg. Fratr. Minor. paulo poſt princ. inquit Sorbus, quod etiam B. Franciſcus dum viueret eo vſus fuit.

XII.

Edita Anno 1537.

ROmani Pontificis conſueta benignitas, & infra pagina 634. *Item*, Attendentes continuos labores, & infra pag. 634. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. Leo X. & Clemens VII. multa priuilegia Auditoribus Rotæ Romanæ & eorum Locatenentibus cõceſſerunt. §. 1. Ob eorum merita, & labores, hic Pont. ea confirmat. §. 2. Indulta conceſſa, & concedenda Referendarijs iſtis Auditoribus communicat, & de nouo concedit. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrarijs omnibus derogat. §. 5. Exemptionem à ſolutione gabellarum Clemens VII. dederat, & hic Pont. pro quindecim vegetibus vini pro eorum vſu, & victu ad eius beneplacitum elargitur in §. 1. ſubſeq. bullæ?

Schol. primum.

Quæro. Hæc priuilegia competunt Auditoribus, à die ſcientiæ, vel potius adepti officij?

RESPON. Controuerſa eſt iſta quæſtio ex his, quæ ſcripſit Iaſ. in l. 4. ff. de Conſtitut. princip. num. 51. Sed opinio quod competat à die adepti officij verior eſt, in priuilegijs datis ratione officij, Rota in deciſ. Pur. 21. lib. 2. in Nouis, vbi loquitur de ſimilibus priuilegijs Referendariorum.

Schol.

Quæro. Hæc indulta per modum conſtitutionis elargita, operantur ne antequàm publicata fuerint?

R E S P. Operantur ante publicationem, & immediatè poſt conceſſionem, Rota in deciſ. Putei. 141. lib. 2. in Nouis num. 1.

Edita Anno ....

XIII.

CVm ſicut accepimus, & infra pagina 635. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt Mulieres coniugatæ in Vrbe, inhoneſtam vitam ducere affectantes, à maritis cautiones de non offendendo petere retardentur, omnibus Officialibus mandat, ne eas, ad has cautiones petendas, vel quouis modo cum maritis litigandum, admittant, niſi ipſis mulieribus in loco honeſto prius collocatis. §. 1. In contrarium acta irritat ibidem. Suum in Vrbe Vicarium huius conſtitutionis executorem deputat. §. 2. Quibuſcunque non obſtan. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *quouis modo*, ſunt tantæ virtutis, vt includant etiam litem iuſta de cauſa, vt puta ob viri ſæuitiam, motam?

R E S P. Verior mihi ea videtur intelligentia, vt cauſam liciam non comprehendant, cum enim ſit expreſſa vna cauſa illicita, ſequentia verba, quantumuis generalia, ad ſimilia reſtringuntur ad ea, quæ in ſimilibus terminis tradit Roman. conſ. 92. ſub num. 3. & Aymo conſ. 3. nu. 4. & ſeqq. Rota in deciſ. Seraphin. 569. num. 3. vbi alia Aymonis conſilia allegat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si maritus ſemel dedit fideiuſſorem idoneum, deinde decoctum, tenebitur alium præſtare nouum, & idoneum fideiuſſorem?

R E S P O N. Text. eſt clarus pro vxore, in l. 4. ff. Vt in poſſ. legat. Quamuis aliter forte dicen. eſſet, ſi Vxor ſciens fideiuſſorem pauperem, illum acceptauerit ad Bald. in l. Quoties. ff. Qui ſatiſd. cogant. nu. 2.

XIV.

Edita Anno 1537.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pagina 635. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. in ſua conſtit. 15. de qua ſup. pag. 87. erexit Collegium Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ, eiſque baſtardos, manſeres, & nothos, ex quocunque coitu procreatos, etiam ſtantibus legitimis, ſine præiudicio venientium ab inteſtato, legitimandi facultatem dedit. §. 1. Et illi ſtantibus etiam filijs legitimis, & naturalibus legitimarunt. §. 2. Dubitari contigit de validitate dictarum legitimationum. §. 2. Hic Pont. declarat validas eſſe etiam in futurum fiendas. §. 3. Et ita, & non alias iudicari mandat. §. 4. Quibuſcunque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid de filijs legitimis non facta mentione, legitimatio nulla ſit?

R E S P. Nullam eſſe tenuit Rota in deciſ. Seraphin. 351. num. 18. in Nouis, & in deciſ. 1331. num. 3. vbi tamen num. 9. declarat ſufficere, appoſitam eſſe clauſulam, *ſine præiudicio venientium ab inteſtato*, nam per eam videtur in genere cogitatum fuiſſe de filijs.

Schol. ſecundum.

Quæro. Erunt ne citandi filij, inſtante patre, pro legitimatione baſtardi?

R E S P. Non, ſi de eis ſit facta mentio in legitimatione, quia abſolutè poteſt eis pater præiudicare; ſed ſi de eis non fieret mentio, citari deberet, ſic declarauit Rota in deciſ. Putei 89. lib. 2. in Nouiſ.

XV.

Edita Anno 1537.

BEnignitas Sedis Apoſtolicæ conſueta, & infra pag. 636. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontifices, Congregationi Monachorum Caſſinen. aliàs S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti multas gratias elargiti ſunt. §. 1. Vrbanus II. conceſſit Abbati Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis Caſſinen. alia Monaſteria ædificandi, & pontificalia, quibuſdam exceptis exercendi. §. 2. Exemitque legata Congregationi à portione diœceſanorum. §. 3. Perturbatores dictorum priuilegiorum excommunicandos eſſe decreuit. §. 4. Eugenius IV. Abbati Monaſterij S. Pauli extra mœnia Vrbis conceſſit, poſſe cum mitra celebrare, & minores Ordines Monachis conferre. §. 5. Centenariamque præſcriptionem eſſe neceſſariam ſicut contra Eccleſiam Romanam. §. 6. Alexander VI. hæc priuilegia, in dubio ad fauorem Congregationis iuſſit interpretari. §. 7. Priuilegiaque inter omnia Monaſteria communicauit. §. 8. Hic Pont. prædicta omnia comprobat. §. 9. & 10. Et iteratò concedit. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Aliud ne Monaſterium huius Ordinis, gaudet hoc priuilegio pręſcriptionis, de qua in §. 6.?

R E S P. Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis apud Salernum, in Prouincia Picentinorum, hoc eodem centenariæ pręſcriptionis priuilegio donatum apparet, ex diplomate Vrb. II. anno ſalutis 1092. quod multis mendis ſcatens impreſſum legi in princ. collectionis priuilegiorum Apoſtolicorum pro Regularibus F. Emanuelis Roderici mox Turonis editæ anno 1609. Quod tamen huiuſmodi mendis abſolutum, perlege apud Baron. in Annalibus Eccleſiaſt. tom. 11. pag. 636. Habitum tamen à R. P. Conſtantino Caietano huius Congregationis Caſſinen. Monacho, & Abbate præſidente Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti in Vrbe à Sanctiſſimo D. N. Gregorio XV. nuper eodem clari nominis viro, Abbate pręd ctu id enixè poſtulante, inſtituti.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hoc priuilegium præſcriptionis intelligitur etiam quoad bona omnia cuiuſcunque generis?

R E S P. Stante æquiparatione, quæ fit de iſta Eccleſia S. Pauli ad Eccleſiam Romanam, magis recepta opinio eſt, quod priuilegium intelligatur etiam de omnibus, adſcripta per Felyn. in cap. Ad audientiam. 13. de Præſcript. num. 26. Balb. in ſuo tract. de Præſcript. in 4. par. 4. partis princip. num. 23. Panormitan. in cap. 3. de Confir. vtil. vel inutil. num. 1.

XVI.

LIcet poteſtatis plenitudine, & infra pagina 637. Bullarij.

Edita Anno 1538.

COMPENDIVM.

Papa decreuit Placentiam ſe conferre, ex vrgentiſſimis negocijs fidei, & publici commodi Chriſtianæ Reipublicæ, & ideò Vincentium tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, Cardinalem in Vrbe, eiuſque territorio, & diſtrictu Legatum deputat. §. 1. Cum facultate quaſcunque cauſas etiam exemptorum cognoſcendi. §. 2. Eaſque in Curia, & extra committendi. §. 3. Derogandique his priuilegijs, quibus Signatura Iuſtitiæ derogare poteſt. §. 4. Vnum, vel duos Referendarios deputandi. §. 5. Et nonnulla beneficia Eccleſiaſtica conferendi. §. 6. Et contra Officiales, Curiales Barones, & Communitates iuſdicendi. §. 7. Et ad multa diſponendi. §. 8. Regulis Cancellariæ derogandi. §. 9. A cenſuris abſoluendi. §. 10. Commiſſiones in forma, ſi in euidentem vtilitatem ſignandi. §. 11. Contradictores coercendi. §. 12. Omniaque ad commodum Status Eccleſiaſtici, quæ Pontifex met facere poteſt, faciendi. §. 13. Et vſum quarumcumque facultatum, alijs Legatis conceſſarum. §. 14. & ſeq. Quibuſcumque non obſtan. §. 18. Et quod Legatus in ſuis expeditionibus has facultates inſerere non teneatur. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Si Papa obijſſet durante Legatione, eius Officium fortaſſe expiraſſet?

R E S P. Non, quia Legatus dicitur Ordinarius, non pro-

propriè delegatus, tex. eſt in cap. 2. vbi gloſ. & Scribb. communiter de Offic. leg. in 6. Quamuis quoad collationes beneficiorum, impropriè dicatur Ordinarius, Rota in deciſ. Creſc. 10. de Præbend. per totam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Valeret ne lex, ab eo perpetuò condita?

RESPON. Ita ſanè probat, tex. in cap. fin. de Offic. legat. & Rota in deciſ. 536. Seraphini in Nouis num. 4. vbi tamen hoc intelligit de lege, quæ non ſit contra ius, quia eo caſu non valeret.

VXII.

Edita Anno 1538. & 1544.

OFficij noſtri debitum, & infra pagina. 640. *Item* Ex debito Paſtoralis Officij, & infra pagin. 641. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius VI. Auinioni degens in ſua conſtitut. 1. de qua ſup. pag. 44. Aegidium Cardinalem Legatum delegit, ad Ciuitates, & loca Sedi Apoſtolicæ ſubiecta. §. 1. Sixtus IV. in ſua conſtit. 15. de qua ſup. pag. 73. conſtitutiones ab ipſo Aegidio editas, in vnum volumen redactas obſeruari iuſſit. §. 2. Eaſque ad Vrbem, & alia loca ſpecialis gubernij, extendit. §. 3. Leo X. in Concilio Lateranenſi approbauit, & hic Pont. eamdem obſeruantiam præcipit. §. 4. Et ſecundum eas iudicari mandat. §. 5. Contrarijſque derogat. §. 6. Et in conſtitutione huic annexa ſubdit, Cardinalem de Carpo, Prouinciæ Marchiæ Legatum; Aegidianis conſtitutionibus prædictis nonnullas eius additiones appoſuiſſe. §. 2. Quas additiones in d. Prouincia ſeruari præcipit. §. 3. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hæ conſtitutiones ſeruandæ ſunt in locis, quæ habent eorum particularia Statuta, ſuper eiſdem articulis?

RESP. Non, quia hæc Bulla recipit declarationem à Bulla Sixti IIII. per eam confirmata, vbi in §. 12. expreſſè hæc Statuta præſeruantur, imò etiam conſuetudines; Et ita dixit etiam Rota in deciſ. 330. par. 2. Diuerſor. impreſſor. num. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Seruandæ erunt in litibus vertentibus inter perſonas Eccleſiaſticas?

RESP. Nequaquam; Aegidius etenim Legatus, qui eas condidit, erat Legatus ad temporale gubernium, & ſic non habebat iuriſdictionem inter has perſonas, quod comprobauit Rota in vna Peruſina Hereditatis 27. Iunij 1587. coram Brauo, vbi in fine dicitur, quod res caret omni difficultate.

XVIII.

Edita Anno

ALias felicis recordat. Iulius Papa II. & infra pagina. 641. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. In ſua conſtit. 9. de qua ſup. pag. 85. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis quorumcumque officiorum ipſo facto incurrenda ſtatuit; ne Clerici Cameræ Apoſtolicæ, & alij, in Camera, & loco Camerali interuenientes, per ſe, vel alium participent de affictibus, ſeu locationibus rerum Cameralium in princip. Hic Pont. confirmat, quæ Iulius ordinauit, & de nouo ſtatuit. §. 1. Et eoſdem in camera intereſſe vetat, dum de illis agitur, pro ipſorum attinentibus. §. 2. Et declarat contrauenientes dictas pœnas incurrere, quamuis de dicta Iulij II. Bulla nullo modo conſtet. d. §. 2. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. In præcitata conſtit. Iul. II. non habentur illa verba, *ipſo facto incurrenda*, quæ à Paulo III. referuntur hic in §. 1. Nunquid ergo ipſe Paulus extare voluiſſe cenſetur?

RESP. Crederem non id voluiſſe, cum in §. 1. illa confirmauit, & ſtatuit, quæ Iulius decreuerat; Confirmatio autem, & innouatio, nihil quàm maius robur addit Dec. in l. More. 5. ff. de Iuriſd. omn. Iud. nu. 31. Surd. conſ. 362. lib. 3. nu. 37. Rota, quæ alios citat in deciſ. Seraph. 981. in Nouis num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur hæc dicis, cum Paulus iſte in. §. 2. diſponat, *etiamſi de d. Iulij conſtitutione non conſtet*?

RESP. Quia cum poſtea de ea conſtiterit, illa tantum attendenda eſt, Dec. in l. 3. Cod. de Eden. nu. 86. verſ. ſecus. Grammat. deciſ. 59. num. 24. verſ. Tertius, & ſtrictius ad caſum noſtrum Rota in deciſ. Cantuc. 40. par. 2. Diuerſor. per totam.

XIX.

Edita Anno 1538.

CVm ſicut accepimus ad parcendum, & infra pagina 642. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnes cauſas, & lites inter Canonicos, Capitulum, & Capellanos Baſilicæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, ſeu eorum quemlibet ex vna, & quaſcumq; alias perſonas, Collegium, Capitulum, aut vniuerſitatem partibus ex altera, ſuper quibuſcumque bonis, aut pecuniarum ſummis coram quibuſcumq; Iudicibus vertentes, & eas, ac alias de nouo mouendas, tam actiuè, quam paſſiuè, cum omnibus earum annexis, & connexis, incidentibuſque, & dependentibus per Card. Archipresb. d. Baſilicæ, executiuè manu regia, abſq; alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, quacumque appellatione remota, cognoſci, atque decidi mandat. §. 1. & ſeq. Et ab eo auocari non poſſe decernit. §. 4. Etiam in obligationibus Cameralibus procedere poſſe declarat. §. 5. In cauſis appellationum, ferias non obſtare iubet. §. 6. Iuriſdictionemque extendit, ad fauorem omnium habitantium in Franco d. Baſilicæ. §. 7. Ampliat etiam contra quoſcunque religioſos, & exemptos. §. 9. Pœnitentiarios in d. Baſilica ab Archipresbytero deputari, & amoueri concedit. §. 10. Quibuſcumque non obſtan. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Vnde hæc Eccleſia nomen S. Mariæ Maioris ſortita eſt?

RESP. Ob præeminentiam ei attributam, ſuper omnes alias in honorem ipſius B. Virginis Eccleſias in Vrbe dicatas. Quamobrem eadem Baſilica inter quinque Patriarchales, & ſeptem principales Vrbis baſilicas adnumerata eſt, vt Romæ hæc omnibus vulgata ſunt, & poſt alios recenſet Pompeius Vgonius in Hiſtoria Stationum Vrbis pag. mihi 65. quem librum te iuuenem Romanum non perlegiſſe crimen eſt.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iſta clauſula *appellatione remota* de qua habetur in principio fauore Capituli conceſſa, habebit locum etiam contra eos?

RESP. Vtramq; partem ligat, quia in iudicijs ſeruanda eſt æqualitas Vincent. de Franc. deciſ. Neap. 136. nu. ... Rota in deciſ. Putei 307. in Nouis per tot. & in alia deciſ. Lancellotti in Vna Hiſpalen. Præſtimoniorum 19. Nouembris 1601.

XX.

Edita Anno 1539.

DOminus noſter IESVS Chriſtus, & infra pag. 643. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Ciues Romani, & Curiales, Confraternitatem inſtituerunt in Eccleſia B. Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe, ſub inuocatione Sacratiſſimi Corporis Chriſti, ad curandam venerationem huius Sacramenti. §. 1. Statueruntque, Confratres curare debere, vbiq; honorificè illud cuſtodiri. §. 2. Impendereque ad hoc neceſſaria. §. 3. Aſſociari illud facibus accenſis, dum illud ad infirmos defertur. §. 4. Et qualibet tertia Dominica cuiuſcunque Menſis in

d. Ec-

Digitized by Google

d. Eccleſia cõuenire, ac Miſſam celebrari facere, §. 5. Dieq; immediatè ſequenti poſt feſtum Corporis Chriſti, circa prefatam Eccleſiam proceſſionaliter d. Sacramentum deferre. §. 6. Confratres infirmos viſitare, & ad piè illud ſuſcipiendum pręuia confeſſione adhortari. §. 7. Singulis hebdomadis orationem Dominicam, & Angelicam, quinquies recitare. §. 8. Mulieresq; per Vrbem Sacramentum aſſociare non valentes, flexis genibus eaſdem orationes quinquies recitare. §. 9. Protectorem elegerunt Cardinalem Ceſarinum §. 10. Supplicaruntque huic Pont. pro confirmatione. §. 11. Qui omnia collandat, confirmat, & innouat. §. 11. Indulgentias quamplures elargitur. §. 12. & ſeqq. Facultatem alias Confraternitates aggregandi, concedit, §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Num ante hæc tempora Chriſti fideles, vt tam admirabile Chriſti Corporis Sacramentum, honorificè ſemper deferretur, curare cœperunt?

RESP. Anno 1501. tam inſigne, ſummæq; pietatis opus initium ſuſcepiſſe, eiuſq; auctores, & ſeriem recenſet Camill. Phanuc. in ſuo libello, cui titulus eſt *Dell'opere pie di Roma* lib. 3. cap. 16. & 17. quæ licet vulgari exprimat idiomate, veriſſima tamen, & probatiſſima eſſe conſtat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur hoc Sacramentum Corporis Chriſti, conſecratur diuiſim à Sanguine?

RESP. Quia in hoc Sacramento repręſentatur Paſſio Chriſti, & in Paſſione Sanguis Chriſti, à Corpore diuiſus fuit, ita ſcribit Turrecrem. in cap. Panis 55. de Conſecrat. diſt. 2. num. 26.

XXI.

Edita Anno 1540.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pagina. 645. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Mianus Venetus, & alij, hoſpitalia ad piè recipiendos pauperes Orphanos, infirmos, & Mulieres conuertitas inſtituerunt, & huic Pōtifici ſupplicarunt, pro facultate eligendi vnum Pręfectum, qui hoc pium opus gubernaret, & pro aliqua huiuſmodi Hoſpitalium pręrogatiua. §. 1. Qui dat eis poteſtatem eligendi in ſuperiorem vnum ex prædictis ſeruientibus, Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, qui pro bono operis regimine, Statuta condere valeat. §. 2. Concedit, Sacerdotes dictis pauperibus deſeruientes, Officia iuxta vſum S.R.E. recitare poſſe. §. 3. Et eorum confeſſiones audire, eoſdemque etiam à caſibus, à quibus Ordinarij abſoluere conſueuerunt, abſoluere. §. 4. Executores huius Bullæ deputat §. 5. Contrarijſque derogat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Hi Hoſpitalarij, cui tenerentur de iure reddere rationem adminiſtrationis?

RESPON. Non Orphanis, & alijs quorum curam gerunt, ſed Epiſcopo, clem. 2. §. vt antē de Religioſ. domib. Bald. in l. Orphanotrophos. 30. num. 6. Caſtrenſ. & Salyc. num. 4. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

Schol. ſecundum.

Quæro. His Hoſpitalibus de iure communi, quæ priuilegia competunt?

RESPON. Omnia, quæ maiori Eccleſiæ competere poſſunt, ad tex. vbi gloſ. & communiter Scribb. in l. Omnia priuilegia 33. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

XXII.

Edita Anno 1540.

INeminenti dignitatis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pagina 646. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ex literarum ſtudijs, tàm publica, quàm priuata, ſpiritualia, & corporalia commoda, proueniunt. §. 1. Inſtituit Studium Generale cuiuſcunque facultatis in Ciuitate Maceratę Status Eccleſiaſtici ibidem. Elargitur omnes gratias, & priuilegia conceſſa, & concedenda Studio Bononiæ ibidem, Rectorique, & Officialibus ius condendi Statuta pro regimine Studij. §. 3. Scholares Ciues d. Ciuitatis, concluſiones ſubſtinentes, & idoneos repertos, inter Aduocatos, & Procuratores, illorum Collegio aggregat. §. 4. Contrarijſque derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si non communicaſſet ſpecialiter priuilegia concedenda Studio Bononien. non ne ea etiam dicerentur elargita?

RESP. Abſtulit omne dubium, dum expreſſit concedenda, Quia negatiua ſententia verior videtur in dubio, niſi aliter conceſſionis verba indicarent, ſecundum Panormit. in cap. fin. Ne Cler. vel Monach. ſub num. 5. & Iaſ. in l. 1. Cod. de Legib. num. 16. poſt Bald. & alios in l. Omnia 33. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si reuocarentur priuilegia Studij Bononien. num. 1. cenſerentur reuocata, quoad Studium Maceratæ?

RESP. Non, quia ius eſt iam quæſitum, vt firmat Panormit. in loco cit. nu. 9. & ante eum Guglıel. de Cun. & Bald. in cap. Omnia priuilegia 33. Cod. de Epiſc. & Cleric. num. 4. & Caſtrenſ. ibid. num. 3.

XXIII.

DEbita conſideratione penſantes, & infra pagina 647. Bullarij. *Edita* Anno 1540.

COMPENDIVM.

Ob indefeſſos labores, quos in recipiendis, & proponendis ſupplicationibus coram ipſo, ſui Referendarij ſuſtinent, hic Pont. eos gratioſè recipit in Notarios Sedis Apoſtolicæ, Sacri Palatij, & Aulæ Lateranenſis Comites inſtituit, nobileſq; facit, & eorum omnium priuilegijs donat. §. 1. Inſignia ſua illis communicat. §. 2. Obtinentibus Monaſteria, quorum Abbates mitra, & alijs Pontificalibs vſi ſunt, dat facultatem iiſdem vtendi, & ſolemnem benedictionem dandi. §. 6. Pro ſe, & duobus familiaribus expeditiones Apoſtolicas gratis concedit. §. 7. Exemptionem à gabella vini ripalis elargitur. §. 8. Et à iuriſdictione Ordinariorum. §. 9. Beneficia in omnibus Prouincijs, ac ſi in illis nati eſſent, habere poſſe decernit. §. 11. Abſentibus iuſſu Papæ, aut cauſa ſtudij fructuum beneficiorum perceptionem concedit. §. 12. Vſum altaris portatilis, & celebrandi in locis interdictis tribuit. §. 15. Indulgentias Stationum Vrbis, altaria per eos eligenda viſitantibus, impertitur. §. 16. Carnibus cum licentia vtriuſque Medici diebus vetitis veſci poſſe indulget. §. 17. Canonicaſq; horas, poſtpoſitis horis recitare. §. 18. Teſtari etiam de bonis acquiſitis ex beneficijs. §. 19. Beneficiaque reſignandi, & permutandi. §. 20. Officium perpetuum eſſe decernit. §. 21. Antianitatem inter eos, attendi iubet ibid. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 22. Formam iuramenti profeſſionis fidei, ab eis emittendæ præſcribit. §. 29.

Schol. primum.

Quæro. Hoc Referendariorum officium, fuit ne olim apud Imperatores, Et quod erat eorum munus?

RESPON. Ita ſanè, vt liquet ex tex. in auth. de Referendar. Sacr. Palat. vbi gloſ. inquit, quod eorum munus erat Aduocationis in Curia Principis. Et idem tradit Speculat. in tit. de ſupplicat. §. 1. num. 2. Vel ſecundum Iacob. de Bellapertic. ibidem, indigentium petitiones coram Principe cum honeſtate proponebant. Sed apud Papam aliud eſt eorum munus, vt hic habetur in princip. & ſcribit Gomeſ. de Compend. Vtriuſque Signat. quæſt. 16. & nouiſſimè Marcheſan. de Commiſſionib. cap. 1. ac Tuſch. in verbo Referendarij concluſ. 79.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba *Referendarijs noſtris*, reſtringunt hæc priuilegia ad Referendarios de præſenti, vel illa porriguntur ad alios in futurum?

RESPON. Sequentia verba Conſtitutionis declarant præcedentia, vt priuilegiorum huiuſmodi elargitio, extendat ſe etiam ad Referendarios futuros, vt in puncto

de

Digitized by Google

de hac Bulla loquens cenſuit Rota in deciſ. 7. Putei lib. 2. in Nouis, de qua meminit Mandoſ. in tract. de Priuil. ad inſtar gloſ. 7. num. 43.

XXIV.

Edita Anno 1540.

CVm ſicut ex plurimorum fide, & infra pag. 652. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Prædeceſſorum conſtitutionibus cautum fuiſſe, quod appellationes in cauſis condemnationum, & Fiſcalibus non admitterentur, niſi facto depoſito pœnæ, ad quam appellans eſſet condemnatus in princ. Eas ergo approbat. §. 2. De nouo ſtatuit, in cauſis criminalibus, ſeu mixtis, ac Fiſcum, & Cam. Apoſtolicam quomodolibet concernentibus, non recipi appellationes, non facto depoſito pœnæ, in qua delinquens, aut eius fideiuſſor, condemnan. veniret, aut condemnatus fuiſſet. §. 3. Irritat quoq; omnes Commiſſiones non habentes d. clauſulam. §. 4. Et etiam reſcripta Fiſcum, & Cameram concernentia emanata, non citato Fiſco, & Theſaurario Prouinciæ in Vrbe præſente. §. 5. Clauſulam *Sublata* apponit. §. 6. Contrarijs derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Cur cauſæ condemnationum ponuntur, vt diuerſæ à cauſis Fiſcalibus, hic in exordio?

RESP. Quia cauſæ condemnationum ponuntur vti criminales, quæ differunt à Fiſcalibus, & Fiſcales cauſæ dicuntur cauſæ ciuiles, ſic probat titulus Cod. vbi de Crim. agi. oport. & aliter tit. Vbi cauſæ Fiſcales. Et hinc eſt, quod hodie Fiſcus Cameræ criminalibus cauſis pro pœnis; Commiſſarius autem d. Cameræ ciuilibus, pro creditis illius exigen. incumbit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num Fiſco non opponente de depoſito faciendo, Iudex ad vlteriora procedere poſſit in cauſa appellationis?

RESPON. Videtur poſſe per ea, quæ ſcribit Natta conſ. 686. per tot. & Iaſ. in l. 4. Cod. de Precib. Imperator. offerend. num. 2. & ſeqq. & ibi additio. in verbo fideiuſſio. Sed mihi videtur eorum ſententiam locum habere in diſpoſitione affirmatiua; Secus in hac, verbis negatiuis concepta, & cum conditione, quod non facto depoſito appellatio nulla ſit, addita præſertim clauſula, *Sublata*, &c. per ea, quæ ſcribit Bald. in cap. Non ideò. 17. de Reſcript. num. 20. Pariſ. conſ. 6. lib. 4. num. 14. Rota in deciſ. Manzanedi. 167. par. 2. ou. 5. & 6. in Recentioribus, ſicut in noſtris ferè terminis Iaſ. vbi ſupra num. 6. vſque ad 12. & conſ. 191. lib. 2. num. 5. & ita à Genitore meo obſeruatum fuiſſe percepi.

XXV.

Edita Anno 1540.

REgimini militantis Eccleſiæ, & infra pagina 653. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ignatius de Loyola, & alij Presbyteri, Dei, & Romao. Pontificis ſeruitio ſe dedicarunt, & in vnum conuenientes, ac multa pia opera exercentes. §. 1. Venerunt Romam, certamque viuendi normam inſtituerunt, eorumque inſtitutum quamplures ſecuti ſunt. §. 2. Societatem IESV eam denominarunt, regulamq; conſtituerunt circa votum Caſtitatis §. 3. & 4. Præpoſiti eorum munus. §. 5. Obedientiam erga Rom. Pont. §. 6. Miſſiones non vitandas, neque procurandas. §. 7. Obedientiam erga Præpoſitum. §. 8. Eiuſque authoritatem. §. 9. Paupertatis votum, non tamen quoad Collegia. §. 10. & ſeq. Officium diuinum priuatum recitandum §. 12. Examen recipiendorum. §. 13. Quam regulam hic Pont. approbat. §. 14. Quibuſcumque non obſtan. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Cur hoc tempore, omnipotens Deus ſupradictum nobilem, Sanctumque virum Ignatium ſuſcitauit?

RESPON. Piè credendum eſt, hunc illuſtrem genere Virum Hiſpanum, virtutibus inſignem, vnà cum ſtrenuiſſimis Socijs ſuis, tanquam fortiſſimum athletam promouiſſe, vt Sponſam ſuam Eccleſiam, aduerſus iniquum Martinum Lutherum, eiuſque ſequaces, infeſtis eam hæreſibus affligentes, Chriſti fideles à pœnitentia Sacramentorum frequentatione, & Summi Pontificis Romani obedientia auertentes, reſtauraret, pœnitentiam prædicando, frequentiam Sacramentorum inducendo, & Summi Romani Pontificis obedientiam, præſertim circa miſſiones ad Turchas, & alios infideles, arbitrio Papæ, & Præpoſiti profitendo, vt iam ferè in toto Orbe terrarum notiſſimum eſt, & ſcribit Eman. Roderic. lib. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 2. artic. 9. & Ciacon. in vita huius Pontificis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Præpoſitus potuiſſet hos religioſos arctare, ad huiuſmodi miſſiones ad Infideles conuertendos, in longiſſimis partibus, hoc voto circumſcripto, de quo in §. 7.?

RESPON. Non, ſecundum D. Thomam, Sotum, & Lopez, quos ſecutus eſt Roderic. tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 19. art. 7. vbi de hac Bulla loquitur ea ratione, quod iſta cura ſpectat principaliter ad Papam, & Epiſcopos, qui ſucceſſerunt Apoſtolis. Et ſubdit ſic ſeruatum fuiſſe inter Fratres Prędicatores, & Minores, vt nemo inuitus fuerit ad longiſſimas regiones tranſmiſſus.

XXVI.

Edita Anno 1541.

ALtitudo diuinæ prouidentiæ, & infra pagina 654. Bullarij.

COMPENDIVM.

Curiales, & Ciues Romani Confraternitatem ad Orphanos educandos, & inſtruendos in Vrbe inſtituerunt. §. 1. Quam inſtitutionem hic Pontifex approbat. §. 2. Et de nouo inſtituit. §. 3. Et in Archiconfraternitatem erigit. §. 4. Priuilegia, & Indulgentias aliorum piorum locorum elargitur. §. 5. & ſeqq. Eleemoſynas conquærendi licentiam concedit. §. 7. Statutaque pro ſuo regimine condendi. §. 8. Confeſſorem eligendi. §. 9. Protectorem, ac Iudicem cauſarum Archiconfraternitatis. §. 10. Qui ſummariè eas cognoſcat. §. 11. Officialeſque ab alijs exemptos, corrigat. §. 12. Viſitantibus eius Eccleſiam, Indulgentiam concedit. §. 15. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 16. Et contraria remouet. §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Hoc priuilegium quærendi eleemoſynas, de quo in §. 7. eſt ne ſublatum à Concil. Triden. ſeſſ. 21. cap. 9.?

RESP. Non, niſi quoad quæſtores quærentes eleemoſynas prędicando, vel Indulgentias publicando eis, qui manus adiutrices porrexerunt; Huiuſmodi enim quæſtus, in quibus multa mala committi ſolent, dumtaxat tollere voluit Concilium, & declarat Nauarr. conſ. 79. lib. 3. de Regular. num. 6. pagina mihi 283. & ſequitur Roderic. de Quæſtionibus Regulat. tom. 2. quæſt. 57. articul. 7. Quod pluries etiam Sacra Cardinalium Congregatio ſuper interpretat. d. Concilij decreuit. Et ideò hoc priuilegio publicè, & priuatim eleemoſynas quærendi, iſti Orphani, ad eorum paupertatem ſubleuandam, vtuntur.

Schol. ſecundum.

Quæro. De huiuſmodi Quæſtorum abuſibus, de quibus loqueris, quem conſulere poſſum?

RESP. Vide text. & ibi DD. in cap. Cum ex eo 14. de Pœnitent. & remiſſ. & in clem. 2. eod. tit. Summiſtas in verbo Quæſtuarij, & Petrum Cenedum in ſua Collectanea ſuper d. clem. 2. vbi alios cumulat.

XXVII.

Edita Anno ....

LIcet nuper in Conſiſtorio noſtro ſecreto, & infra pag. 656. Bullarij.

Quia

COMPENDIVM.

Quia Præpoſitum S. Eleutherij, excommunicationes ſub denominatione S. Eleutherij, concedebat, vnde ſcandala, & abuſus exoriebantur, in procem. Hic Pont. eas de cætero concedi vetat, & conceſſas irritat. §. 1. Executores huius Bullæ Audit, Cam. deputat. §. 3. Contrarijſq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. De quo Eleutherio hæc ſanctio loquitur?

RESPON. Non de S. Eleutherio Papa, & Martyre, de quo feſtum agit S. R. Eccl. die 26. Menſis Maij, nec de alijs pluribus huius nominis SS. Confeſſoribus, Epiſcopis, & Martyribus; Sed de S. Eleutherio Conſtantinopolitano, octauo Epiſcopo, & Martyre, de quo ſub die 20. Februarij eius feſtum recolitur, teſte Baron. poſt alios in Martyrolog. dicta die ſub littera D.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur adeo pauebatur excommunicatio huiuſmodi S. Eleutherij?

RESP. Quoddam pauendum edidit ille S. Eleutherius, aduerſus quemdam impuriſſimum Clericum, quod fieret potius imprecationis, quam excommunicationis genus eſſet, verumtamen apud nonnullos excommunicationis nomen retinet, vt ſcribit Baron. vbi ſupra, Ideoque iure ab iſto Pontifice interdictum eſt.

XXVIII.

Edita Anno 1541.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pagina 657. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficia viuentium impetrare vetuit, & etiam per priuationem, aut amotionem, niſi poſt rem iudicatam; in princ. ip. Impetrantes beneficia per alium poſſeſſa per annum, id, & alia exprimere debere iuſſit. § 1. Nonnulli tamen illa impetrabant, tanquam certo modo vacantia, §. 2. Formam ideò in huiuſmodi impetrationibus obſeruandam præſcribit hic Papa. §. 3. Impetrationes aliter factas irritat. §. 4. Impetrantibuſque pœnas imponit. §. 5. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Impetratio beneficij viuentis, de qua hic in princ. erat ne antiquo iure prohibita?

RESPON. Prohibitionem ediderat Gelaſius I. in cap. 1. de Conceſſ. Præben. Videtur namque ipſe impetrans, deſiderare mortem eius, in cuius locum ſe crediderit ſucceſſurum, vt inquit idem Gelaſius in cap. ſeq. vbi ſubdit, quod etiam gentiles id condemnarunt. Sed in regulis Cancellariæ Apoſtolicæ omnium primus ſimilem prohibitionem poſuit, Benedictus XII. vt in quodam Quinterno Cancellariæ vidiſſe teſtatur, Gomeſ. de Impetrat. benef. viuent. quæſt. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc regula, ſiue conſtitutio, largè, vel ſtrictè, pro impetrante intelligenda eſt?

RESP. Emanauit iſta conſtitutio ad obuiandum fraudibus; ideò latè eſt interpretanda, contra impetrantem, imò etiam extenden. a paritate rationis, vt in puncto tradit Dec. in conſ. 398. incip. In cauſa in fine, vbi Apoſtilla alios cumulat, & ſequitur Gomeſ. in Regul. de Impetrat. offic. viuentis quæſt. 2. in fine.

XXIX.

Edita Anno 1542.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pagina 658. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis aliqua generali conſtitutione cautum non ſit, Spolia Eccleſiaſticarum perſonarum, Cameræ Apoſtolicæ reſeruata fore. §. 1. Antiquiſſima tamen conſuetudo, & multæ Pontificiæ de eis factæ diſpoſitiones, hanc reſeruationem demonſtrant § 2. Quia nihilominus poſſet dubitari, an ſpolia in locis, ad quæ Collectores à Sede Apoſtolica hactenus non fuerunt deſtinati, ſpectent ad eandem Cameram, Pontifex iſte decernit, hæc ſpolia quarumcumque perſonarum Eccleſiaſticarum ſecularium, & regularium, etiam Cardinalium, vbique locorum morientium, abſque ſufficienti facultate teſtandi, ad d. Cameram pertinere, & non ad ſucceſſores in beneficijs. §. 2. Et ita iudicari mandat. §. 3. Camerarium deputat huius Bullæ executorem. §. 4. Contrarijs derogat quibuſcumque. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Sub nomine ſpoliorum, quæ veniunt, vſque ad hæc tempora?

RESP. Omnia à Clericis acquiſita ex fructibus bonorum Eccleſiaſticorum inconſumpta, tempore obitus relicta, Nauarr. in intelligit hanc Bullam in ſuis Comment. de Spol. Cleric. §. 5. num. 4. & conſ. 15. de Regular. lib. 3. num. 2. incip. N. Frater vbi ſubdit, quod Clerici in vita poſſunt expendere fructus ſuorum beneficiorum in caſus honeſtos, & ſuperflua in pios vſus, per diſpoſitionem inter viuos, Et eſt certiſſimum apud omnes.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi Spoliorum introductio pro Camera Apoſtolica, eſt ne fauorabilis, & pro ea largè interpretanda?

RESP. Strictè interpretandam vti exorbitantem à iure communi, tenet Calder. in conſ. 1. de Pecul. Clericor. num. 1. & Seraphin. in deciſ. 694. num. 25. in nouiſſimè impreſſis.

XXX.

Edita Anno 1542.

IN Apoſtolici culminis ſpecula, & infra pagina 659. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum nonnulli etiam Religioſi, prætextu exemptionum à Sede Apoſtolica obtentarum, aſſerunt, & prædicant propoſitiones ſuſpectas, ſcandaloſas, & à fide diſcrepantes, & hæreſim ſapientes. §. 1. Hic Pontifex Inquiſitoribus dat facultatem contra quoſcumque etiam exemptos, non tamen Epiſcopos, deſuper procedendi. §. 2. Illiſque ab omnibus obediri præcipit. §. 3. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quot modis propoſitio dignoſcitur hæretica?

RESP. Ex triplici capite dignoſcitur, Vel quia eſt contra articulos fidei, Vel contra determinationem Eccleſiæ, Vel contra Sacram ſcripturam, ita ſecundum mentem S. Thom. par. 1. quæſt. 32. artic. 4. & 2. quæſt. 11. artic. 2. ſcribit Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 2. vbi Pegna in ſuo Comment. 27. alios quoque modos ſubnectit, quibus hæretica propoſitio diſcerni poſſit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Epiſcopi ergo non poterunt procedere contra huiuſmodi Prædicatores, hæreticas propoſitiones diſſeminantes?

RESP. Poterunt tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, quacumque exemptione non obſtante, vt expreſsè determinauit Concil. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. verſ. ſi verò, & aduertit Ioan. Franciſc. Leon. in ſuo Theſaur. fori Eccleſ. par. 1. cap. 8. num. 12.

XXXI.

Edita Anno 1542.

DVm ad vniuerſas Vrbis Baſilicas, & infra pagina 660. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert omnia quæ Iulius II. in ſua conſt. 23. de qua ſup. pag. 89. circa Fabricam S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, decreuit. §. 1. & ſeqq. Refert etiam Leonem X. prædicta omnia approbaſſe, & Notarios ad oſtendendum legata facta Fabricæ, cogi decreuiſſe. §. 14. Et commiſſario Fabricæ dediſſe facultatem, componendi

ad

Digitized by Google

ad illius vtilitatem, ſuper legatis certis infra annum non executis ad fauorem certorum locorum, vel perſonarum. §. 15. Bonaque ſtabilia vendendi, & mobilia ad Fabricam transferendi. §. 16. Commiſſarium prędictum à ſuperioritate Ordinariorum, & aliorum exemiſſe. §. 17. Eumdem ſuper votis, & peregrinationibus, componere poſſe. §. 18. Fraudantes Fabricam in executionibus, excommunicationi ſubieciſſe. §. 19. Notarioſque cogi ad oſtenden. eorum libros, pręcepiſſe. §. 20. Commiſſarij facultatem etiam ad relicta ante ſeptennium extendiſſe. §. 21. Et ſuper tota Fabricæ componere poſſe §. 22. Exactaque per Ordinarios, ab ipſis Fabricæ Commiſſarijs vindicari. §. 23. Relictorum certorum, & infra annum non executorum, quintam partem capere. §. 24. Legata incerta Fabricæ deberi. §. 25. Commiſſarijs poteſtatem dediſſe permittendi in locis Sacris ſepeliri mortuos, abſque confeſſione infra annum, ſi tamen contritionis ſigna apparuerint. §. 26. Altareque portatile presbyteris concedendi. §. 27. Iuramenta contractuum relaxandi. §. 28. Indulgentias aliàs ſuſpendendi. §. 29. Proceſſiones ad publicationem Indulgentiarum Fabricæ, indicendi. §. 30. Refert etiam, quæ Clemens VII. in ſua conſtitut. 3. & 9. de quibus ſupra pagina 107. & 109. decreuit, indulta Fabricæ confirmat. §. 33. Reuocatis Commiſſarijs hoc totum negotium Collegio Fabricæ remiſit. §. 34. Cui dedit facultatem remittēdi Principibus partem eleemoſynarum, pro reparandis Eccleſijs in eorum dominijs. §. 35. Componendi ſuper ablatis, in direptione Vrbis. §. 36. Et alia faciendi iuxta bullas Pont. Prædeceſſorum. §. 37. Confraternitatem Fabricæ erexit, & Confratribus multas gratias conceſſit. § 38. & ſeqq. Facultatem procedendi contra quoſcumque quæſtores, dedit. §. 44. Omnibuſque priuilegijs à Prędeceſſoribus Pont. conceſſis vtendi. §. 45. Quæ iteratò comprobat. § 46. Et ad eius, ac Succeſſorum beneplacitum durare decernit. §. 47. Executores deputat. §. 48. Contrarijſque derogat. 49.

Schol. primum.

Quæro. Signa contritionis, de qua in §. 16. quomodo probantur?

RESP. Quia ſumus in materia fauorabili ſepeliendi mortuos in Eccleſijs, vnicus teſtis ſufficienter huiuſmodi ſigna probabit, vt ſingulariter notat Syluest. in ſua Summa in verbo ſepultura num. 9.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Papa ſimpliciter dixiſſet in §. 47. ad beneplacitum noſtrum, expiraſſet ne ob eius mortem?

RESPON. Poſſe negatiuè reſpondere, quia hæc iuriſdictio conceſſa Collegio, dicitur conceſſa ex cauſa publica, & fauorabili, ad notata per Menoch. de Arbitrar. Iudic. in quæſt. 69. num. 9. & ſeq.

XXXII.

Edita Anno 1542.

CVpientes Iudæos, & alios infideles, & infra pagina 666. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iudæis, & alijs infidelibus conuerſis, bona omnia liberè retinere permittit, & filijs familias legitimam portionem dari præcipit, in princip. Eiſdem concedit malè acquiſita, non extantibus perſonis certis, quibus reſtituenda venirent. §. 1. Hortantur Chriſti fideles ad Neophytos pijs eleemoſynis ſubleuandos. §. 2. Creat eoſdem Ciues locorum, in quibus baptizantur. §. 3. In articulis Fidei inſtrui, & cum infidelibus non conuerſari præcipit. § 4. Cum Chriſtianis originarijs matrimonia contrahere ſuadet § 5. Ritus antiquæ ſectæ dimittere iubet. § 6. Redeuntes ad vomitum, tanquam hæreticos puniri mandat. §. 8. Quibuſcumque non obſtan. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Iſta conſtitutio in princ. & §. 1. & ſeqq. continet ius nouum?

RESPON. In eo, quod decernit, Iudæos poſſe retinere bona, præterquam illicitè acquiſita, non continet ius nouum, quia idem cauebatur (licet aliqui contrarium credant) in cap. Iudæi 5. de Iudæis, & ibi notat Zabar. num. 2. & 4 & in cap. 4. quæſt. 1. de Baptiſm. & Graff. in ſuis Deciſ. lib. 1. par. 2. cap. 4. in fine, Ità quod ius nouum contineat in eo tantum, quod decernit retinere etiam illicitè acquiſita, quæ perſonis non notis eſſent reſtituenda; Et quoad legitimam filiorum, poteſt etiam dici continere ius nouum, quia antiquo iure articulus dubius videbatur ex his, quæ tradit Surd. de Aliment. titul. 1. quæſt. 4. per totam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde dicitur neophytus, de quo in §. 2.?

RESPON. A voce græca νεόφυτος, ideſt nouus in fide Chriſtiana, cap. 2. diſt. 48. Syluest. & alij Summiſtæ omnes in verbo Neophytus.

XXXIII.

Edita Anno 1542.

INitio noſtri huius Pontificatus, & infra pag. 667. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conqueritur de hæreſum, ac bellorum tempeſtate, & Chriſtianorum Principum diſcordia, in proœm. Indixit, vt his malis mederetur, in alia eius conſtitutione Concilium generale Mantuæ inchoandum, anno 1537. §. 1. Poſtea d. tempus prorogauit, cum Mantuam habere non potuit. §. 2. Vicentiam elegit, & Concilium diſtulit ad annum ſubſequentem. §. 3. Interim ſtuduit, Carolum Imperatorem, & Franciſcum Regem Franciæ conciliare, & ideò ipſe, & illi Nicæam ſe contulere. §. 4. Legatos Vicentiam miſit pro inchoando Concilio. §. 5. Inter prædictum Imperatorem, & Regem, inducias ad decennium formauit. §. 6. Concilium certis de cauſis ſuſpendit. §. 7. & 8. Deinde illud in Tridentina Ciuitate cogi decreuit, ad Cal. Nouembris huius anni 1542. §. 9. & 10. Monet Prælatos ad illud accedere. 11. Imperatorem, Reges, & Principes hortatur, vt per ſe, vel per legatos illi interſint §. 12. Et hanc conſtitutionem publicari mandat. §. 13. Sanctionem pœnalem apponit. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Quos Legatos ad iſtud Concilium, hic Pont. deſtinauit?

RESP. Petrum Paulum Pariſium titul. S. Balbinæ, & Ioannem Moronum tit. S. Vitalis presbyteros Cardinales, ac Reginaldum Polum titul. SS. Nerei, & Achillei Diaconum Cardinalem, vt Concilij auſpicia agerent, Patribuſque, & gentibus ſedem pararent tranſmiſit, ita poſt alios ſcribit Ciacon. in vita huius Pont. pagina mihi 1111. 1118. 1123. & 1125.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur poſtea hoc Concilium dilatum.?

RESP. Recrudeſcentibus magis eo tempore bellorum ſeditionibus, inter Carolum Imperatorem, & Franciſcum Gallorum Regem, antedicti legati reuocantur, & Concilium differtur. Ciacon. vbi ſupra d. fol. 1111.

XXXIV.

Edita Anno 1542.

LIcet ab initio noſtræ, & infra pagina. 670. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat ſex Cardinales generales Inquiſitores hęreticę prauitatis, in omnibus Reipublicæ Chriſtianæ locis, tàm citra, quàm vltra montes vbilibet exiſtentibus. §. 1. & 2. Dat eiſdem authoritatem contra quoſcumque hæreticos, de hæreſi ſuſpectos, eorumq; complices, & fautores, cuiuſcumq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, abſq; Ordinarijs procedendi, eoſdemq; puniendi, & eorumdem bona confiſcandi. §. 3. Procuratorem Fiſcalem, Notarios, & alios Officiales, ad præmiſſa neceſſarios deputandi. §. 4. Clericos ſæculares, & regulares, in ſacris conſtitutos, à quocumq; ab eis Antiſtite deputando degradari, & Curiæ ſæculari tradi faciendi. §. 5. Contradictores compeſcendi. §. 6. Auxilium brachij ſæcularis inuocandi. §. 7. Et quæcumq; alia neceſſaria gerendi ibid. Inquiſi-

Digitized by Google

quiſitores vbiq; cum ſimili, vel limitata facultate ſubſtituẽdi. §. 8. Appellationes ab alijs Inquiſitoribus ad eos interpoſitas, cognoſcendi. §. 9. In Curia, & extra citandi, & inhibendi, appellanteſq; ſimpliciter, vel ad cautelam, à quibuſcumq; ſententijs, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis abſoluendi. §. 10. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 11. Contrarijſque derogat. §. 12. Sanctionem pœnalem apponit. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid authoritas iſtorum Cardinalium deputatorum expirat morte iſtius Pontificis deputantis?

R E S P. Non expirare probat tex. in cap. Ne aliqui. 10. de Hæretic. in 6. Gemin. ibid. nu. 4. Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. quæſt. 7. & Pegna ibid. in Comment. 56.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc iuriſdictio extenditur etiam ad puniendos Iudæos, cæteroſq; infideles aduerſus Catholicam fidem delinquentes?

R E S P. Extendi, ſi delinquunt in his, quæ circa fidem cum illis ſunt nobis communia, veluti circa Dei vnitatem, æternitatem, & omnipotentiam, probat poſt alios Eymeric. vbi ſupra par. 2. quæſt. 46. & Pegna ibidem comment. 71. vbi de communi DD. ſententia teſtatur, & expreſsè declarauit Greg. XIII. infra in ſua conſtit. 70. §. 2.

XXXV.

Edita Anno 1542.

CVm dilectus filius Alexander, & infra pag. 671. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinali Archipresbytero Baſilicæ S. Petri Apoſtolorum Principis de Vrbe, dat iuriſdictionem cognoſcendi omnes cauſas tàm ciuiles, quàm criminales (citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictiuam) inter Canonicos, Capitulum, & Beneficiatos, Clericos, & Capellanos ex vna, & quaſcunque alias perſonas, loca, Collegia, vel Vniuerſitates quantumcunq; priuilegiatas, vel inter ipſoſmet motas, & mouendas ſuper quibuſcunque rebus, tam actiuè, quàm paſſiuè, cum omnibus earum incidentibus dependentibus, annexis, & connexis, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, ac manu regia, abſq; terminis ſubſtantialibus, & alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, ſine confectione regiſtri, & quacumque appellatione etiam non friuola remota. §. 1. 2. & 6. Cum facultate in Curia, & extra citandi, & inhibendi, §. 3. Iuramentaque perſonarum d. Capituli, relaxandi ad effectum agendi. §. 4. Quibuſcunque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Illa clauſula *manu regia*, operabitur ne quod Iudex lite durante ſuper ſummariſſimo poſſeſſorio, non manuteneat partem docentem de ſua poſſeſſione?

R E S P. Negatiua ſententia placuit Rotæ, coram Panphil. in hoc puncto die 11. Ianuarij 1602. in Vna Bononien. de Canalibus in fine, & facit generalis theorica Bart. in extrauag. Ad reprimendum in verbo Videbitur, num. 12. dum inquit, quod dicta clauſula non operatur, quod iura partium vllo modo tollantur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid operabitur illa clauſula *appellatione remota*, ſi quis ex capite notoriæ nullitatis, & iniuſtitiæ, vel ſimili, vellet appellare?

R E S P. Operabitur, vt in appellatione inſerenda ſit cauſa, ob quam appellatio iuſtificetur, quæ debet per appellantem probari, Felyn. in cap. Quoad conſultationem. §. 15. de re iudic. num. 20. Rota coram Orano die 14. Decembris 1562. in vna Romana Caſalium.

XXXVI.

Edita Anno 1542.

LIcet Eccleſiarum omnium, & infra pagina 672. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Epiſcopum Burgi S. Sepulchri, in Vrbe, eiuſque Suburbijs, & diſtrictu, ſuum in Spiritualibus Vicarium, cum honoribus, oneribus, & redditibus conſuetis. §. 1. Et cum facultate quoſcumque religioſos, Eccleſias Sancti Anaſtaſij, S. Sebaſtiani, S. Pauli, & ad tres Fontes, S. Laurentij, & S. Sabæ, & alia loca Eccleſiaſtica, & Monaſteria religioſa ſæcularia, & regularia viſitandi, & coercendi. §. 2. Cauſas non excedentes florenos 60. & mercedum, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij; & ſola facti veritate inſpecta, ac nullis terminis ſeruatis; Commiſſarias autem, iuxta formam Commiſſionum cognoſcendi. §. 3. Appellationemque à quinque infra reijciendi. §. 4. Cauſas alimentorum, & alias miſerabilium perſonarum, ac non excedentes 60. ducatos, ſummariè, &c. ac manu regia, &c. terminandi. §. 5. Moratoriaſque in eis denegandi. §. 6. Viſitationi carcerum cum cæteris Viſitatoribus intereſſendi & viſitandi. §. 7. Iudæos, Clericoſq; & beneficiatos Vrbis, & eius diſtrictus, Religioſos hoſpitalarios, Fraternitates laicorum, omnes in Eccleſijs, & Monaſterijs beneficiaris, ac deſeruientes, eorumque cauſas etiam criminales iudicandi. §. 8. Matrimonialeſque, & cæteras cauſas de iure ad ſuum Vicarium ſpectantes. §. 9. Synodum in Romano Clero cogendi. §. 10. Ordines Sacros etiam per alium Epiſcopum ab eo eligendum conferendi. §. 11. Eccleſiaſque conſecrandi, & pollutas reconciliandi. §. 12. Feſtiuis diebus vetita exercitia coercendi. §. 13. Blaſphematores, Vſurarios, Iudæos, periuros, & alios committentes crimina ad Curiam, & iuriſdictionem huius Vicariatus, puniendi. §. 14. Pœnas operibus pijs applicandi. §. 15. Cætera ad officium ſuum ſpectantia exequendi. §. 16. Inobedientes coercendi. §. 17. Iudæorum, & aliorum cauſas ſui fori, actiuè, & paſſiuè ad eum ſpectare, decernit. §. 18. Conſtituit eumdem Vicarium, executorem, & cognitorem cauſarum omnium, venditionis, & permutationis bonorum Eccleſiaſticorum etiam per ſupplicationem Apoſtolicam commiſſarum. §. 19. Declarat eumdem iudicem in prædictis Ordinarium fore. §. 20. Contrarijs omnibus derogat. §. 21.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione Vrbis nonne etiam Suburbia, & diſtrictus veniebant, etiamſi non exprimebantur?

R E S P. Non, quia contrarium, in ſpecie iuriſdictionis Vicarij Vrbis, decreuerat Innocentius III. in cap. Tua nobis. 5. de Offic. Vicar. vbi Panormit. ſub num. 5. conſimiles textus allegat, & inquit etiam de Officio Vicarij Papæ, nil aliud haberi in iure.

Schol. ſecundum.

Quæro. Baſilicæ S. Petri, S. Ioannis, & S. Mariæ Maioris non expreſſæ in §. 2. ſubſunt ne viſitationi, & correctioni Vicarij?

R E S P. Non, vt puto vigore huius conſtitutionis, ſed ſpeciali priuilegio, quod à Summis Pontificibus Vicarijs dari conſueuit, Et ego perlegi in quodam motu proprio à Paulo V. pro Cardinali Pamphilio eius Vicario die 29. Maij 1605. & in altero, nuper pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Ioanne Garzia Cardinali Millino itidem Vicario virtute alijſque meritis præclariſſimo die 21. Iunij 1611. obſignatis.

XXXVII.

Edita Anno 1543.

ILlius, qui pro Dominici gregis redemptione, & infra pagina 674. Bullarij.

COMPENDIVM.

Erigit Hoſpitale, & Confraternitatem in Vrbe pro Iudæis, & infidelibus, ad Fidem Catholicam conuerti volentibus §. 1. & ſeqq. Vbi victum, veſtitum ipſis Cathecuminis ſubminiſtrari, & in fide cathechizari iubet. §. 4. Confratribus, & Benefactoribus multas gratias elargitur. §. 5. & ſeq. Vnum ex Cardinalibus Protectorem eligit, ad eorum lites, & cauſas, iuxta facultatem, & iuriſdictionem Aud. Cam. attributam dijudicandas. §. 7. & ſeq. Contrarijſque derogat. §. 12.

Schol.

Digitized by Google

Schol. primum.

Quæro. Catechumenus vnde dicitur?

RESP. A voce Græca κατηχούμενος quæ inſtructionem ſignificat, & ideò Cathecumenus dicitur, qui in fidei rudimentis inſtruitur, Quod inſtructionis officium Chriſtus exercuit, qui cęci nati oculos primum luto, ex ſputo facto, ſuperliniuit, per quod ſignificatur huiuſmodi inſtructio, & deinde ad aquas Siloe, per quas baptiſmus ſignificatur miſit, cap. Ante baptiſmum 54. vbi Turrecremat. & alij notant, de Conſecrat. diſtinct. 4. & idem Turrecremat. in cap. Exorciſta 17. diſt. 23. num. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Iuriſdictio Protectoris iuxta facultates A. C. attributas recipit ne diminutionem, ſi poſtmodum iuriſdictio Aud. Cam. diminueretur?

RESP. Non, quia ex nunc eſt acquiſita huiuſmodi iuriſdictio Protectori ad fauorem loci pij, cui non niſi expreſsè dicitur adempta, per ea, quæ in ſimili caſu, tenet Panormitan. in cap. vlt. Ne Cleric. vel Monach. ſub num. 6. & latè proſequitur loquendo de gratijs ad inſtar conceſſis, Roderic. Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 61. artic. 2.

XXXVIII.

Edita Anno 1543.

EXpoſcit debitum Paſtoralis Officij, & infra pagina 676. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit de cætero Priorem generalem, & alios Priores Congregationis Monachorum Sylueſtrinorum Ordinis S. Benedicti, quolibet triennio per ſolum Capitulum generale, eligendum fore, ſed reelegi pro aliu triennio immediatè vetat. §. 1. 7. & ſeq. Prioris generalis facultatem præſcribit. §. 9. Statuit aliorum quoque Priorum officium triennio expleri. §. 4. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Quæ potuit eſſe cauſa ad triennium reducendi Prioratum huius Congregationis, qui (vt patet ex lectura huius Bullæ) erat perpetuus?

RESP. Quia perpetui Priores nimis abſolutè quandoque forcaſſe gubernabant, & nimis auſterè imperabant, vt ſic euenire ſcribit Nauarr. in tit. de Regular. num. 3. & Roderic. de Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 16. artic. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid regulariter magis videtur expediens pro Religionibus?

RESP. Quod Generales earum ſint perpetui, vt Prędicatores, Carthuſiani, & Ieſuitæ obſeruant, multiſque rationibus probat Nauarr. vbi ſupra; Subdit tamen multa remedia, ex quibus temporalis electio Generalium, poteſt eſſe proficua, quæ hic, vbi ſummatim loquimur, tibi indicaſſe ſatis erit.

XXXIX.

Edita Anno 1543. & 1544.

DEcens eſſe cenſemus, & infra pagina. 678: *Item*, Ex debito Paſtoralis, & infra pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad ſuſtinendam magnam expenſarum molem pro tuitione fidei, & Status Eccleſiaſtici incumben. annuum ſubſidium 300. millium aureorum ad triennium impoſuiſſe, inquit, ſubditis ſuis, augmentumque ſalis, & alia extraordinaria onera interim ſuſpendiſſe, dictumque ſubſidium omnes eius ſubditos libenter acceptaſſe. §. 1. Et modò declarat ad illius ſolutionem teneri, quoſcumque Præſules, Barones, feudatarios, perſonas, & Officiales, & quoſuis alios, quacumque dignitate, & excellentia præditos, & quantumcunque exemptos, ac priuilegiatos §. 2. Sæculares nempè etiam Vrbis, & aliarum Ciuitatum Gubernatores, & quoſcunque nobiles, aut quouis Priuilegio in corpore iuris clauſo exemptos, Collegiaque, & Vniuerſitates, Clericoſque etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia maiori dignitate præfulgentes. §. 1. ſubſeq. Bullæ. Subdit ſæculares ad contributionem ſimpliciter, & omninò teneri: Clericos verò pro bonis patrimonialibus, Et ipſos Clericos, & Religioſos pro fructibus, & bonis mobilibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum, pro aliqua portione d. ſubſidij teneri d. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari poſſe iubet. §. 2. Camerarium ſuum, huius Bullæ executorem deputat. §. 7. Priuilegijs omnibus etiam per viam Legis, & Statuti perpetui, & ſtipulati contractus editis, & confirmatis, & quibuſcumque alijs contrarijs derogat. §. 4. Sanctionem pœnalem apponit. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Clerici de bonis patrimonialibus, tenentur contribuere in totum, vt Laici, vel pro aliqua honeſta portione, vt in §. 1. in fine ſecundæ Conſtitutionis?

RESP. Vt Laici, quoniam cauſæ impoſitionis, quæ hic leguntur in principio, vel æqualiter eos, & Laicos tangunt, vel potius Clericos, quàm Laicos, quo caſu interpretando bullam ſecundum terminos iuris communis, Clerici, vt Laici contribuere debent, latè Surd. conſ. 490. lib. 4. num. 3. Laderch. conſ. 145. num. 3. qui alios cumulant, Pręſertim cum impoſitio fit à Principe Eccleſiaſtico, Surd. conſ. 301. lib. 3. ſub num. 67. Et hoc ſuadent illa verba *Clerici vero*. Nam cum Papa ſtatuiſſet Laicos totaliter contribuere, ſubdens poſtea dicta verba, voluit Clericos ſimiliter contribuere, cum dictio *vero*, ſit repetitiua omnium qualitatum pręcedentis caſus, cui aduerſatur, Rota in deciſ. Bubali, in vna Romana Cenſus, ſiue Saluiani interdicti 21. Maij. 1590. Et ita hanc Bullam intelligit Sacra Cardinalium Congregatio, de Bono regimine pro Communitate Peruſij contra illius Clerum die 28. Septembris 1613. proponente R. P. D. Iulio Benigno Romano Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, Pauperumque Aduocato, & in Almæ Vrbis Studio, primario Iuris Interprete celeberrimo, & dictæ Congregationis boni regiminis Conſultore.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ergo operantur illa verba *Pro aliqua honeſta portione* poſita in fine orationis?

RESP. Reſtringitur ad contributionem de fructibus, & bonis mobilibus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ de per ſe ſtare poſſunt, & diuerſa eſt ratio de bonis patrimonialibus, & Eccleſiaſticis, & hæc intelligentia magis conſonat iuri communi Dec. in cap. Secundò requiris 41. de Appellat. nu. 13. & ſeqq. Stymo. conſ. 612. num. 5. Rota in deciſ. Pegnæ die 5. Aprilis 1593. in vna Rom. Deuolutionis, & ita fuit tentum in pręcit. cauſa, in terminis huius Bullæ.

XL.

Edita Anno 1544.

CVm ſicut accepimus, & infra pagina 679. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Theſaurarij Status Eccleſiaſticis, Mercatures, & Cameræ Apoſtolicæ Miniſtri, aliæque perſonæ in d. Camera computa redere debentes, integra computa nō exibent, partem introituum, & exactorum, ſub diuerſis prætextibus retinendo, in proœm. & §. 1. Hic Pont. prędictis pœnam excommunicationis maioris, ac periurij, & falſi, necnon decupli cuiuslibet partitæ crediti Cameræ omiſſæ, vel non ſolutæ, aliaſque Papæ arbitrio pœnas infligit. §. 2. Et ità, & non aliàs iudicari mandat. §. 3. Publicationemque huius Statuti in Camera factam, omnes ligare præcipit. d. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Procedit ne hæc Bulla nedum in partitis omiſſis, ſed etiam in duplicatis partitis ſolutis per Cameram?

RESP. Affirmatiua ſententia videtur verior, tum attenta ratione bullæ, quæ voluit punire fraudes, & maior eſt fraus, duplicare, quam omittere, tum etiam attentis eius verbis, ibi. *integrum debitum, & creditum*, Item *omiſſæ, vel non ſolutæ*. Item ne *directè, vel indirectè aliquid retineant*, Item *fideliter, & diligenter*, prout his, & alijs rationibus, mota ſic cenſuit Reueren. Came-

Digitized by Google

ra die 5. Ianuarij 1606. contra Tiberium Ceulum eiuſdem Cameræ Depoſitarium.

Schol. ſecundum.

Quæro. Satis ne fuiſſet d. Tiberio probare contrarium vſum Cameræ circa dupplicationem partitarum?

RESP. Non, ſed debuiſſet etiam probare, Papam de contrario vſu ſcientiam habuiſſe, nam ſtante clauſula *Sublata. &c.* inferiores non potuerunt à ſe pſis tollere legem ſuperioris Principis, vt cenſuit Rota in deciſ. prima Puteí, & plenius coram R. P. D. Caualerio in Vna Romana Concordiæ S. Petri die 13. Nouembris 1609. & die 11. Ianuarij 1610.

XLI.

Edita Anno 1544.

ROmani Pontificis præcellens authoritas, & infra pag. 680. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia iurium, & rerum Cameræ Apoſtolicæ cura, Cardinali pro tempore Camerario eſt commiſſa, & Papæ perſonam in his repræſentat, ſique viuæ vocis oraculum habet, conuenit, vt omnes Vrbis, & ditionis Eccleſiaſticæ Officiales, eius mandatis obediant. §. 1. Et ità ſeruari iubet, §. 2. & 3. Et à Camerario ad id compelli concedit. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc obedientia debebitur Camerario, in omnibus, vel in concernentibus Officium Camerariatus?

RESP. In ſpectantibus ad eius officium tantum, quia in illis ſolum repræſentat perſonam Papæ, cuius oraculo vtitur, vt expreſſè hic dicitur in textu in illis verbis. *In his*, quæ ſunt demonſtratiua, & reſtrictiua ad Bart. & alios in l. 1. ff de oper. nou. nunciat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quare per obitum Papæ, non quieſcit eius officium.

RESP. Ne redditus temporales ad Sedem Apoſtolicam ſpectantes, & ſine quibus diù ſpiritualia eſſe non poſſunt, negligantur, & ne eleemuſynarum pro pauperibus diſtributio, quæ fit de ærario eius curæ commiſſo, intermittatur, vt poſt Zabar. & alios in clem. Ne Romani. §. Ego tamē prouiſo de Elect. ſcribit Chaſſan. in 4. par. Cathalog. Glor. Mundi conſid. 14. verſ. Et ad eius officium.

XLII.

Edita Anno 1545. & 1549.

ACcepimus nuper, quod, & infra pag. 680. *Item*. Accipimus per Statuta, & infra pag. 681. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iul. II. in ſua conſtit. 20. de qua ſupra pag. 88. contra occupatores bonorum naufragantium ad littora Maris locorum S. R. E. ſubiectorum, Sanctionem edidit, quam hic Pont. innouat. §. 1. Obſeruarique præcipit. §. 2. Et in principio alterius ſubſequentis conſtitutionis narrat, Statuto Ripæ Vrbis caueri, auxiliatores bonorum naufragantium lucrari quartam partem eorum recuperatorum. Sed ſubdit illud in deſuetudinem abijſſe, & quod Domini locorum, ad quæ ob naufragium barcæ, vel naues deueniebant, ſibi ipſis illas appropriabant. §. 1. Ideoque ſtatuiſſe refert, illis tantum dari d. quartam partem bonorum, qui à Nautis vocati illa recuperauerint. §. 2. At nonnulli hanc ordinationem locum non habere prætendebant, cum vi tempeſtatis ad loca aliquorum Dominorum perueniebant. §. 3. Idem Pont. ad d. caſum, eam extendit. §. 4. & 5. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contrarijs derogat §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Excommunicationis pœna contra occupatores bonorum naufragantium, contenta in conſtitut. 20. Iulij II. & hic in §. 1. & 2. confirmata, ac innouata, quo tempore poſita fuit in Bulla Cœnæ Domini?

RESPON. Tempore Gregor. XIII. in ſua conſtit. 81. de qua infra, vt aduertit Nauarr. in Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 60. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Statutum huius Papæ indicatum in §. 2. cur Genitor tuus prætermiſit?

RESPON. Ab ipſo non fuiſſe prætermiſſum, ſed exacta adhibita diligentia, non repertum intellexi, cum temporum iniuria, Officialiumque incuria, multa Pontificia diplomata perierunt.

XLIII.

Edita Anno 1545.

CVm ſicut nobis nuper innotuit, & infra pag. 681. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit familiares, & ſeruitores Prælatorum Romanæ Curiæ, qui ſalarium ſeruitorum in ſcriptis redigere non ſolent, cum ſalario menſuali ſeruientes, pro biennio tantum ſtipendia, & infra annum à die obitus eorum dumtaxat, petere poſſe. §. 1. Inhibet omnibus Iudicibus aliter iudicare. §. 2. Non obſtantibus quibuſcunque. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ex illis verbis, *redigere non ſolent*, putas, quod aliter ſit dicendum, ſi petantur ſalaria ab his, qui libros ſeruientium, & ſalariorum tenent?

RESPON. Ità profectò dicendum eſſe, cenſuit Rota coram R. P. D. Binarino in vna Bellaiana Mercedis 9. Aprilis. 1565. vbi firmauit, hanc Bullam Pauli III. non habere locum in Cardinali habēte libros familiarium; Tunc enim ceſſat ratio bullæ, quod cum Prælati non ſoleant tenere libros huiuſmodi, ſolutionem ſalariorum cum difficultate probare poſſent.

Schol. ſecundum.

Quæro. Argumentum ergò pariter deſumetur ex illis verbis, *cum ſalario menſuali*, vt quibus ſalarium non ſoluitur per Menſes, hæc Bulla non obſtet?

RESPON. Optimum eſt argumentum, & probatum à Rota coram Sarmiento in vna Romana Mercedis 12. Nouembris 1603. ad fauorem Vincentij Medici.

XLIV.

Edita Anno 1548.

ADonus Apoſtolicæ ſeruitutis, & infra pag. 682. *Item*, Cum aliàs nos, & infra pag. 684. Bullarij.

COMPENDIVM.

Circa authoritatem Viſitatorum Carcerum Vrbis, & ordinationes ab ipſis, & alijs Officialibus obſeruandas Statuta prodit §. 1. Quando carcerati gratis relaxari poſſint. §. 2. Capti tamquam teſtes quomodo relaxandi. §. 3. Carcerati quomodo examinandi, & ad largam ponendi. §. 4. Sine indicijs nemo capiatur, niſi de mandato Gubernatoris. §. 5. Copiæ inditiorum dentur, præterquam in criminibus exceptis. §. 6. Nemo torqueatur non legitimato proceſſu. §. 7. Captus pro vno crimine, quando poſſit interrogari de alijs. §. 8. Verba rei ſcribantur in illo idiomate, quo proferuntur ab eo. §. 9. Copia inditiorum detur in modum extractus. §. 10. Regiſtrum fiat actorum tranſportatorum. §. 11. Innocens, nihil ſoluat. §. 12. Cuſtodes Carcerum, ſeruēt decreta Cameræ. §. 13. Et etiam Executores. §. 14. Cibatio Carceratorum quæ. §. 15. Cuſtodes præſentent Viſitatoribus detentos in carceribus publicis, & notificent detentos in ſecretis. §. 16. Arreſta dentur à Iudicibus, qui reos carcerarunt. §. 17. Pro eadem cauſa non carceretur quis, à pluribus Iudicibus §. 19. Viſitatio Carcerum, fiat ſingulis hebdomadis. §. 20. Eiuſque ſolutiones omnino attendantur. §. 21. Poſt decretum Viſitæ, quando quis arreſtandus ſit. §. 22. Compoſitionum pecuniæ, deponantur penes Depoſitarium Cameræ. §. 23. Eleemoſynæ carceratorum, vt diſtribuen-

ſtribuendæ. §. 24. Capti omnes ad carceres publicos, vel Caſtrum S. Angeli ducantur. §. 25. Significationes conceſſæ à Camera ſeruentur. §. 26. Infirmi pro debitis, vt relaxandi. §. 27. Bona reperta penes carceratos, vt ſeruanda. §. 28. Cuſtodes quid pro arreſtis accipiant. §. 29. Bariſellus pro exploratoribus, nihil exigat à carceratis. §. 30. Triremes bis in anno viſitentur. §. 31. Carcerati, vt transferantur. §. 32. Executorum merces, quæ §. 33. Carcerati, quãdo nihil pro carceribus ſoluant. §. 34. Pro quibus minimis, non ſit quis carcerandus §. 35. Abſoluti, & condemnati an aliquid pro ſententiæ nota ſoluant §. 36. Carcerati, vt in viſitationibus docendi. §. 37. Clericus Cameræ pro tempore Carcerum Præſidens, prædicta exequatur, in §. 1. ſubſeq. conſtit. Contrarijs omnibus derogatur. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Si vnus ex Viſitatoribus eſſet Iudex cauſæ, de qua agitur, in Viſitatione iſta poterit in ea votum dare?

RESPON. Conſueuit votare, licet contrarium honeſtius videatur Veſtrio, qui ſic ſcribit in Pract. Rom. Curiæ lib. 2. cap. 13. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Carceratorum cauſæ poſſunt ne etiam diebus Deo dicatis tractari?

RESPON. Poterunt, tamquam cauſæ piæ Bald. in ſuo Tract. de Carceribus num. 8. quem citat, & ſequitur Vitius deciſ. 341. num. 4.

XLV.

Edita Anno 1547.

CVm poſtquam fel. rec. Innocentius VIII. & infra pag. 624. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius VIII. In ſua conſtit. 15. de qua ſup. pag. 79. & Leo X. & Clemens VII. debitoribus Mercatorum conducentium victualia, & mercimonia ad Ripas Vrbis, moratorias dari prohibuerunt; Et nihilominus Clericis, & alij priuilegiati, hoc eis non præiudicare prætendunt. §. 1. Hic ideò Pont. omnes comprehendere decernit. §. 2. Libroque Mercatoris Ripalis, iuncto libro Proxenetæ, credi iubet. §. 3. Ipſoſque in rebus ſuis extantibus, præferri cæteris mandat. §. 4. Et in alijs hypothecam habere, & concurrere cum alijs creditoribus declarat. §. 5. Et ita obſeruari præcipit. §. 6. Non obſtan. quibuſcumque. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hoc priuilegium Mercatorum, eſt fauorabile, & largè interpretandum?

RESPON. Largè quidem, cum ſit conceſſum ad publicam vtilitatem, pro abundantia Almæ Vrbis, Decius conſ. 352. num. 1. & 3. Vnde in facti contingentia, hodie dicebam, quod eiuſmodi priuilegijs non cenſetur derogatum, per quodcumque reſcriptum habens clauſulas generales derogatorias, ad Bartol. in extrauag. ad reprimendum. §. Non obſtantibus num. 3. & Roman. conſ. 436. numero 10.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Mercatoris, vel Proxenetæ liber, de quo in §. 3. ſit ſuſpectus de falſo?

RESP. Perdit hoc priuilegium, Iaſ. in repet. l. Admonendi. 31. ff. de Iureiur. num. 123. Menoch. de Arbitrar. Iudic. caſu. 91. num. 21. Deciſ. Genuæ 2. num. 32.

XLVI.

Edita Anno 1548.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 686. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit perſonas Eccleſiaſticas teſtandi licentiam à Sede Apoſtolica non habentes, decimam tantummodo partem locis pijs relinquere, & donare poſſe. §. 1. Non obſtantibus quibuſcunque in fine, d. §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Hæc licentia conceſſa, expirabit morte Papæ concedentis?

RESP. Non, vt probat Sarmient. de Reddit. Eccleſ. par. 4. cap. 4. num. 2. & Rota in deciſ. Rubei 47. par. 1. Diuerſ. num. 15.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi teſtator nullam mentionem facit in ſuo teſtamento, de d. licentia?

RESP. Valet teſtamentum, quia præſumitur illa vti voluiſſe licentia, quam obtinuerat, ad validitatem huius actus, l. 3. ff. de Militar. teſtamen. Sarmient. vbi ſupra num. 1. verſ. quod vtrumque Rodoan. de Spol. quæſt. 7. §. occurrit. num. 27. & ſeq. & Burſat. conſ. 178. lib. 2. num. 10. Præſertim ſi extat clauſula omni meliori modo, quæ operatur, vt actus quoquo modo ſubſtineri poſſit, Rota coram Aldobrandin. in vna Romana Nullit. Teſtamenti 28. Maij. 1582.

XLVII.

Edita Anno 1549.

EXponi nuper nobis feciſtis, & infra pag. 686. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ceſſante officio Vicarij generalis, Congregationis Camaldulenſis, duo Viſitatores, & duo Prælati, infra annum eligi conſueuerant, in princ. Ad petitionem d. Ordinis hic Pontifex, pro illius Ordinis maiori commodo, & decore, mandat Vicarium generalem Congregationis Eremi Camaldulenſis, infra menſem à die obitus Prædeceſſoris, & plures Priores, & Prælatos, ad electionem hãc faciendam, deſignat. §. 1. Et ſi in hoc tempore non ſiat electio, ad totius Ordinis Prælatos deuolui declarat. § 2. Contrarijſque derogat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Electio igitur facta à pluribus, vtilior, quàm à paucis facta dijudicatur?

RESP. Ita ſanè, & rationabiliter, quia vbi maior eſt numerus, zelus melior præſumitur cap. Eccleſia. 57. de Elect. gl. penult. in cap. Si quandoq; eod. tit. in 6. Alciat. de præſumpt. reg. 1. præſ. 51. num. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi fieret electio infra menſem, vt dicitur in §. 1. ſed ſcienter eſſet facta de indigno?

RESPON. Electio eſſet nulla, ad text. in cap. Congregato 53. de Election. Rota in deciſ. Seraphin. §. 16. num. 5. in Nouis. Et electio deuoluitur ad Capitulum, iuxta §. 2. ad tex. in cap. Cum in cunctis. 7. §. final. eod. tit. & notant Canoniſtæ communiter in dictis locis, & Innocent. in cap. Dudum. 22. de elect. num. 3.

XLVIII.

Edita Anno 1549.

LIcet debitum Paſtoralis officij, & infra pag. 687. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat vberes fructus, quos affert Societas Clericorum Regularium Societatis IESV, in proœm. Præpoſiti generalis authoritatem, totalem, liberam, ac perpetuam eſſe decernit. §. 1. Qui tamen ex certis cauſis remoueri poſſit. §. 2. Eius circa miſſiones Clericorum ſit libera poteſtas. §. 3. Præpoſitus abſque conſenſu Societatis, & alij abſque conſenſu Præpoſiti, electioni ad dignitates conſentire nequeãt. §. 4. Appellatio à correctione prohibetur §. 5. Socij ad Prælatorum miniſterium non deputentur, niſi aliter iubeat expreſsè Summus Pontifex. §. 6. Miſſi à præpoſito, remoueri poſſint. §. 7. Præpoſiti in abſoluendis Socijs, quæ ſit facultas. §. 8. & ſeq. Is, vel ab eo Deputati, Sociorum confeſſiones audiant. §. 10. Societatem ingreſſi emiſſis votis, ad ſolum Carthuſianum Ordinem tranſire poſſint. §. 11. Apoſtatæ à Præpoſito coercentur. §. 12. Societas à ſuperioritate Ordinariorum eximitur. §. 13. Socij celebrent etiam tempore interdicti, & ſuper altare portatili. §. 14. Et familiaribus Sacramenta miniſtrant d. tempore. §. 16. Nullus Prælatus, eos excommunicat, contra priuilegia Societatis. §. 17. Concionibus eorum intereſſentes, ibidem Miſſam audire, & Sacramenta recipere poſſint. §. 18. Promouentur volente Præpoſito, à

Digitized by Google

quocumque Antiſtite. §.19. In Terris infidelium, & hæreticorum, de licentia Præpoſiti commorari licet. §.20. Monialium curam, iuſtitiæ miniſtrationem, aut aliquam viſitationem ſuſcipere non coguntur. § 21. Decimas bonorum, aut aliam contributionem, non ſoluunt. §.22. Domus, & Collegia conſtruenda, à Sede Apoſtolica erecta cenſeantur. §. 23. Eis donata, per Sedem Apoſtolicam applicata dicuntur. §. 24. Eorum Eccleſiæ, à quocunque Epiſcopo conſecrari poſſunt. §.25. Et de nouo vbique conſtrui. §.26. Superiores, vt cum Socijs diſpenſent, §. 27. Confeſſiones omnium audiunt. §. 28. Sacramenta præterquam tempore Paſchatis adminiſtrant. §. 29. Eorum Eccleſias viſitantibus, quæ Indulgentiæ concedantur. §.30. & ſeqq. Præpoſitus ad Lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, Socios deputat. §.32. In Terris infidelium, & partibus remotiſſimis, Socij abſoluunt etiam à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini. §.33. Diſpenſantque. §. 34. Eccleſias quoque erigunt, & paramenta benedicunt. §. 35. Præpoſito illic decedente, alium interim eligunt. §. 36. Miſſam bis in die, quando celebrent. §. 37. Societatis Priuilegia omnia confirmantur. §.38. Profeſſio vbique emittenda, de licentia Præpoſiti. §. 39. Præpoſitus quot coadiutores habere poſſit. §.40. Præpoſitus indulta, & gratias, per alios exercere valeat. §.41. Clauſulæ huius Bullæ præſeruatiuæ ſubſequuntur. §.42. Tranſumptis eius fides detur. §.43. Sic & non aliter iudicetur § 44. Societas Principibus commendatur. §. 45. Executores huius Bullæ deputantur. §. 46. Contriaria omnia ſubmouentur. §. 47.

Schol. primum.

Quæro. Quod regularis non conſentiat electioni de ſe factæ extra Monaſterium abſque licentia ſuorum Prælatorum, de qua in §.4. nonne diſpoſitum erat in iure?

R E S P. Clarus eſt tex. qui electionem huiuſmodi, abſque de licentia factam, irritat in cap. Si religioſus. 27. de Elect. in 6. & ſcribit Roderic. lib. 2. Quæſtion. Regular. quæſt. 58. art. 2. vbi ſpecificè loquitur de hac Bulla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Votum, de quo in §.4. tenet ne, in terminis iuris communi?

R E S P. Proculdubio, quia conſonat diſpoſitioni dicti cap. Si religioſus & poſt D. Thomam, Caietanum, & Sotum, ita ſpecialiter affirmat Roderic. vbi ſupra.

I V L I V S III. Italus, creatus Anno 1550.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1550.

RAtioni congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 690. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus IIII. conſtitut. 23. de qua ſupra pagina 75. authoritate Summi Pœnitentiarij edidit. §. 1. Paulus III. confirmauit. §. 2. Impedientibuſque literas Summi Pœnitentiarij inflixit pœnas contentas in Bulla Cœnæ Domini. §. 3. Eius literas apertas in vtroque foro ſuffragari ſtatuit. §.4. Et ita ac non aliàs iudicari decreuit. §.5. Contrarijs derogauit. § 6. Tranſumptiſque ſue Bullæ credi iuſſit. §. 7. Cuius Pauli III. literæ, ob eius obitum non expeditæ, ab iſto Pont. eduntur. §.8. Clauſulaſque contrariorum derogatorias addit §.9.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt, quòd Paulus III. decreuit (vt hic refertur in §. 4) literas Pœnitentiarij apertas ſuffragari in vtroq; foro, ſi eius officium verſatur ſolum circa cauſas fori pœnitentialis, vt dicunt Scribb. in clem. 2. §. Eo prouiſo de Elect. & Zabar. in conſ. 28. nu. 4.?

R E S P O N. Inuaſit poſteà ſtylus, vt Pœnitentiarius reſcriberet etiam circa, nonnulla fori exterioris, de quibus ſcribit Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. num. 2. vbi de eiuſdem Pauli reformatione Pœnitentiariæ meminit, nec non ſcribit Rebuff. in ſua Pract. Beneficiar. in titul. de Diſpenſat. ad plura benef. num. 34. Hodie autem attendendæ ſunt reformationes Pij IV. & Pij V. de quibus infra in illius conſtit. 53. & iſtius conſt. 83.

Schol. ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi literæ Pœnitentiariæ, quoad contenta in eis, probabunt in foro contentioſo?

R E S P. Non probare, pro certo affirmat Nauarr. in conſ. incipien. Facultas diſpenſandi lib. 5. de Priuileg. nu. 13. verſ. Tum quia, pag. mihi 559. Quod intelligere videtur de literis expeditis, quoad ſpectantia ad forum Pœnitentiæ tantum; Secus verò de alijs literis expeditis circa ea, quæ pertinent ad forum contentioſum.

I I.

Edita Anno ....

CVm ſicut accepimus, & infra pagina 691. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confirmat iterum, & approbat iuriſdictionem à Paulo III. eius in Vrbe Vicario conceſſam, vt in eius Curia Hebræi Vrbis actiuè, & paſſiuè inter eos, & inter alios paſſiuè tantum conueniantur, tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis. §. 1. Inhibet alijs Iudicibus, quatenus in illis, ſe non intromittant quibuſcumque non obſtantibus. §.2. & 3. Dat facultatem Vicario, deſuper illis inhibendi, & inobedientes coercendi. §. 4. Sic, & non aliter iudicari mandat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si Hebræus contra Chriſtianum promouet remedium, ſiue iudicium l. Diffamari. 5. Cod. de Ingen. & Manumiſſ. dicetur ipſe reus, eiuſque cauſam ſpectare ad Vicarium, vel potius actor, & eius cauſa ad Vicarij forum non pertinere, iuxta. §. 1.?

R E S P. Propriè dicetur Reus, vt declarant Scribb. in d. l. Diffamati, & præcipue Contard. in ſuis quæſtionibus, num. 19. & ſeqq. pag. mihi 77. Capic. deciſ. 18. num. 1. & ſeqq. Couarruu. var. reſolut. lib. 1. cap. 18. num. 4. & de communi, Cagnol. in d. l. Diffamari num. 9. licet in contrarium ſtet deciſ. Afflict. 268.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Hebræus intentans remedium l. Diffamari, haberet plures iudices ex priuilegio, vel de iure communi?

R E S P. Si haberet ex priuilegio, cauſa coram Vicario remaneret cognoſcenda actore etiam nolente; Si verò de iure communi, actor poſſet recedere à Vicario, & cauſam proſequi coram illo alio Iudice, ad ſcripta per Socc. Sen. in conſ. 94. lib. 3. num. 2. & Couarr. vbi ſupr. num. 6.

I I I.

Edita Anno 1550.

LIcet ea, quæ à Sede Apoſtolica, & infra pag. 692. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Paulus III. officium Camerariatus S. R. E. cum eius iuriſdictionibus, & emolumentis, Cardinali S. Euſtachij contulit. §. 1. & ſeqq. Bullam à Iulio II. editam contra Camerales, in contractibus Cameræ participantes, confirmauit. §.4. Eamque ad intereſſentes in Camera, dum agitur de contractibus ſuorum affinium, & conſanguineorum extendit. §.5 Sed hæc Cardinalem Camerarium non ligare, declarauit. § 6. Omneſque Iudices ditionis Eccleſiaſticæ, Camerario ſubijcit. § 7. Priuilegia Camerariatus omnia innouauit. §. 8. Expeditiones Camerales omnes, ſub nomine Camerarij expediri iuſſit. §. 9. Hic Iulius prædicta approbat, & confirmat. §. 10. Et eos ſigillo Camerarij, vti debere præcipit. §. 11. Clauſulas præſeruatiuas appoſuit. §. 12. Executores deputat. §. 12. Contrarijſque derogat. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Quid differt approbatio, à confirmatione, de quibus in §.10.?

RESP.

RESP. Propriè dicetur approbatio, quando fit à pari, confirmatio verò à ſuperiori, Dec. poſt alios in rubr. de Confirmat. vtil. vel inutil. num. 1. Rota in deciſ. Aldobrandin. 702. par. 1. Diuerſor. num. 7.

Schol. ſecundum.

Quæro. Confirmatio, & innouatio, de quibus in d. §. 10. quid operantur?

RESP. Confirmatio fortius ſtringit, & priuilegium confirmatum non cadit ſub eeuocationibus generalibus Rota in deciſ. Aldobr. 457. par. 1. Diuerſor. num. 9. Innouationem verò, parum, aut nihil operari, dixit Rota in deciſ. 1. Caſſad. in tit. de Confirmat. vtil. vel. inutil. & in d. deciſ. 702. Aldobr. num. 6.

Edita Anno 1550.

IIII.

AD fidei conſtantiam, & infra pagina 694. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Gubernatorem vtrinſque Burgi Vrbis, & Capitaneum generalem Cuſtodiæ ipſiuſmet Papę, Aſcanium de Cornea, cum facultate cognoſcendi cauſas ciuiles, & criminales, incolarum, & habitatorum Burgi in prima inſtantia actiuè, & paſſiuè, vſque ad ſententiam diffinitiuam. §. 1. & ſeqq. Iudicemque, Fiſcalem, Notarium, ac Bariſellum deputandi. §. 5. Cuſtodes Portarum Burgi eligendi. §. 6. Bannimenta in Burgo edendi § 7. Quibuſcumque non obſtan. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Alibi me docuiſti quis dicatur habitator Vrbis, dic amabò quis dicatur habitatot Burgi?

RESP. Qui habet in Burgo locum aliquem, in quo tenet lectum, comedit, & bibit ad eius beneplacitum l. Habitationum cum ibi not. ff. de Peric. & commod. rei Vendit. Bald. conſ. 234. incipien. Decretum ſub num. 1. & conſ. 242.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si aliquis habitat in Burgo cum familia, ſed apothecam alicuius artis habet extra Burgum, vel e contra, vbi dicetur habitare, vt poſſit ibidem conueniri?

RESP. Puto, quod ibi quis proprius dicatur habitare, ibique conueniendum eſſe, vbi cum familia habitat, ad ſcripta per Aſyn. in Pract. Iudic. §. 6. cap. 5. num. 5.

Edita Anno 1550 & 1551.

V.

CVpientes, vt alma Vrbs noſtra, & infra pagina 695. Bullarij.

COMPENDIVM.

Incolis Vrbis, ſeu Romanam Curiam ſequentibus, dat facultatem, ſi in d. Curia. & diſtrictu deceſſerint, de eorum bonis etiam ex fructibus beneficiorum, licitè tamen acquiſitis, liberè diſponendi, etiam ad fauorem incapacium. §. 1. Et ab inteſtato eos hæredes, excluſa Reuerend. Cam. Apoſtol. declarat. §. 2. Officialibuſque Cameræ eos non moleſtare præcipit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Diſtrictus Vrbis, de quo hic in §. 1. nonne ad centum milliaria ſe extendit, iuxta l. 1. §. quicquid igitur. ff. de Offic. Prætor. Vrbis?

RESP. Non, quia ex Statuto Vrbis tempore huius editæ conſtitutionis vigente, reſtrictus erat ad quadraginta milliaria, vt dixit Rota in deciſ. 24. coram Puteo lib. 3. num. 1. Et hodie nouum Statutum lib. 1. cap. 197. hæc habet verba. *Diſtrictus Vrbis paſſibus quadraginta millibus circumquaque finitur*. Quod ſtatutum, & alia, comprobauit Gregor. XIII. in conſtit. 61. Vrbem. Mox autem Paulus V. ad milliaria decem reſtrinxit in materia ſpoliorum, vt infra in ſua conſtit. 14. aliàs 18.

Schol. ſecundum.

Quæro. Dic amabò, cur his gratijs donantur Curiales, cum ob eorum inhoneſtos mores, non ſint admittendi ad Sacros ordines, nec ad Religionem, abſque magna difficultate, ad tex. in cap. vlt. diſt. 51. & c. 1. diſt. 53.?

RESP. Fas leges loqui de his, qui in Curia ſunt adulatores, vel in cauſis ſanguinis ſe immiſcent, ſæua exercendo, vt ſcribit Lucas de Penna in l. Curiales 21 Cod. de Decurion. lib. 10. & B. Anton. de Irregul. cap. 6. num. 6. Hæc autem conſtitutio loquitur de Curialibus, qui verbo, & opere honeſta officia exercentes, & pręclara munera ſubeuntes, Papæ inſeruiunt, aut Pręlatis eius, vt ſcribit Mandoſ. ſuper 6. regula Cancell. quæſt. 1. ad finem, & in quæſt. 2. num. 2.

VI.

ILlius qui miſericors, & infra pagina 696. Bullarij.

Edita Anno 1550.

COMPENDIVM.

Cum nonnulli fideles, diabolica fraude decepti, à fide aberrauerint, & in viam ſalutis redire differant, publicam pœnitentiam abhorrentes, Hic Pont. ad eamdem priuatam pœnitentiam ab Inquiſitoribus admitti decernit, eoſque ſic admiſſos abſoluit §. 1. & 2. Ipſos, eorumque ſucceſſores ad honores reſtituit, & ſuper irregularitate per eos contracta, diſpenſat. § 3. Impęnitentes, dictis Inquiſitoribus notificati mandat. §. 4. Et grauiter coerceri. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Diſpenſare ſuper irregularitate contracta ob hæreſim, de qua in §. 3. nonne Inquiſitores abſoluere potuiſſent?

RESP. Facultatem eis datam hanc fuiſſe videtur à Clemente VII. in ſua conſtit. 27. § 2. vt ſup. pag. 114. Sed à ſucceſſoribus Pontt. reuocatam eſſe inquit Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Commentar. 175. ad finem.

Schol. ſecundum.

Quæro. Condemnatio impęnitentium, de quibus in §. 5. quomodo terminanda?

RESP. Docet Eymericus in Director. Inquiſitor. par. 3. de 11. mod. termin. proceſſ. num. 205. pag. mihi 519. Scripſerunt etiam alij relati ibi à Pegna in Comment. 47.

VII.

CVm ſicut nobis nuper innotuit, & infra pag. 697. *Item*, Dudum ex certis, & infra pag. 698. *Item*, Cum autem, & infra pag. 698. Bullarij.

Edita Anno 1550. & 1551.

COMPENDIVM.

Fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum, tempore obitus beneficiatorum, quamuis maturatos, ſed non exactos cum effectu, etiam ſpontè oblatos, decernit non ſpectare ad eorum hæredes, ſed ad ſucceſſores in beneficijs. §. 1. Excipit paramenta, & ornamenta Capellæ Cardinalium, & pretium anuli Cardinalitij, quæ ad Cameram pertinere declarat. §. 2. Ex illis autem, debita occaſione beneficiorum contracta, quorum dies ante beneficiatorum obitum aduenit, & aliundè perſolui nequeunt, ex eorum bonis, & ad pias cauſas legata ab eiſdem beneficiatis in ſanitate conſtitutis facta, ſolui mandat. d. §. 2. Declarat poſtea in ſubſeq. conſtit. hæc omnia ibi ſeruanda fore, vbi Collectores ſpoliorum pro Camera Apoſtolica deputari, aut eſſe, non conſueuerunt in alio. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Beneficiatorum nomine, veniunt Capellani, ad propoſitum huius bullæ?

RESP. Non veniunt, quia ſalaria eis debita pro ſeruitio, & inde quæſita, dicuntur acquiſita ex induſtria, & non ſunt fructus, nec acquiſita ex fructibus beneficiorum, Innocen. in cap. Quia nos 9. de Teſtamen. Ioan. And. num. 1. Hoſt. & Anchar. num. 2. & Imola num. 7. quos ſequitur Alex. de Neuo conſ. 13. num. 1. & 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si beneficiatus frumentum recollegiſſet, & vendidiſſet, habita fide de pretio, ad diem, quæ tempore ſui obitus non aduenit, illud, ad quem ſpectabit?

Digitized by Google

R E S P. Videtur pretium ad eum ſpectare, cum frumentum verè dicatur fructus beneficij, illudq; dicitur exactum, & in pecuniam conuerſum, vt latè ſcribit, & ita hanc Bullam intelligit, Franc. Monald, in conſ. 98. lib. 1. per totum,

Edita

V I I I.

Anno 1550. CVm ſicut accepimus, & infra pagina 699. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Fratres Seruitæ B. Mariæ Virginis, ex diſpenſatione Apoſtolica habentes beneficia Eccleſiaſtica, vel Officium Pœnitentiarij, in domibus Ordinis ſtare, & officia Fratrum exercere, eorumque gratijs vti intendebant, in procem. Hic Pont. inconuenientibus inde naſcentibus obuiando, dictos Fratres eiuſmodi beneficia Eccleſiaſtica, vel quorumuis aliorum Ordinum obtinentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes, iubet in domibus Ordinis commorati, aut eius dignitates obtinere, aut illius gratijs vti, vocemque actiuam, & paſſiuam habere non poſſe. §. 1. Fratribus profeſſis tranſitum ad laxiorem Ordinem vetat ibidem; Mandatque Priori generali, & Vicarijs, huius conſtit publicationem, & executionem. §. 2. Contrarijs, gratijſque, & Priuilegijs Ordinis omnibus derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi Prior generalis vellet huiuſmodi Fratres in domibus Ordinis commorari?

R E S P. Vidi cautum in quadam conſt. Innoc. VIII. de qua in libro Compendij Priuilegiorum huius Ordinis pagina 75. Priorem generalem id poſſe permittere; Sed illi arbitror derogatum per hunc Pontificem, qui nullo modo id Fratribus permittit, & Priuilegijs quibuſcumque Ordinis derogat. §. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. An his Fratribus licebit tranſire ad Monachos S. Benedicti?

R E S P. Licèt regula S. Benedicti, quam Monachi profitentur de per ſe ſit ſtrictior, regula S. Auguſtini, nihilominus Ordo Seruitarum dicitur ſtrictior, attentis eorum reformationibus, quæ in hoc attenduntur. Ideò non niſi ad Monachos ſtrictius reformatos, tranſitus licitus erit, vt in puncto tradit, Lapus allegat. 62. ſub num. 5. & Cardin. Zabar. conſ. 28. num. 5.

Edita

I X.

Anno 1550. EXpoſcit debitum, & infra pagina 699. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert Paulum III. in ſua conſt. 25. de qua ſup. pagina 125. confirmaſſe Regulam Clericorum Societatis IESV. §. 1. Societatemq; pro eiuſdem Regulæ melius explicatæ approbatione ſupplicaſſe. §. 2. Nempè ſuper Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votis §. 3. Præpoſiti generalis authoritate. §. 4. Obedientia erga Rom. Pontif. Sedemque Apoſtolicam. § 5. Miſſionibus quoque. §. 6. Obſeruantia Regulæ. §. 7. Præpoſiti generalis munere. §. 8. Paupertate domorum profeſſarum. §. 9. Non autem Collegiorum. §. 10. Regimine Collegiorum. §. 11. Officij recitatione. §. 12. Admiſſione ad profeſſionem. §. 14. & ſeq. Prędictam ergo Societatis inſtitutionem, Regulamque, & omnia alia Priuilegia, ſub quibuſcumque tenoribus conceſſa, confirmat. §. 16. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 17. Executores, & Conſeruatores pro præmiſſorum obſeruantia, cum poteſtate contradictores appellatione poſtpoſita compeſcendi, deputat. §. 18. Obſtantibus derogat. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *ſub quibuſcumque tenoribus*, de quibus in §. 16. quid operantur?

R E S P. Operantur, vt quæcumque priuilegia comprehenſa dicantur, ità, vt nulla reſtrictio, aut diſtinctio fieri poſſit. Iaſ. conſ. 47. lib. 4. nu. 6. Rota in deciſ. Seraph. 1022. num. 1. in Nouis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poteſtas compeſcendi contradictores, de qua in §. 18. intelligitur ne de contradictoribus de facto, an autem de iure?

R E S P. Non extenditur ad contradictores de iure, Quia intelligit Papa, quod præſeruentur iura Societatis, ſed non quod aliorum iura tollantur, Rota in deciſ. Puteì 270. lib. 3. numer. 5. in Nouis, & in deciſ. Pegnæ in vna Panormitana Archidiaconatus 15. Iunij 1590. & in deciſ. Pamphilij in vna Mediolanen. Parochialis 16. Martij 1588.

X.

Edita Anno 1550.

AD hoc nos Deus, & infra pagina 701. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Deputat omnes Epiſcopos, Abbates, & cæteros in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, Metropolitanos, Canonicos, Vicarios, & Officiales generales quoſcumque, in Conſeruatores Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati. §. 1. Quibus dat facultatem procedendi contra moleſtatores, iniuriatores, & occupatores bonorum Cógregationis, etiamſi ſint extra loca, in quibus ſtant ipſi Conſeruatores, non permittendo à quoquam ſuper Priuilegijs, bonis, & iuribus ſuis Congregationem hanc moleſtari, &c. §. 2. & 4. Quibuſcúque non obſtantibus. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Ab huiuſmodi Conſeruatorum ſententijs, ſeu grauaminibus, ad quem dabitur appellatio?

R E S P. Conſeruatores ſunt Iudices delegati à Papa, in cauſis eis commiſſis, cap 1. & ſeq, de Offic. Iudic. deleg. in 6. Propterea ad Papam tantummodo ab eis appellatur, Ancharan. conſ. 72. num. 1.

Schol. ſecundum.

Quæro. Præpoſitus Monaſterij huius Congregationis non vtens hoc priuilegio fori Conſeruatoris in aliqua cauſa, præiudicabit Congregationi, vel d. Monaſterio, in alijs cauſis?

R E S P. Non præiudicare tenet Feder. de Sen. in conſ. 14. num. 5. vbi antiquiores allegat.

X I.

Edita Anno 1551.

LIcet à diuerſis Romanis Pontif. & infra pag. 703.

C O M P E N D I V M.

Quamuis pleriq; Romani Pontifices ſæcularibus Iudicibus de crimine hæreſis quoquo modo cognoſcere, & Epiſcopis, ac Inquiſitoribus, in negotio Inquiſitionis ſe opponere, vel impedire, aut impedientibus fauere interdixerint, illi tamen varijs prætextibus contrauenirebant in procm. Hic ideò Pont. ſtrictius iſta prohibet. §. 1. Tranſgreſſoribus pęnas imponit. §. 3. Et etiam Inquiſitoribus admittentibus Laicos ad d. criminis cognitionem. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Solis minis, & terroribus dicitur, quis impedire officium Inquiſitorum?

R E S P O N. Sic profectò ſcribit Bernard. Comen. in Lucerna Inquiſitor. in verbo Impedientes. §. 2. & ſequitur Pegna in Directot. Inquiſit. par. 2. Commen. 79. verſ. His autem, per tex. in cap. 1. de Offic. Iud. deleg.

Schol. ſecundum.

Quæro. Impedientes huiuſmodi officium, à quo coercendi?

R E S P O N. Ab ipſis Inquiſitoribus, text. eſt in cap. Vt officium 11. §. denique de Hæretic. in 6. & tradit Eymeric. in Directot. Inquiſit. par. 3. quæſt. 36. & Pegna ibidem Comment. 85.

Rome.

XII.

Edita Anno 1551.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 704. Bullarij.

COMPENDIVM.

Elargitur Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Capellæ Pontificiæ aſſiſtentibus, vt circa beneficiorum collationem, gaudeant alternatiua ſex menſium. §. 1. Nobilitatiſque decore, & Inſignijs Papæ. §. 2. Exemptione etiam à decimis. §. 3. Et à gabella vini in Vrbe. §. 4. Facultate quoque viſitandi Eccleſias, eis ſubiectas, per alios. §. 5. Locandique fructus beneficiorum etiam anticipata ſolutione ad bienoium. §. 6. & 10. Diſpenſandi etiam de acquiſitis ex fructibus beneficiorum, vſque ad ſcuta duo millia. §. 7. Remittit eiſdem fructus malè perceptos, omnemque infamiam, atque cenſuram. §. 8. Dat facultatem cõtra quoſcunque etiam exemptos in ſua diœceſi procedendi. §. 16. Eccleſias etiam exemptas viſitandi. §. 17. Cauſas criminales, citra incurſum irregularitatis, cognoſcendi. §. 18. Dat aliqua priuilegia circa reſignationes, & permutationes beneficiorum. §. 19. Et viſitationem liminum Apoſtolorum. §. 20. Quibuſcumque non oſtantibus. §. 25.

Schol. primum.

Quæro. Quis primum alternatiuam in conferendis beneficijs Eccleſiaſticis, de qua in §. 1. introduxit?

RESPON. Nicolaus V. conceſſionem quattuor menſium, prima vice conceſſit; Conceſſionem verò ſex menſium (magis propriè alternatiuam) Paulus II. primò conceſſit, teſte Burſat. conſ. 126. lib. 2. num. 101. & ſeqq. cui aſſentitur Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. in §. 1. procemij num. 55. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Num Epiſcopi ab initio naſcentis Eccleſiæ, à Papa habuerunt poteſtatem conferendi beneficia?

RESP. Vtique: Solus enim Papa, eſt Ordinarius Ordinariorum, & Dominus omnium beneficiorum Mundi, cap. 2. de Præben. in 6. & tàm ibi Scribb. quàm in cap. cuncta 17. cauſ. 9. quæſt. 3. Et ad literam explicat & benè, Gonzal. ſuper reg. 8. Cancellar. §. 1. Procem. num. 20. & ſeqq. vbi quamplurimos cumulat.

XIII.

Edita Anno ....

CVm nuper ex rationabilibus cauſis, & infra pag. 707. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum hic Pontifex præcepiſſet Iudicibus Romanæ Curiæ, & alijs quibuſcunque Officialibus, ne quoüis prætextu moratorias, aut dilationes concederent; Et viſitatoribus Carcerom tribuiſſet facultatem dandi miſerabilibus perſonis carceratis, aliquam moderatam dilationem, ſub cautione de ſe repræſentando; Viſitatores nihilominus decreuerunt huiuſmodi dilationes carceratis conceſſas, eorum etiam fideiuſſoribus ſuffragari, in princ. Quod abſurdum videtur, cum accipiantur fideiuſſores, vt in caſu, quo principales non ſint ſoluendo, ipſi et ſatisfacerent ibidem. Ideò declarat hic Pont. illas fideiuſſoribus oon ſuffragari. §. 1. Et Viſitatorum decreta aliter facta irrita decernit. §. 2. Et executionem contra fideiuſſores fieri mandat. §. 3. Quibuſcunque oon obſtantibus §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cur in §. 1. abſurdum vocatur, quod huiuſmodi dilatio fideiuſſori ſuffragetur, cum id expreſsè conſtitutum fuerit in l. fin. §. fin. Cod. de Vſur. rei iud. & l. Omnes 29. ff. de Exception.?

RESP. Quia illa regula intelligitur de dilationibus cohærentibus rei, vel cauſæ, non autem perſonæ l. Exceptiones 7. ff. de Except. Priuilegium autem, de quo agitur hic eſt perſonale, conceſſum videlicet Pauperibus carceratis, ideò dicitur non extendi ad fideiuſſores. Batt. in l. Cum filius familias 49. §. ſi ſtipulatus. ff. de Verbor. oblig. nu. 2. vbi bonum Exemplum adducit Bald. in l. 2. Cod. de precib. Imper. offer. num. 4. & Marcheſan. de Commiſſ. par. 2. cap. 6. num. 35. ſecundum penult. impreſſionem pag. mihi 530.

Schol. ſecundum.

Quæro. Exemplum de exceptione cohærente rei, vel cauſæ, vbi perquiram?

RESP. Accipe exempla ex tex. in d. l. Exceptiones. 7. ff. de Excep. & aliud ex Aret. in conſ. 33. num. 3. verſ. Sed tamen.

XIV.

Edita Anno 1551.

CVm ea firmis illibata perſiſtant, & infra pag. 708. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat conſtitutiones ab Alex. VI. Iul. II. & Clem. VII. de quibus in ipſius Clem. VII. bulla 24. de qua ſup. pag. 113. editas, ad fauorem Curſorum Papæ. §. 1. Innouat eaſdem. §. 2. Declarat cauſas eſſe commiſſarias eas, in quibus ſuperuenit Commiſſio Papæ, in quacumque Curia vertantur, & quamuis à principio eſſent ordinariæ; ad hoc, vt ſolummodo Curſores Papæ, in eis citare poſſint in Vrbe. §. 3. & ſeqq. Quibuſcumque non obſtan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Dum hic Papa, eas conſtitutiones confirmat, & innouat in §. 1. & 2. aliquid ne eis addit?

RESPON. Non aliud addit, quam robur conſtitutionibus confirmatis, ſed eas non alterat, nec extendit, Et ideò in §. 3. expreſsè eas declarat, Dec. & alij in l. More Maiorum. 5. ff. de Iuriſd. omn. Iud. & Rota in deciſ. Seraphin. 981. num. 5. in Nouiſs.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Curſores referant quæſiuiſſe aliquem citandum, & non inueniſſe, & ab eius domeſticis eis dictum fuiſſe, quod abeſt ab Vrbe, probabunt eius abſentiam?

RESP. Probabunt, & ideò poterit ille poſtea citari per contradictas, vt cenſuit Rota in deciſ. 335. lib. 3. part. 3. Diuerſor. per totam. Hodie autem quo pacto ſit facienda huiuſmodi diligentia citandi à Curſoribus, deciſum eſt à Paulo V. infra in eius conſtit. 44. §. 21.

XV.

Edita Anno 1551.

ACcepimus vos in proſecutione, & infra pag. 709. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat Officiales Fabricæ S. Petri de Vrbe, iuriſdictionem habere, exequendi quaſcumque donationes inter viuos, in quibus aliqua bona ad pias cauſas à donatoribus elargita ſunt, & quintam partem Fabricæ applicare. §. 1. Et ita, ac non aliàs iudicari mandat. §. 2. Obſtantia remouet. §. 3. Fidem huius Bullæ tranſumptis dari iubet. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Legatum factũ pro reparatione, vel conſtructione Viarum, aut Pontium, dicitur pium?

RESP. Pium eſſe, ſi aliqua imminet neceſſitas, probat Tiraquell. in ſuo Tract. de Priuileg. Piæ cauſæ in præfat. verſ. Item legatum, vbi alios cumulat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Legatum factum Petro, tanquam perſonæ pauperi, qui tamen ſit diues, dicitur pium, ità vt quinta pars debeatur Fabricæ?

RESP. Videtur pium reſpectu donationis, ſed quia reſpectu donatarij habetur pro non ſcripto, remanet legatum tanquam pium incertæ perſonæ factum, vt poſt Bald. & alios ſcribit Tiraquell. vbi ſup. verſ. Et hoc adeò. Et conſequenter puto, quod Officiales Fabricæ de eo iudicare poſſint, tanquam de legato facto perſonæ incertæ.

Digitized by Google

XVI.

Edita Anno 1552.

CVm ſicut fide dignorum, & infra pag. 709. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli à Summis Pont. licentias extorquebant, vt ab aliquo Prælato, ſeu perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ad inſignia doctoratus in Romana Curia promoueri poſſent; Vnde nonnulla eueniebant abſurda, in procem. Decernit neminem de cætero in iure canonico, & ciuili doctorari poſſe in Vrbe, niſi à Collegio Aduocatorum Conſiſtorialium, quibuſcumque aliorum priuilegijs doctorandi non attentis. §. 1. Aliaſque promotiones irritas decernit. §. 2. Pauperesque gratis doctorari iubet. §. 3. His literis clauſulas præſeruatiuas addit, & ſignãter, quod ſuſpendi, & reuocari non poſſint, per contrarias literas, & quoties illæ emanabunt, iſtæ ab illis exceptæ, & denuò conceſſæ cenſentur. §. 4. Decretum irritans addit. §. 5. Executorum deputationem. §. 6. Clauſulaſq; derogatorias. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Huic Priuilegio Collegij cenſebitur derogatum, ſi alteri Collegio hæc facultas doctorandi concederetur, cum clauſula non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs?

R E S P. Non derogari cenſuit Rota, ſtantibus clauſulis pugnantibus huius Bullæ, in §. 4. Et diffiniuit, huic Priuilegio Iulij III. non fuiſſe derogatum, per ſimile doctorandi Priuilegium conceſſum Collegio Protonotariorum, in ſua conſtit. 12. vt legitur in deciſ. Seraphin. 1271. per totam in Nouis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vtrumque ergo Collegium, huiuſmodi perfruetur Priuilegio?

R E S P. Non, ſed ſolummodo iſtud Collegium Aduocatorum Conſiſtorialium, nã ſi ei non eſt derogatum, illud remanet cum ſua qualitate priuatiuè quoad alios, vt Rota voluit in deciſ. præcit.

XVII.

Edita Anno 1551.

CVm Ciuitates, & loca omnia, infra pagina 710. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat, & comprobat omnes Prædeceſſorum conſtitutiones editas contra homicidas, ſicarios, latrones, alioſque facinoroſos, eorumque fautores. §. 1. Franchitiam ipſis facinoroſis præbere, aut illarum prætextu, vel aliàs Iuſtitiæ Miniſtros in executione eorum officij impedire interdicit. §. 2. Quæcumque obſtantia tollit § 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi quiſquam impediat Bariſellum volentem abſque Iudicis mandato aliquem capere?

R E S P. Dico, quod non ſolum principalis poſſet ei reſiſtere, hæc enim Bulla recipit interpretationem à iure communi, quo ſic cauetur ad tex. in l. Prohibitum. 5. Cod. de Iure Fiſci lib. 10. Sed alij etiam poſſent ei auxilium preſtare, vt liber euaderet, Bart. ibidem num. 3. & Luc. de Pen. num. 14. Boſſ. in tit. de Carcere, num. 5. Clar. quæſt. 29. nu. 4. vbi de communi.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi Bariſellus vellet capere aliquem maleſactorem repertum in fragranti crimine?

R E S P. Reſiſtentia punietur, & exemptio per hanc Bullam, quia in eo, & alijs pleriſque caſibus, abſque Iudicis mandato capere poterit, quos vide apud Conrad. Lancell. de Offic. Prætor. in tit. de Capt. ſub num. 5. alioſque ab eo allegatos.

XVIII.

Edita Anno 1552.

CVm ſicut nobis exponi feciſtis, & infra pagina 711. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert à Conſulibus Piſtorum Vrbis ſibi expoſitum fuiſſe, quod vigore Statutorum, ipſi inter homines de arte, vſque ad quamcumque ſummam, & contra alios, vſque ad ſummam ſcutorum viginti, de rebus ſpectantibus ad artem, iuriſdictionem habent. §. 1. Et vigore Bullæ Leonis X. dilationes dari non poſſe, debitoribus ex cauſa panis. §. 2. Et in cauſis panis à quocumque Iudice procedi debere. §. 3. Hic Pont. ad petitionem Vniuerſitatis dd. Piſtorum, prędicta confirmat. §. 4. & 5. Et Conſules ab alijs Iudicibus, ſuper d. iuriſdictione non impediri mandat. §. 6. Debitoreſque ex cauſa panis, ad dilationes, aut bonorum ceſſiones admitti, prohibet. §. 7. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 8. Obſtantia remouet. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Statuta huius Artis, de quibus in §. 1. nonne fuerunt correcta à nouis Statutis, lib. 3. cap. 42. vbi hanc iuriſdictionem, ad homines de Arte reſtrinxit?

R E S P. Ita quidem, & quod magis eſt. Greg. XIII. illa obſeruari iuſſit, vt infra in eius conſtit. 61.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt ergo, quod pręfati Conſules, adhuc iuriſdictionem iuxta artis Statuta exercent?

R E S P. Quia idem Gregorius à dicta eius conſtit. 61. receſſit, & Conſulum iuriſdictiones reintegrauit, vt videre eſt in alia conſtit. eiuſdem Gregorij, quam ſupradictæ Genitor meus annexit in ſuo Bullario fol. 440.

XIX.

Edita Anno 1553.

MEritis deuotionis veſtræ erga nos, & infra pagina 712. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat Priuilegia Collegij Phyſicorum Medicorum Almæ Vrbis, quatenus ſint in vſu. §. 2. Dat eidem facultatem priuatiuè quoad alios, quoſcumque in Philoſophia, & Medicina doctorandi. §. 3. Conceditque Protomedico, authoritatem cognoſcendi cauſas ciuiles, & criminales, ad eius cognitionem ratione dicti ſui officij ſpectantes §. 5. Aliorum Iudicum inhibitiones, eum non afficere declarat. §. 5. Et ita iudicari mandat. §. 6. Executores huius Bullæ deputat. §. 7. Contraria tollit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Clauſula, *quatenus ſint in vſu*, appoſita in hac confirmatione, quid operatur?

R E S P. Vt qui allegat vſum, illum probare debeat, Rota in deciſ. Cottæ 55. par. 1. Diuerſorum. num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Sufficiet probare priuilegia loquentia de hac iuriſdictione, fuiſſe publicata?

R E S P. Sufficere dixit Rota in deciſ. Robuſter. 97. par. 1. Diuerſor. num. 2. & in deciſ. Seraphin. 775. ibidem num. 1. Vbi tamen declarat id procedere, ſi à principio hæc Statuta valida erant, num. 3. Quod renuit etiam Rota coram Pegna in vna Ameriina Succeſſionis die 24. Maij. 1593.

XIX.

Edita Anno 1552.

CVpientes Cameræ Apoſtolicæ, ex qua, & infra pagina 713. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius II. conſtitutionem edidit, contra non ſoluentes annatas de beneficijs Eccleſiaſticis, Cameræ Apoſtolicæ, §. 1. Paulus II. de beneficijs perpetuò vnitis, quindennia ſoluenda eſſe decreuit. §. 2. Innocentius VIII. Pij II. conſtitutionem probauit, & pœnas auxit. §. 3. Iulius II. dictas leges confirmauit. §. 4. Hic Pont. narrat poſt dictas conſtitutiones, multas vniones factas fuiſſe abſque eo, quod de ſoluendis minutis ſeruitijs, & annatis, obligationes receptæ ſint. §. 5. Et decernit de omnibus iura d. Cameræ deberi, etiamſi beneficia ſint de iurepatro-

natus

Digitized by Google

natus Laicorum, Imperatoris, Regum, & aliorum, Confirmatque omnes conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid inter ſe differunt Annata, Commune ſeruitium, & Minutum ſeruitium, de quibus agitur hic?

RESP. Perlege Antonium Maſſam Galleſ. in ſuo, quem etſi breuem, egregium tamen edidit Tractatum de Annat. num. 1. & multis ſeqq. de quo meminit Rota in deciſ. Seraphin. 1410. num. 1. Siquidem horum explanatio, prolixum nimis à me requireret ſermonem, qui vno Scholio complecti nequit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quindennia verò quid differunt ab illis, & num iuri communi nota fuerunt?

RESP. De Quindennijs attende Galleſ. quem citaui, & nos alibi de hoc dicemus; Ea verò iuri communi minimè cognita fuiſſe, inquit Rota in deciſ. Seraph. 1401. num. 4.

XXI.

Edita Anno 1553.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 714. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat Eccleſiarum Prælatos, qui ſolum ratione perſonæ ſuæ, & non alicuius officij pro tempore obtenti, ex Palatio Apoſtolico panem quotidie habere poſſunt, & in poſterum habere poterunt, licèt in Palatio non habitent, vel alia victui neceſſaria non habeant, veros Papæ familiares, Prælatos domeſticos, & continuos commenſales eſſe. §. 1. Reſeruatq. ſibi collationem beneficiorum omniũ, quæ illi pro tempore habebunt. §. 2. Et ità ab omnibus cenſeri iubet. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Hæc familiaritas, & commenſalitas exactè nè erit probanda, ad effectum reſeruationis beneficiorum, de qua in §. 2.?

RESP. Exactè probandam eſſe, Rota pluries tenuit, vt in deciſ. Capuaquen. 147. lib. 1. & deciſ. 10. & 380. lib. 2. quod tenuit etiam Berous in quæſt. 35. per totam.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si quis familiaris Papæ ab eo receſſit non petita venia, animo amplius non redeundi, & ſe pro tali in partibus iactat, eius beneficia deſinunt eſſe reſeruata?

RESP. Non quoad Papam, qui illum non dimiſit, licèt ipſe non valeat vti Priuilegijs familiaritatis, cui renunciauit, ità ſenſit Gemin. in cap. fin. de Verbor. ſignific. in 6. num. 9. & firmat Simonet. de Reſeruat. Benefic. quæſtio. 35. num. 24.

XXII.

Edita Anno 1554.

SAnctiſſimus Dominus Noſter, & infra pag. 715. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro bono regimine S. R. E. & fœlici Sacri Collegij Cardinalium directione, ſtatuit, vt nemo aſſumatus de cætero ad Cardinalatum, qui ſit frater germanus alterius Cardinalis viuentis. §. 1. Prohibet ex aliqua quantumuis vrgentiſſima cauſa aduerſus hoc decretum, diſpenſare licere. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Huic decreto poſſet Succeſſor derogare?

RESP. Poſſet proculdubio, quia Anteceſſor non poteſt imponere legẽ poteſtati Succeſſoris, Natta conſ. 122. num. 9. Oſaſc. deciſ. 139. num. 20. verſ. non obſtat, & Rota in deciſ. Seraphin. 291. num. 12. in Nouiſ.

Schol. ſecundum.

Quæro. Fuit hucuſque decreto huiuſmodi derogatum?

RESP. Annum ago vigeſimum ſeptimum, & in eorum curſu, nec derogatum vidi, nec à maioribus vnquam audiuiſſe memini.

XXIII.

Edita Anno 1554.

IN multis deprauatis moribus, & infra pag. 715 Bullarij.

COMPENDIVM.

Blaſphemantibus Deum particulariter, vel generaliter, pro prima, ſecunda, vel tertia vice, certas pœnas infligit. §. 1. & 2. Et etiam blaſphemantibus B. Virginem. §. 3. Blaſphemias autem in Sanctos, vel Sanctas Dei, iudicis arbitrio puniri iubet. §. 4. Pœnas omnes Orphanis, & Catechumenis applicat. §. 5. Inquiſitores deputat huius criminis Iudices. §. 6. Arbitrium declarandi qui ſint nobiles, vel plebei, & qui ſint diuites, vel pauperes eiſdem Inquiſitoribus tribuit. §. 7. Reuelare hoc crimen recuſantes, pœnis alligat. §. 8. & 9. Denunciantem loco vnius teſtis recipi mandat. §. 10. Denunciantem, aut teſtem falſum, ſeueriſſimè puniri decernit. §. 11. Blaſphemos ſe ipſos deferentes, benignè recipi iubet. §. 12. Barattarias pro aleatoribus, vnde blaſphemiæ oriuntur, prohibet ſub grauiſſimis pœnis. §. 13.

Scholium primum.

Quæro. Illa verba *pro prima, ſecunda, vel tertia vice*, intelligenda erunt pro vice punitionis, vel blaſphemiæ?

RESP. Pro vice punitionis, quia Papa videtur habere reſpectum ad punitionem, vt notat Steph. Quaranta in ſua Summa quarumdam Bullarum in verbo Blaſphemia per text. in cap. Graue. 29. de Præbend. vbi Zabar. Ancharan. & alij notant, quod per primam punitionem delictum efficitur notorium, & ita grauius iure meritò eſt puniendum, ſi reiteratur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si quis vno inſtanti pluries blaſphemat, nonne dicetur ſemel blaſphemaſſe?

RESP. Semel blaſphemaſſe præſumitur, vt probat Veronen. in conſ. crimin. 76. per totum, quem ſequitur Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſ. 6. in fine & Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſ. 2. nu. 27. de quo meminit Steph. Quar. vbi ſupra, Quod amplia, etiamſi non vno inſtanti, eodem tamen impetu durante, plures ſint prolatæ blaſphemiæ, vt per Veronenſ. d. conſ. 76. num. 4.

XXIIII.

Edita Anno 1554.

CVm ſicut nuper non ſine, & infra, pag. 716. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Hebræi poſtquam liber eorum Talmud in multis partibus iuſſu Supremorum Inquiſitorum cõbuſtus fuit, pleroſq; libros retinent, contra Chriſtum Redemptorem eiuſq. Sanctiſſimum nomen, & honorem, ignominias, & blaſphemias continentes, præcipit locorum Ordinarijs, vt dictos libros exquirant, eoſq. habentes ſeueriſſimè puniant. §. 1. Nec permittant pro alijs libris, abſq; Pontificis mandato, Hebræos moleſtari. §. 2. Quibuſcumq; non obſtan. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt Blaſphemiæ, & alij errores contenti in libro Talmud?

RESP. Nauſeam facerent, ſi tibi recenſerem, Eorum tamen aliquot, ſcribit Iſidorus Epiſcopus contra Iudæos ſub num. 61. & Marquard. de Iudæis. par. 3. cap. 1. nu. 49.

Schol. ſecundum.

Quæro. Mos comburendi huiuſmodi libros reprobos, his, vel antiquis temporibus inualuit?

RESP. Temporibus Apoſtolorum in vſu fuit, vt legitur Actu 19. & aduertit Marquard. vbi ſupra;

PAV-

PAVLVS IIII. Italus, creatus Anno 1555.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1555.

EX Clementi Sedis Apoſtolicæ, & infra pag. 717. Bullarij.

COMPENDIVM.

Collaudat Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruancia, §. 1. Eius gratias, & priuilegia approbat. §. 2. & ſeqq. Refert Martinum IV. eidem Ordini conceſſiſſe facultatẽ, deputandi perſonas extra Ordinem, pro Oeconomis locorum eius, Syndicisq; & Actoribus, qui res ipſas, & earum pretium, & eleemoſynas nomine Romanæ Eccleſiæ recipiant, aliaſq; habeant amplas facultates, §. 3. Et licèt Ioannes XXII. reuocauerit, §. 4. Martinus tamen V. eam reſtituit. §. 5. Eugenius proinde IIII. confirmauit. §. 6. Nicolaus V. & Sixtus IIII. dederunt huic Ordini poteſtatẽ audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta. §. 7. Has omnes gratias hic Pontifex confirmat. §. 8. & 9. Authoritatem deputandi dictos Oeconomos, & Syndicos, tribuit. §. 10. Amplam illis facultatem elargitur. §. 11. Ordini poteſtatem audiendi confeſſiones, & miniſtrãdi Sacramenta, concedit. §. 12. Exemptionemq. à decimis. §. 13. Executores deputat. §. 14. Contrarijsq. derogat. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Optimè ſcio tenorem Bullæ Martini IV. à Genitore prætermiſſæ, & à te mihi traditæ, ſupra ad Clementis VII. conſt. 19. pag. 3. Sed illius, vel iſtius Bullæ vigore, poſſet ne, Oeconomus, & Syndicus accuſare aliquem in iudicio, & pęnam petere, vt Ordini applicetur?

RESP. Hæc repugnant religioſæ huius Ordinis paupertati, vt in puncto reſpondet Roderic. de Quæſtionib. Regular. tom. 2. quæſt. 104. art. 4. vbi ſubdit, quod benè poteſt, aliquam pęnam pro eleemoſyna à Iudice Ordini applicatam, recipere.

Schol. ſecundum.

Quæro. Poterit iſte Syndicus conueniri pro debitis contractis, nomine Conuentus?

RESP. Non, quia iſto caſu non militant rationes, in quibus fundatum eſt priuilegium conſtituendi Syndicum, vt ad hanc Bullæ interpretationem, ſic ſcripſit Roderic. iam cit. tom. 3. quæſt. 39. art. 3. verſ. notandum eſt vltimo.

II.

Edita Anno 1555.

INiunctum nobis deſuper, & infra pag. 719. Bullarij.

COMPENDIVM.

Symmachus Papa, bona Eccleſiarum alienari prohibuit in cap. 6. de Reb. Eccleſ. non alien. §. 1. Paulus II. idem vetuit, necnon locationem vltra triennium in ſua conſt. 5. vt hic ſup. fol. 68. Nonnullæ tamen alienationes, & locationes factæ fuerunt in damnum Eccleſiarum, vel non ſeruatis ſolemnitatibus. §. 3. Illas ergò hic Pont. irritas decernit. §. 4. Detentoresq. bona cum fructibus relaxare debere declarat §. 5. Et ità, ac non aliàs iudicari præcipit. §. 6. Contrarijs derogat. § 7.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi locatio fiat vltra triennium, vt puta ad ſex, vel nouem annos, hac lege adiecta, vt tot ſint locationes, quot triennia?

RESP. Non valere vltra triennium oſtendit Couarr. Var. reſol. lib. 2. cap. 16. ſub num. 4. & Becc. conſ. 179. lib. 2. num. 5.] Qui ampliat hoc procedere, etiamſi fiat pluribus perſonis, nempè ſingulis ad triennium; Prout ampliat etiã, contractum hunc in totum irritari, in conſil. 92. lib. 1. numero 6. & ſeqq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi fiat locatio de certis bonis ad trienniũ & de illis, ac alijs poſtea ad aliud triennium, vnico pretio conuento?

RESP. Valet pro bonis auctis, quæ non venerunt in prima locatione, ſi certum eorum pretium diſcerni poteſt, & de nouo ſint adhibitæ ſolemnitates requiſitæ, vt plenè conſulendo explicauit Marcabrun. ab Anguill. in conſ. 64. num. 7. & ſeqq. vbi alios congerit.

III.

Edita Anno 1555.

CVm nimis abſurdum, & infra pag. 720. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit, Hebræos habitare in locis Status Eccleſiaſtici à Chriſtianis ſeparatis. §. 1. Et vnicam Synagogam in Ciuitate habere. §. 2. Signum glauci coloris deferre. §. 3. Nutrices, aut ſeruientes Chriſtianos non habere. §. 4. Diebus feſtiuis de præcepto S.R.E. in publico non laborare. §. 5. Chriſtianos non grauare. §. 6. Cum Chriſtianis non ludere, aut comedere, aut conuerſari. §. 7. Libros rationum Latinè, vel Italicè ſcribere. §. 8. Mercaturã non exercere. §. 9. Chriſtianis ſe Medicos nõ præbere. §. 10. Dominos à Chriſtianis non vocari. §. 11. Menſes dierum 30. in exigendis creditis attendere. §. 12. Statuta locorum obſeruare. §. 13. Contrauenientibus pœnas irrogat. §. 14. Contrariaque remonet. §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Prohibitio habendi nutrices, aut ſeruientes Chriſtianos in §. 4. continet ius nouum?

RESP. Non, quia Innoc. III. in cap. Etſi Iudæos 13. de Iudæis hoc idem ſtatuerat, & Innoc. IV. in eius conſt. 2. §. 5. de qua ſup. pag. 16. Et Concilium Baſilæen. ſeſſ. 19. Abſurdum eſt etenim, quod filiæ liberæ, filijs famulentur ancillæ, vt habetur in d. cap. Etſi Iudæos.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur ſpecialiter comedere cum Iudæis prohibetur?

RESP. Quia Iudæi, apud Chriſtianos communibus cibis non vtuntur, vnde indignum videtur, quod eorum cibis vtantur Chriſtiani, quaſi ex hoc, inferiores ipſi, quàm Iudæi, eſſe inciperent, text. eſt cum gloſ. in cap. Omnes 14. cauſ. 28. quæſt. 1. Poſſunt tamen cibaria emi à Iudæis, quibus Chriſtiani veſci non prohibentur, quia omnia munda mundis cap. 2. diſt. 82. circa medium.

IIII.

Edita Anno 1555.

CVm quorumdam prauitas, & infra pag. 721. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monet omnes, qui hactenus aſſeruerunt, vel crediderunt Deum omnipotentem non eſſe trinum in perſonis, & in compoſita omninò, indiuiſaq. vnitate ſubſtantiæ, Aut Dominum IESVM Chriſtum non eſſe verum Deum, eiuſdẽ ſubſtantię, vnà cum Patre & Spiritu Sancto, Aut eumdem ſecundum carnem non eſſe conceptũ in vtero B. Virginis MARIAE de Spiritu Sancto, Aut non ſubiſſe mortem Crucis pro noſtra redemptione, Aut B. Virginem non eſſe Dei Matrem, neque ſemper Virginem extitiſſe, vt ab eorũ aſſertione, & credulitate, infra certum terminum, alijsq. in fide erroribus recedere, ſuosq. errores in manibus Inquiſitorum abiurare debeant. §. 1. Ipſisq. pœnitentibus, & abiurantibus, remiſſionem concedit, quatenus relapſi, aut inquiſiti, vel delati non ſint. §. 2. Impœnitentibus autem, & alijs de cætero errantibus, relapſorum pœnas irrogat, §. 3. Quibuſcumq; non obſtantibus. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quot antiqui hæretici de hac Trinitate diuina, errores dixerunt?

RESP. Diuerſi hæretici diuerſa errantes dixerunt, & præci-

præcipuè Sabellius, qui abſtulit perſonarum diſtinctiones, dicens Patris, & Filij & Spiritus Sancti vnam eſſe eſſentiam, & vnam perſonam, ſed eos ſolùm differre nominibus. Arrius verò poſuit trium perſonarum diuerſas eſſe ſubſtantias, in dignitate, & duratione differentes, vt videre eſt in Director. Inquiſit. par. 1. poſt 3. Comment. Pegnæ pag. mihi 9.

Schol. ſecundum.

Quæro. Myſterium Trinitatis tenentur omnes explicitè credere?

RESP. Procul dubio; adipiſcuntur enim hæc omnes, qui tenaſcuntur in Chriſto, per inuocationem Trinitatis, iuxta illud Matthæi cap. vlt. *Baptizantes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* ita ſcribit Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 1. quæſt. 6. in fine pag. mihi 62.

V.

Edita Anno 1555.

CVm venerabiles fratres noſtri, & infra pag. 722. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Cardinales tanquàm membra Papæ, in Curia reſidere debere, & reſidentes præferendos eſſe abſentibus, in optionibus Titulorum, & ſex Eccleſiarum Cathedralium. §. 1. Narrat pariter ſe fuiſſe Decanum Cardinalium, tempore ſuæ ad Pontificatû electionis, & ad illum Decanatum, ante alios antiquiores à Curia abſentes, perueniſſe. §. 2. Et in eo Cardinali de Bellayo ſucceſſiſſe, ibid. Declarat Decanatum de cætero vacaturum, ſpectare ad Epiſcopum Card. antiquiorem in Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, & extra eam per Rom. Pont. deſtinatum. §. 3. Eique præcedentiam concedit §. 4. Decretum irritans appponit. §. 5. Contrarijs q; derogat. §. 6.

Scholium primum.

Quæro. Quid ſi Cardinalis antiquior iter ad Curiam arripuiſſet?

RESP. Nihil eſſet, cum tempore vacationis debuiſſet eſſe præſens in Curia; Et ità fuit tentum in ſimili occurrenti caſu à Paulo III. cum vacante, per eius ad Pontificatum aſſumptionem, Epiſcopatu Oſtienſi, optio data fuit Cardinali Senenſi præſenti in Curia, non attento, quod Cardinalis Auxitanus eſſet in itinere ad Curiam, vt liquet ex actis Sacri Conſiſtorij ſub die 17. Octobris 1534. & 26. Februarij 1535.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid dicen. ſi antiquior Cardinalis eſſet infra quadraginta milliaria abſens ab Vrbe?

RESP. Præſens in Curia diceretur, ad text. in capit. Præſenti 34. de Præbend. in 6. Et ſic tentum fuit pro Cardinali Gioioſa, propè Ciuitatem Tyburtinam, vel Abbatiam Sublacen tunc degente, dum tempore Pauli V. vacauit Decanatus per obitum Cardinalis Pinelli, Et ad hoc facit, quod die 20. Septembris 1533. à Clem. VII. optio Epiſcopatus Portuēſis vacantis per obitum Cardinalis de Monte, data fuit Cardinali Senenſi, per duas dietas tantū à Curia abſenti, non obſtante, quod illum optare vellet Cardin. Tranenſis, tempore vacationis præſens in Curia.

VI.

Edita Anno ....

LIcet ex iuris communis, & infra, pag. 723. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis iure communi diſpoſitum ſit, ſtatuit nihilominus, quemlibet de crimine inquiſitum perſonaliter in carcere detinendum eſſe, dum diſcutitur, an ex indiijs ſit quendus ſit, §. 1. Statuit pariter reum in iudicio crimen confeſſum non relaxari ſub quauis cautione, niſi pœna delicti perſoluta. §. 2. Decernitque ita, & non aliter iudicari poſſe. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Vbi in iure communi ſancita reperiuntur hæc eadem hic diffinita, vt Pontifex ſupponit hic in principio?

RESP. Quod hic diſponitur de reo indiciato ad torturam in §. 1. iam diſpoſitum erat in l. 2. ad finem Cod. de exhib. Reis. Et quod hic in §. 2. Diffinitur de reo confeſſo, deciſum fuerat in l. 5. ff. de Cuſtod. reorum. Et de his plenè ſcribit Farinac. quæſt. 33. nu. 9. & ſeqq. 38. & ſeq. & vtrobiq; meminit de hac Bulla.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hic diſpoſita de reo torquendo, locum habent etiam in teſte?

RESP. Affirmatiuam ſententiam veram puto, ex his, quæ ſcribit Menoch. de Arbitrar. caſu 303. num. 26. vltra alios citatos à Farinac. vbi ſupra num. 39.

VII.

Edita Anno 1555.

INter cæteras curas, quibus, & infra pag. 723. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert in Romana Curia creari Societates Officiorum, ad duodecim pro centenario, modis quandoque illicitis in princip. Decernit propterea, quod aliàs, quàm ſuper Officijs d. Curiæ, de cætero etiam ſuper periculo mortis alicuius, ad rationemq. certæ, & denominatæ ſummæ, ſtatuto tempore perſoluen. iniri non poſſint. §. 1. Officialesq; pecunias vltra dimidium valoris Officij accipere, & ſocietatem contrahere non valeant. §. 2. Apponit decretum irritans. §. 4. Derogatque contrarijs. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Illud verbum *Mortis*, de quo in §. 1. benè ſcio, quod intelligitur de naturali, quia ſic vidi explicitè appoſi, in inſtrumentis huiuſmodi Societatum: Sed quid dicen dum, ſi dans pecunias ſuper periculo vitæ ſuæ, calce equi percuſſus, mortem obierit?

RESP. Nauarr. in conſ. 26. incipien. Titius, lib. 5. de Vſur. de hoc conſultus, reſpondit mortem hanc violentā, & non naturalem eſſe, ideòque mortui hæredes, pecunias repetere poſſe concludit.

Schol. ſecundum.

Quæro. Lex iſta extendit ſe ad Societates iam contractas?

RESP. Non, quia verbum de cætero reſpicit futura, Rota in deciſ. Puteī 173. lib. 3. num. 2. Et ità hanc Bullam intellexit Rota in deciſ. Lancellot. 193. par. 1. Diuerſ. nu. 3. in vna Rom. Soc. Offic. die 2. Iunij 1570.

VIII.

Edita Anno 1559.

CVm ſæpius etiam dum in minoribus, & infra pag. 724. Bullarij.

COMPENDIVM.

Indecens eſſe ſupponit, inter S. R. E. Cardinales, lites coram alio, quàm Summo Pontifice iudicialiter experiri; Eas ideò omnes in quauis inſtantia, & negotio exequutiuo vertentes, in ſtatu, & in terminis, in quibus reperiuntur, ad ſe auocat, ſuæq. deciſioni reſeruat. §. 1. A ſuaq. deciſione, appellationem etiam de iure admiſſibilem reijcit. §. 2. Hæc eadem in futuris litibus ſeruari præcipit. §. 3. Iudicibus omnibus inhibet, ne abſque ſpeciali commiſſione manu Papæ ſignata, in illis ſe intromittant, ſublata aliter iudicandi facultate, §. 4. Hanc Bullam publicari mandat, §. 5. Derogat etiam omnibus contrarijs. §. 6. Publicatio ſubſequitur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Si vnus ex Cardinalibus iam obtinuiſſet ſententiam fauorabilem, ante huiuſmodi cauſarum auocationem, appellatio à ſententia contra eum à Pontifice ferenda, erit nihilominus prohibita, iuxta §. 2.?

RESP. Prohibitam putarem, tum ex vi illorum verborum *in quacumque inſtantia*, quæ iſtum comprehendunt, tum quia Papa nemo eſt ſuperior, vt eſſe deberet, ad

ad hoc, vt capax huiuſmodi appellationis eſſe poſſet ad gloſ. & alios Scrib. in cap. 2. de Conſuetudin, in 6. & Rotam in deciſ. Seraphini 467. num. 8. in Nouis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa clauſula *in Statu, & terminis in quibus reperiuntur*, de qua in §. 2. cuius eſt effectus?

R E S P. Quod acta cauſæ omnia tranſportentur, vt Papa ſe certificet de Statu cauſæ, in quo repetitur, antequam in ea procedat, Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 3. c. 9. num. 7. & ſequitur Marcheſan. de Commiſſionibus in tit. de Commiſſ. auocat. cauſ. cap. 3. Secundum primam impreſſionem nu. 29. Rota in deciſ. 1. de Commiſſ. in Antiq. iuxta antiquiorem impreſſionem pag. mihi 29. in fine.

I X.

Edita Anno 1556.

DVdum poſtquam fel. rec. Iulius Papa III. & infra pag. 725. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius III. ſtatuerat Iudæos Status Eccleſiaſtici, ſoluere debere Hoſpitali Catechumenorum de Vrbe, ducatos decem pro qualibet Synagoga, in princ. Hic Pontifex decreuerat vnicam tantum Synagogam in ſingulis Ciuitatibus habere, & alias demoliri. §. 1. Dubitatum fuit, an ſolutio deberetur etiam pro illis demolitis. §. 2. Iſte Pontifex deberi declarat. §. 3. Omneſque Iudæorum Congregationes, in ſolidum eſſe obligatas pro huiuſmodi contributione, iuxta diſtributionem per eorum Miniſtros fiendam; §. 4. & ſeq. Dictum Hoſpitale, & quoſcumque Catechumenos, & Neophytos, eorumq. bona, & Officiales eximit à iuriſdictione Ordinariorum, & Cardinali dicti Hoſpitalis Protectori ſubmittit. § 6. Cui Protectori dat facultatem, quaſcumque eorum lites, ſummariè ſolaq. facti veritate inſpecta, & manu regia terminandi. §. 7. Catechumenorum, & Neophytorum gratias quaſcumque, & priuilegia confirmat, §. 8. Contraria omnia remouet. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Catechumeni, à Neophytis, in quo differunt?

R E S P. Illi ſunt, qui vt conuertantur ad Chriſtianam fidem in eius rudimentis inſtruuntur; Iſti verò ſunt, qui noui Chriſtiani iam effecti ſunt, vt patet ex his, quæ tibi reſpondi in Paulo III. conſtit. 32. ſupra pag. 27. & conſtitut. 37. pag. 128.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illæ clauſulæ *ſola facti veritate inſpecta*, &c. de quibus in §. 7. tribuunt Iudici facultatem, nulliter procedendi?

R E S P. Operantur, vt proceſſus ſit quantumuis ſummarius, non tamen nullus, Bart. in Extrauagan. Ad reprimendum in verbo Videbitur. Rota coram Seraphino in vna Romana Tutelæ de Fabijs die 14. Iunij 1583. aliàs 1585.

X.

Edita Anno 1556.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 726. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iuſtis de cauſis Cancellarias criminales locorum Status Eccleſiaſtici, Cameræ Apoſtolicæ applicat. §. 1. Theſaurario, illas ad vitam ementium tantum alienari mandat. §. 2. Eas vacabiles, & reſignabiles eſſe, ſicut alia Roman. Curię Officia, decernit. §. 3. Societates Officiorum deſuper iniri indulget. §. 4. Cancellarios priuilegijs Notariorum Rom. Curiæ donat. §. 5. Lucra cum Gubernatoribus participare interdicit. §. 7. Habitationem ab illis habere decernit. §. 9. Sigillum autem, & Secretariam Gubernatoribus reſeruat. §. 10. Hos Cancellarios de actis cauſarum criminalium, & contractuum pactis rogari iubet. §. 11. De alijs contractibus rogari poſſe permittit. §. 12. Taxas obſeruare præcipit. §. 13. Examen reuelare, aut eius copias dare, abſque Iudicis decreto, interdicit. §. 14. Certos libros tenere iubet. §. 15. Syndicatui ſtare præcipit. §. 16. Scripturas finito Officio conſignare mandat. §. 17. Officia per ſubſtitutos exercere indulget. §. 18. Quibuſcumque non obſtan. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Si Cancellarius venderet partem Cancellariæ, ſuper qua eſſet inita aliqua Societas Officij, de qua in §. 4. diceretur ne ipſa Societas finita?

R E S P. Non, ſi remanet pars, cuius fructus ſufficiãt, pro fructibus initæ ſocietatis, Rota in deciſ. Blanchetti 288. par. 1. Diuerſ. per totam, & in deciſ. Seraphini 543. num. 3. in Nouis.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Cancellaria ob facultatem, de qua in §. 3. venderetur alteri non idoneo, teneret venditio?

R E S P. Teneret, quia venditio perfecta dicitur; Sed ille non idoneus, alteri idoneo vendere cogeretur, vt voluit Rota in deciſ. Seraphini 289. num. 8. in Nouis.

X I.

Edita Anno 1556.

INcumbentia nobis, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & infra pag. 728. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregor. XII. pœnas multas, & ſignanter priuationis feudorum impoſuit, bona mobilia, & ſtabilia Cameræ Apoſt. occupantibus. §. 1. Alexan. V. decreuit, prouiſos de Eccleſijs, non ſe ingerere in illis, literis Apoſtolicis non expeditis. §. 2. Pius II. ſtatuit non ſoluentes annatas Cameræ Apoſtolicæ, pęnam priuationis, & vacationis beneficiorum incurrere. §. 3. Innocentius VIII. confirmauit, conſtit. Pij II. §. 4. Iul. II. approbauit, & ampliauit. §. 5. Fiſcus d. Cameræ omnes deuolutiones, & caducitates acceptauit. §. 6. Clerici eiuſdem Cameræ pronunciarunt, omnes non ſatisfacientes, nec reſtituentes d. Cameræ, incidiſſe in dictas pœnas §. 7. Hic Pont. confirmat d. ſententiam Clericorum, & conſtitutiones Pont. Prædeceſſorum. §. 9. Et non ſatisfacientes infra duos Menſes, pœnas d. ſententiæ, & conſtitutionum incurriſſe declarat. §. 10. Abſolutionem ſibi reſeruat. §. 11. Cõtrarijsq. omnibus derogat. § 13.

Schol. primum.

Quæro. Ante Alexan. V. extabat alterius Papæ conſtitutio, circa hæc, quę ſunt poſita hic in §. 2.?

R E S P. Extabat lex Bonifacij VIII. in extrauag. 1. de Election. Qui Bonif. ad Pontificatum euectus fuit anno 1294. die 23. Decembris, Et ſic ante, Alex. anno 1409. die 26. Iulij in Pont. pronunciatum.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Literis non expeditis quis ſe ingeſſerit contra diſpoſitionem. §. 2. poſt ſignatam ſupplicationem, cum Papa velit pro gratiæ perfectione literas expediri, eſt ne tutus in foro conſcientiæ?

R E S P. Hoc dubium affirmatiuè reſoluit Gig. de Penſion. quæſt. 34. num. 7. & Gomeſ. de reg. Cancell. in reg. de Non Iudic. iux. form. ſup. quæſt. 14. verſ. Breuiter, vbi inquit, forum conſcientiæ non eſſe alligatum apicibus iuris, nec ſtrepitui iudiciorum, ſed in eo tantummodo anima re ctificatur, & ad hoc literæ, quæ forum fori concernunt, non requirantur.

X I I.

Edita Anno 1557.

INter cęteras curas, quibus, & infra pag. 731. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eos omnes, qui occaſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, alios ſe eſſe ſimulauerint, & tamquam tales ſe in examine ſuppoſuerint, aut beneficia pro perſonis id ignorantibus, obtinere procurauerint, aut pro ſe, vel alijs, cum oblatione penſionis annuæ, vel pro alijs cum ſpe aliquam penſionem, aut aliud quamuis minimum temporale commodum conſequendi, vel pro ſe ipſis principa-

liter

liter, animo alijs reſignandi, excommunicationis ſententia, a qua Papæ abſolutio ſit reſeruata, innodat, nec non priuationis beneficiorum, ac inhabilitatis ad illa. §. 1. Prouiſiones obtentas irritat, & beneficia tamquam vacantia à Papa impetrari poſſe decernit. §. 2. Et hanc legem, etiam ad Monaſteria Monialium, & beneficia per Moniales, aut alias mulieres obtineri ſolita extendit. §. 3. Quibuſcumque non obſtan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid ſi obtines beneficium, non certo, & abſoluto animo reſignandi, ſed conditionaliter, ſi aliqood conuenientius tuo propoſito ſuperueniat?

1 R E S P. Non incidis in hanc prohibitionem, ad ſcripta per Nauarr. de Orat. Miſcell. 49. ſub num. 132. Quod mihi certum videtur, attento illo verbo *Principaliter* hic poſito; Peccat nihilominus ſecundum Panormit. in cap. 4. de Cleric. non reſid. num. 7. vbi ſubdit, quod hoc peccatum tollitur pœnitentia.

Schol. ſecundum.

2 *Quæro*. Nonne etiam Simoniacus dicitur, qui accipit beneficium, animo illud dimittendi?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam tenuit Rota coram Acchil. de Graſſ. deciſ. 49. num. 5. Sed hoc intelligendum puto, de ſimonia mentali, quæ, vt dixi pęnitentia tollitur, ſecundum Panormit. nunc cit.

XIII.

Edita Anno 1558.

INeffabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, & infra pagina 732. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Petrus Apoſtolus, poſtquam Antiochiæ aliquandiù reſediſſet, Romam veniens, Cathedram in ea diuino conſilio conſtituit Epiſcopalem, in princ. Hic ideò Pont. huius Cathedræ feſtiuitatem pro die 18. Ianuarij, iuxta antiquum ritum, duplici officio in toto Orbe celebrari iubet. §. 1. Feſtiuitatem Cathedræ Antiochiæ die 22. Februarij celebrari conſuetam, præſeruat. §. 2.

Schol. primum.

Quæro, Antiochiæ quot annos B. Petrus Cathedram tenuit?

RESPON. Illud verbum *aliquandiu* hic poſitum, rectè intelligitur pro ſpatio ſeptem annorum, vt poſt antiquiores ſcribit Baron. in Martyrolog. dicta die 18. Ianuarij.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hac die, recolitur ſolemnitas inſtitutionis tantum dictæ Cathedræ Romæ?

RESPON. Non, ſed etiam illa Sacroſancta inſtitutio, qua à Domino Petrus, petra fundamentalis Eccleſiæ conſtitutus perpetuæ ſtabilitatis, promiſſionem, & regni cæleſtis clauem accepit, vt ex lectura liquet Eccleſiaſtici Officij, quod hac die celebratur, & aduertit Baron. vbi ſupra.

X I V.

Edita Anno 1558.

POſtquam diuina bonitas, & infra pag. 372. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Plures Pont. quamplura ediderunt Statuta, contra perſonas regulares apoſtatas, in princ. Sed illi varijs prætextibus extra clauſtra religionum degunt, apoſtatiam incurrentes, multoſq; errores committentes. §. 1. Hic Pont. quemcumque Religioſum, etiam militarem, poſt emiſſam profeſſionem, quauis de cauſa, & prætextu, extra clauſtra ſuæ Religionis, temeritate propria degentem, omnibus beneficijs, & dignitatibus priuat, & ad obtinenda inhabilitat, ab omnique miniſterio eccleſiaſtico ſuſpendit. §. 2. Recептari prohibet. §. 3. Et ad beneficia præſentari vetat. §. 4. Ordinarij, & Superiores Ordinum ad Regulæ diſciplinam redire cogant, vel excommunicatos declarent, § 5. Ipſique Apoſtatæ, biretum nigrum duabus lineis albis ſuffultum deferant. §. 6. Prætendentes extra clauſtra ſtare poſſe, agant coram eorum Superioribus. §. 7. Nec transferantur ad alium Ordinem, niſi arctiorem, vel parem. §. 8. Et aliter tranſlati, ad eorum Ordines redeant, alias multas pęnas incurrant, & acquiſita extra clauſtra, Monaſterijs in quibus primò profeſſi ſunt, applicat. §. 9. Et ita iudicari mandat. §. 10. Priuilegia recipiendi Fratres aliorum Ordinum, præterquam Cartuſienſis, & Camaldulenſis, reuocat. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *quauis de cauſa, & prætextu*, intelliguntur etiam de cauſa, & prætextu licito?

R E S P. Non, quia ſubſequentia verba, *temeritate propria*, declarant præcedentia, & etiam quia videretur Pontifex redarguendus de iniquitate, ſi intellexiſſet comprehendere alios, quam exeuntes de Monaſterijs per exitum mortiferum, prout ſic interpretatur hanc Bullam Nauar. conſ. 1. de Apoſtat. lib. 5. nu. 9. & ſeqq. Idemque tenet Roderic. de Quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. In diſpoſitione. § 9. comprehenditur Monachus, poſtea Epiſcopus, ſi renunciato Epiſcopatu, non redit ad clauſtra ſuæ Religionis?

RESPON. Non comprehenditur, quia hæc Bulla reſtringitur ad apoſtatas, & iſte Epiſcopus non eſt talis per tranſitum ad Epiſcopatum, neq; per non reditum ad clauſtra, vt latè oſtendit Nauarr. in conſ. 15. de Regular. incipien. N. Frater num. 11. & ſeqq. vbi alios allegat.

X V.

Edita Anno 1558.

GLorioſus in Sanctis ſuis Deus, & infra pag. 735. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sanctorum Feſta vt plurimum, ſub die qua obierunt, celebrantur, in princ. S. Dominicus obijt die 6. Auguſti. §. 1. Qua tamen illa die agitur feſtum Transfigurationis Domini, & die 5. agitur feſtum B. Mariæ à Niuibus, feſtiuitatem Sancti Dominici die 4. Auguſti celebrari præcipit. d. §. 1. & 2.

Schol. primum.

Quæro. Qua hora prędicti die ſextæ, obijt?

RESPON. Hora ſexta, & feria ſexta obijſſe, ſcribit Baron. in Martyrologio ſub d. die 4.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo anno à Chriſto Domino, ex hac vita migrauit?

R E S P. Anno 1221. agens ſuæ ætatis annum quinquageſimum primum, vt poſt S. Antoninum, quem citat, affirmat Baron. in loco cit. vbi de hac Bulla meminit.

XVI.

Edita Anno 1558.

CVm ſecundum Apoſtolum, & infra pagina 735. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Deteſtabile crimen ambitus, tàm ante, quàm poſt Chriſti aduentum, multis legibus, necnon iure diuino, & à Concilijs punitum eſſe refert; Omniq; Clericum Papa incolumi, & inconſulto, pro futuro Pontifice eligendo ſuffragium, aut aliud promittentem, vel hac de cauſa priuatis conuenticulis factis aliquid deliberantem, & decernentem, anathemate plectendum in princip. Reuelantem verò, omni culpa purgatum, & remuneratione dignum eſſe ibidem: Ac Sacros Canones, necnon ſæcularium legum interpretes, de Papatu huiuſmodi, Papa viuente, & inconſulto tractantes, ſeu conuenticulas facientes, crimen læſæ Maieſtatis in primo capite, & Simoniacam hæreſim incurrere decreuiſſe ibid. Pro cuius criminis in electione Rom. Pontificis exterminatione, quaſcumque pęnas deſuper impoſitas innouat, contra quaſcumque, cuiuſuis dignitatis, & qualitatis perſonas. §. 1. Omneſque, quos modo-

Digitized by Google

modolibet Papa viuente, & inconſulto, de eligendo futuro Pont. tractantes excommunicationi maiori, abſque alia deſuper ferenda ſententia, & maledictione æterna damnatos, & crimen Simoniacæ, hæreſis, atque criminis læſæ Maieſtatis reos, omnibuſque dignitatibus, & beneficijs priuatos decernit. §. 2. Complices eiſdem pœnis ſupponit. §. 3. Reuelantibus, veniam, & præmium proponit. §. 4. Oppugnantibus hanc ſanctionem, certas pœnas imponit. §. 5. Contrarijs omnibus derogat. §. 6. Publicari hanc Bullam præcipit. §. 7. Sanctionem pœnalem addit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt leges humanæ, quæ ante Chriſti aduentu, de ambitus crimine promulgatæ ſunt, vt in proœm. huius conſtit. enarratur?

RESP. Oneroſum tibi eſſet eas permultas quidem nunc tibi recenſere, ſedulò eas perlege, apud Tib. Decian. lib. 8. ſui Tract. cap. 22. & 25. qui perbellè eas deſcripſit.

Schol. ſecundum:

Quæro. Quo Concilio, Papa incolume, & inconſulto, de electione futuri Pontificis agi prohibitum eſt, vt in proœmio ſupponitur?

RESP. Symmachus Papa in prima Synodu Romana cap. 3. & 5. graues, de re hac tractantibus, pœnas edixit, Vnde ſumptus eſt tex. cap. 2. diſt. 19. Et inde pars huius conſtitutionis pariter deſumpta fuit, de qua meminit Nauar. conſ. 17. Promiſit quidam lib. 5. de Sent. excommun. num. 2. iuxta impreſſionem de annu 1610.

XVII.

Edita Anno 1558.

DEcens eſſe cenſemus, & æquum, & infra pagina 737. Bullarij.

COMPENDIVM.

Annatarum ſolutio antiquiſſima eſt, & in Concilio Viennenſi, ac deinde in Conſtantienſi approbata. §. 1. Eugenius IV. & Callixtus III. ſuper beneficijs vnitis conſtitutiones ediderunt. §. 2. Paul. II. ſtatuit ſolui quindennia de beneficijs perpetuò vnitis. §. 3. Iulius II. has leges confirmauit, omneſque ad ſoluendum cogi iuſſit. §. 4. Iulius III. eas approbauit, & ampliauit §. 5. Hic Pontif. eaſdem ſingulas comprobat. §. 6. Et quaſcumque Ordinum Congregationes ad ſolutionem teneri iubet, de omnibus perpetuis vnionibus. §. 7. & ſeq.

Schol. primum.

Quæro. Annatarum quot ſunt ſpecies?

RESP. Annata, latè ſumpto vocabulo, eſt illa quantitas, quæ iuxta taxam in libro Cameræ deſcripta, ſoluitur, pro quocumque beneficio Conſiſtoriali, & propriè dicitur non annata, ſed commune ſeruitium, vt dixi tibi ſuperius ad Bullam 20. Iul. III. Annata autem magis propriè dicitur, fructus primi anni, quæ ſoluitur pro expeditione cuiuſcunque beneficij Conſiſtorialis in Camera non taxati. Annata etiam (ſed non ita propriè, eſt medietas fructuum primi anni, quæ ſoluitur pro alijs beneficijs minoribus non conſiſtorialibus, vt hæc omnia luculenter docet Galleſ. in ſuo tractat. de Annat. in princip.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo tempore ortum habuit Annata?

RESP. Annatæ omnes, de quibus ſupra, ante Concilium Viennenſe ſoluebantur; vt recenſet Pont. hic, & probant Iuan. Andr. in cap. Inter cætera 15. de Offic. Ordin. num. 13. Zabar. num. 1. & Bellam. ad fin. & tenet Campeg. de Inſtitut. Annatæ in princ. Quamuis Galleſ. vbi ſupra, vltimam ſpeciem Annatæ à Bonif. IX. introductam dicat, quem omnino videas, quia eruditè loquitur in hac materia.

XVIII.

Edita Anno ....

SAnctiſſimus D.N. D. Paulus, & infra pagina 739. Bullarij.

COMPENDIVM.

Lenones, & lenas in proſtituendis maſculis verſantes, & cum eis agentes, & conſentientes, vel puellam inuitam aſſumentes, ac ad neceſſitatem nutrientes, & poſtmodum proſtituentes, ac lucra exinde captantes, vltimo ſupplicio in Vrbe plecti iubet. §. 1. Compliceſque perfecto flagitio, eadem pœna puniri, imperfecto autem, in exilium deportari mandat. §. 2. Lenones, & lenas, in cæteris caſibus lenocinij artem exercentes, publicè cædi, & exulari præcipit. §. 3. Domos ſcienter illis locantes, aut habita ſcientia, non inde eijcientes, pœnam amiſſionis earum, ac mille ſcutorum incurrere decernit. §. 4. Hoc decretum, vim motus proprij habere mandat. §. 5. Eius publicationem per proclama, omnes ligare præcipit. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Contra hos lenones, & lenas, procedetur etiam ſine accuſatore, licet hic non exprimatur?

RESP. Ità quidem, text. eſt in l. 2. §. ſi publico. ff. Ad leg. Iul. de Adulter. gloſ. Cyn. Alberic. & Salyc. in l. 2. Cod. Eod. tit. Lancellot. Conrad. de Offic. Prætor. in tit. de Lenonib. num. 8.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne etiam de iure ciuili lenones, & lenæ pœna mortis puniebantur?

RESP. Maximè; vt habetur in anthen. de Lenonibus. §. præconizamus; Sed quia de conſuetudine aliqua pœna dumtaxat arbitrio Iudicis plectabantur, teſte Clar. in quæſt. 68. num. 23. & Baiard. ibid. num. 61. in fine, quod certè mirum videbatur, cum lenocinium ſit delictum adulterio, & homicidio grauius, Angel. de Maleſi. §. *che hai adulterato.* in fin. proptetea tam iſte Pontifex, quàm Sixt. V. infra in ſua conſt. 46. certis caſibus in Vrbe pœna mortis plecti voluit.

XIX.

Edita Anno 1559.

CVm ex Apoſtolatus officio, & infra pag. 739. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat, & innouat quaſcumque pœnas à Roman. Pont. ſacriſnè Concilijs, vel Sanctorum Patrum decretis, aut Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contra hæreticos, aut Schiſmaticos cuiuſcunque gradus, ſtatus, atque conditionis quomodolibet latas. §. 2. Prælatoſque & principes maioribus pœnis adſtringit. §. 3. Ad beneficia ob crimen hæreſis vacantia, præſententur, infra tempus à iure, vel concordatis ſtatutum, alioquin eo tempore elapſo, plena diſpoſitio ad Pôtificem deuoluatur. §. 4. Fautoribus prædictorum, graues pœnas infligit. §. 5. Prælati, & Pontifices ipſi, ſi à fide ante promotionem deuiaſſent eorum promotio nulla ſit, nulloque pacto conualidari poſſit. §. 6 Subditiſq; eorum, ab obedientia, & deuotione impunè recedere liceat. §. 7. Quibuſcunque non obſtan. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Schiſmaticus quid differt ab hæretico, de quibus in §: 1.?

RESP. Hæreſis peruerſum dogma habet; Schiſma verò diuiſionem à Romana Eccleſia ſignificat, ad text. in cap. Inter. 26. cauſ. 24. quæſt. 3. A ſchiſma autem dicitur Schiſmaticus, dum renuit ſubeſſe Summo Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ, ſecundum D. Thom. 2. 2. quæſtio. 39. art. 1 & poſt Eymeric. in Director. Inquiſitor. par. 2. q. 48. ſcribit Pegna ibid. in Comment. 37. verſ. Schiſma.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si Epiſcopi contra hanc conſtit. delinquerent, iudicandi erunt ab Inquiſitoribus?

RESP. Inquiſitores locorum, contra Epiſcopos non procedunt cap. Inquiſitores. 16. de Hæretic. in 6. licet vrgente neceſſitate, poſſint contra eos aſſumere informationes, eoſque capere, & cuſtodire, donec Papam certiorem reddant, vt poſt Eymeric. in Director. Inquiſitor. part. 3. quæſt. 27. notat Pegna in Commentar. 76. Verum eſt tamen, quod hodie ex conſtit. 67. Pij IV. Cardinales Inquiſitores generales, contra Epiſcopos procedere valeant.

Cupien-

Edita Anno 1559.

XX.

CVpientes indemnitari Cameræ Apoſtolicæ, & inf. pagina 741. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. ſublatis cunctis impoſitionibus extraordinarijs, ſubſidium trecentorum millium ſcutorum, per totam ditionem Eccleſiaſticam pro triennio perſoluendum impoſuit in ſua conſtitut. 39. de qua ſupra pag. 129. §. 1. Sed ob varias exemptiones à ſolutione dictæ impoſitionis conceſſas, vix d. ſubſidium ad dimidium d. Summæ aſcendit, vnde Camera exinde onera ſibi incumbentia ſufferre nequit d. §. 1. Eas ergo hic Pont. reuocat. §. 3. Subſidiumque ab omnibus exigi iubet. §. 4. Quibuſcunque non obſtan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Illud ſubſidium impoſitum fuit Communitatibus, vel ſubditis vti ſingulis?

RESPON. Subditis vel ſingulis, quia ſæpe fit mentio de ſubditis, in illa Bulla Pauli III. Quorum appellatione non veniunt Communitates, Rota in deciſ. Putei 84. lib. 1. nu. 2. in Nouis; Præſertim attenta illa dictione *ipſis*, quæ perſonalitatem denotat, Roland. conſ. 59. lib. 3. o. 28. Et quando Papa voluit comprehendere Communitates in reuocatione exemptionum expreſſit, vt fuit dictum in illa cauſa Peruſina, de qua meminit in illa Bulla 39. Pauli III. de qua ſupra.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vnde eſt ergò, quod Camera Apoſtolica hoc ſubſidium exigit à Communitatibus?

RESP. Non vigore huius impoſitionis, quia Communitates ad illud non tenentur Gabr. in tit. Quod cuiuſque Vniuerſ. nom. concl. 1. n. 6. Sed vigore concordiæ poſtmodum initæ inter Cameram, & Cõmunitates, quæ onus ſuſceperunt ſoluendi Cameræ, & à ſingulis exigendi d. ſubſidium, vt in præcit. cauſa Peruſina dictum fuit.

XXI.

Edita Anno 1559.

IN ſacra Beati Petri ſede, & infra pagina 732. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Epiſcopi diuerſorum Ordinum profeſſores, ad clauſtra redire ſatagunt, ſuorum Ordinum ſuperioritates ambientes, ab eorum Eccleſijs, quibus præſunt, abſolui impetrant. §. 1. Ad illas hic Pont. aſſumi prohibet. §. 2. Diſpenſationes deſuper obtentas irritat. §. 3. Eoſque ſcienter eligentibus, priuationem iuris eligendi, & vocis actiuæ, & paſſiuæ infligit. §. 4. Contrarijs omnibus derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Ex huiuſmodi ambitu ſuperioritatum, quæ mala oriri poſſunt?

RESPON. Longo ſermone opus eſſet, conſule ergò S. Bernard. lib. 3. de Conſiderat. ad Eugen. & meminit Nauar. in cap. Inter verba 55. cauſ. 11. quæſt. 3. ſub num. 70.

Schol. ſecundum.

Quæro. Epiſcopi fortaſſe has ambiunt ſuperioritates eo, quod poſtquam ceſſerunt Epiſcopatibus, ad Ordinem ſuum redire coguntur?

RESPON. Non, quia ad Ordinem redire non coguntur Nauarr. conſil. 15. incip. N. Frater lib. 3. de Regular. num. 11. ſecundum impreſſionem Brixien. pag. mihi 236.

FINIS PRIMI TOMI.

ANT 1 32 7133

Digitized by Google

Digitized by Google